UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

urn:nbn:de:hbz:466:1-66022

Visual Library

Th 3
5178

Sh. 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. BRUNONE PARODE
ORD. S. BEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE.

TOMUS III.

AB ANNO 313. USQUE AD ANNUM 361.

Collegii Paderani Soc. Jesu. 1762.



Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO INTERPRETIS.

§. I.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ finis.

En tibi, amice Lector! tertiam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Partem! Lege in eum finem, in quem ſcripta eſt, nempe non tantum ſciendi, ſed & proficiendi animo. Certe finis hujus Scriptionis non fuit, ut mirabilibus factis

ſciendi aviditas paſcatur, ſed ut ſolidis argumentis Chriſtiani Lectoris Fides roboretur, ejusque Pietas Exemplis Proborum excitetur. Lege itaque non minus præſtantem quam utilem Hiſtoriam! nam, ſi illa Hiſtoriæ Pars, quæ Regiminis Politici originem, atque Regnorum exordia, augmenta, Gloriam, Fortunam, Leges, Viciſſitudines, & Magnorum Virorum facta, enarrat, ad Ethicam ſpectat, quia per exempla pravos Hominum affectus corrigere, regere, & ſibi ipſi imperare docet, cur non æquali jure Hiſtorici Studii Partem alteram, & nobiliorem, quæ Veræ Eccleſiæ Ortum, & Progreſſum, Diſciplinam, Canones, Doctrinam, diver-

diversum diversis temporibus statum, & Sanctorum Exempla exponit, Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis oculum dextrum esse dicamus, quo destitutus si aliquis hujus scientiæ omnium præstantissimæ, & immensæ Penetralia ingressus fuerit, non secus ac homo tenebris nocturnis deprehensus, a veritate aberrabit? Jam vero sicut Ethica nihil illi prodesset, qui equidem humanos affectus omnes accurate enumerare, definire, & de eorum proprietatibus effectibusque, differere didicisset, at sui ipsius animi motus reprimere, cohibere, & se ipsum regere non nosset, ita etiam Historiæ Ecclesiasticæ, quæ Theologiæ Dogmaticæ Germana soror est,

Lectio, non illam quam oporteret utilitatem afferet legenti, nisi ideo legat, ut mentem in Doctrina Fidei confirmet, & mores ad Bonorum Christianorum Exemplar instituat.

§. II.

Ecclesiæ Libertas. In ista Fleurianæ Historiæ Parte occurret illa Epocha, ubi JESU CHRISTI Ecclesia antea sub Ethnicis Principibus pressa a Constantino Magno libertate donata est. Tunc Ecclesiæ extructæ, tunc Cæremoniæ ordinatæ, Episcopis summus honor habitus, tunc Patriarcharum, Archiepiscoporum, Primatum, Metropolitarum distinctæ Dignitates

tates innotuere, atque Sanctiſſimæ Chriſti Sponſæ Majeſtas in oculis Gentilium æque ac Chriſtianorum reſplenduit; ita ut intolerabilis omnino ſit temeritas Interpretis Germani, in Præfatione ad primam Partem dicentis, ab initio æqualem omnibus Epiſcopis fuiſſe Poteſtatem, & ambitu Romanorum Epiſcoporum factum, ut unus in aliosDominatum quæreret. Qualiscunque denique prætextus arripiendus fuit homini, ut Miniſtrorum Proteſtantium, ſi eos cum Præſulum Catholicæ Eccleſiæ ſplendore conferas, vilitatem excuſaret.

§. III.

Concilium Nicenum. Occurret Concilium Universale Nicenum, sequentium deinde omnium exemplar. Qui omnia hujus Concilii adjuncta pensaverit, deprehendet, concurrente utraque Potestate Ecclesiastica, & Cæsarea fuisse celebratum. Idem quod in primo, etiam in ultimo Concilio Generali Tridentino observandum, nempe unanimi consensu Summi Pontificis Pauli III. & Imperatoris Caroli V. fuisse inchoatum, quia diversarum Potestatum Auctoritas non ad eundem, sed ad fines diversos requiritur. Cæsareæ Majestatis est, Ecclesiam, quam Matrem venera-

neratur, tueri, & Improborum molimina reprimere. Episcoporum est, Spiritualia, & Causam Fidei pertractare. Quam Personam Constantinus Magnus in Concilio Niceno egerit, & ut pleniſſimam de Fide judicandi libertatem Episcopis reliquerit, res omnibus notiſſima est; hinc patet Interpretem Protestantem utriusque Potestatis officia non satis capere, & Catholicos injuria insimulare, quod in hac Materia Præjudiciis teneantur.

In hoc Concilio pestilens Arii Hæresis damnata. Si Ecclesia Catholica credidisset, solam Sacram Scripturam ad com-

ponendas lites, & definiendas Quæstiones sufficere, cur tot Episcopi ex variis Orbis Partibus maxima eorum molestia & ingentibus Cæsaris impensis fuissent in unam Civitatem convocati ? Sed in Ecclesiæ Liberæ primordiis, imo & ipsorum Apostolorum tempore, omnes persuasum sibi habebant, præter Sacram Scripturam etiam Ecclesiæ Auctoritatem esse necessariam, ut Hæreses legitime damnarentur, & scirent Fideles, quid sibi sine errandi periculo credendum, si Controversia de Fide oriretur. Id quidem de omnibus erroribus, totam Ecclesiam perturbantibus, verum, at imprimis de Arianorum Hæresi,

resi, quæ multis, & in sensu litterali atque in speciem claris textibus defendi potest. Hanc Hæresin Interpres Protestans damnat quidem, sed si eum Arianus aggrederetur, nisi ad Auctoritatem Concilii Niceni, id est, Ecclesiæ Romano-Catholicæ confugeret, vinceretur. Idem Interpres edita Parte quinta suæ Versionis in Nota pag. 178. Sermone ad Philopistum directo inquit: **Ersuche aber denjenigen/ der sich zu Maynz eine Critik über diese Kirchenhistorie / und Uebersetzung derselben angemasset hat. ꝛc.** Quis risum teneat? homo nullius nominis temeritatem esse putat, si quis ejus mendacia, & calumnias orbi

bi patefaciat. Doctissimus, & zelosissimus Philopistus anno 1756. Moguntiæ Indiculum edidit, cujus Titulus: **Betrugsanzeige in Religionsschriften/** & demonstrat Interpretem Fleurii Protestantem, antequam in Parte prima Versionis suæ ad umbilicum pervenisset, sexies decies SS. Patrum, & Fleurii Textus corrupisse. Quid ipse respondet? Quomodo factum purgat? inepta humanitate rogat Philopistum, ut legat Sigonium, qui in S. Joannem I. Pontificem rustice invehitur, quod Legatione ad Imperatorem Orientis, ipsius opinione, pessime functus sit. Si tamen genuina sunt, quæ Interpres Pro-

Protestans, nullius fidei homo, ex Sigonio excerpsisse se dicit. Librum quem ipse citat: *Delineatio sincera veræ Cathol. Eccl.* nec in Moreri, quamvis alia Sigonii opera enumeret, nec in Graveson reperire est. Quæ Responsio? qualis purgatio? nempe tali Interprete digna. Reliqua hujus Notæ suo loco castigabuntur. Quid vero meis Annotationibus, Germano Idiomate anno 1757. editis, Interpres iste responsurus est? Scilicet, cum aliud non possit, muliercularum more, convicia ingeret.

Interim, Amice Lector! hanc recipe Partem Tertiam

Fleu-

Fleurii, Auctoris, de quo Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Ord. Fratrum Prædicatorum, Scriptor etiam in Germania celeberrimus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica dicit: *Vivit adhucdum illuſtriſſimus ille Abbas ac propediem votis omnium Virorum eruditorum facturus ſatis ſuam elegantiſſimam abſolvet Hiſtoriam Eccleſiaſticam*

Vale!

CONSPECTUS
TOMI TERTII.

LIBER X.

§. 1. *Libertas Ecclesiæ.* Pag. 1
§. 2. *Constantini Epistolæ Christianis faventes.* 2
§. 3. *Dedicatio Ecclesiæ Tyriensis.* 5
§. 4. *Eusebii Præparatio Evangelica.* 9
§. 5. *Demonstratio Evangelica.* 14
§. 6. *S. Antonius in Monte.* 18
§. 7. *S. Ammon Nitriensis.* 24
§. 8. *S. Pacomii initia.* 25
§. 9. *S. Hilarionis initia.* 30
§. 10. *Donatistarum Motus.* 33
§. 11. *Concilium Romanum.* 35
§. 12. *Felix Aptungitanus absolvitur.* 41
§. 13. *Ingentius Falsi convincitur.* 48
§. 14. *Concilium Arelatense.* 52
§. 15. *Canones Concilii Arelatensis.* 56
§. 16. *Concilium Ancyranum.* 60
§. 17. *Concilium Neo-Cæsariense.* 66
§. 18. *Donatistæ ad Cæsarem appellant.* 69
§. 19. *Constantinus Donatistas damnat Mediolani.* 73

§. 20.

§. 20. *Lex Constantini pro Ecclesia.* 75
§. 21. *Persecutio Licinii.* 76
§. 22. *Quadraginta Martyres.* 79
§. 23. *Inquisitio in Causa Sylvani Episcopi Cirthani.* 82
§. 24. *Sylvanus Traditionis, & Simoniæ reus.* 86
§. 25. *Alii eorumdem Factorum testes.* 91
§. 26. *Indulgentia Imperatoris erga Donatistas.* 94
§. 27. *Edictum pro Religione.* 96
§. 28. *Hæresis Arianæ initium.* 97
§. 29. *S. Alexandri Epistola prima.* 101
§. 30. *Epistolæ pars altera.* 106
§. 31. *Secunda S. Alexandri Epistola.* 113
§. 32. *Acta Depositionis Arii.* 118
§. 33. *Epistola Arii ad Eusebium Nicomediensem.* 121
§. 34. *Episcopi unius, & alterius Partis.* 122
§. 35. *Epistola Eusebii Nicomediensis ad Paulinum Tyriensem.* 124
§. 36. *Epistola Arii ad S. Alexandrum.* 126
§. 37. *Concilium Bithyniæ pro Ario.* 129
§. 38. *Alterum Licinii Bellum.* 130
§. 39. *Constantinum Deus protegit.* 135
§. 40. *Alia Constantini Edicta pro Ecclesia.* 136
§. 41. *Arianorum Progressus.* 139
§. 42. *Epistola Constantini ad Alexandrum, & Arium.* 140
§. 43. *Concilium Alexandrinum Præside Osio.* 143
§. 44. *Audius Schismaticus.* 145

LIBER XI.

§. 1. *Concilium Nicænum convocatur.* 147
§. 2. *SS. Paphnutius, & Spiridion.* 148
§. 3. *S. Jacobus Nisibitanus.* 151
§. 4. *Alii Episcopi celebres.* 153
§. 5. *Legati Summi Pontificis.* 156
§. 6. *Episcopi Ariani.* 159

§. 7.

§. 7. *Conversio Philosophi.* 163
§. 8. *Libelli contra Episcopos.* 164
§. 9. *Episcoporum Colloquia.* 165
§. 10. *Sessio Publica.* 167
§. 11. *Arii opiniones examinantur.* 169
§. 12. *Necessitas Vocis: Consubstantialis.* 172
§. 13. *Synodi Nicenæ Symbolum.* 175
§. 14. *Decretum de Paschate.* 178
§. 15. *Decretum in Causa Meletianorum.* 181
§. 16. *Synodi Nicenæ Canones.* 182
§. 17. *Celibatus. Et Paphnutii Sententia.* 185
§. 18. *Alii Canones de Clericis.* 190
§. 19. *Ordinatio, & Jurisdictio Episcoporum.* 193
§. 20. *Majorum Cathedrarum Privilegia.* 195
§. 21. *Canones Pœnitentiales.* 200
§. 22. *Canones de Novatianis, & Paulianistis.* 203
§. 23. *Epistola Synodalis.* 207
§. 24. *Epistola Imperatoris pro Decretorum observatione.* 209
§. 25. *Conclusio Concilii.* 213
§. 26. *Epistola Eusebii Cæsarienſis.* 216
§. 27. *Exilium Eusebii Nicomedienſis.* 218
§. 28. *Quid S. Alexander cum Meletio egerit.* 221
§. 29. *S. Athanasius Episcopus Alexandrinus.* 222
§. 30. *S. Gregorius Nazianzenus Pater.* 224
§. 31. *Leges Constantini.* 227
§. 32. *S. Helena S. Crucem invenit.* 228
§. 33. *Constantinus extirpandæ Idololatriæ intentus.* 235
§. 34. *Ecclesiæ ad Quercum Mambre.* 238
§. 35. *Historia Comitis Josephi.* 240
§. 36. *Novæ Ecclesiæ Romæ.* 249
§. 37. *Conversio Gentilium.* 253
§. 38. *Missio Frumentii.* 255
§. 39. *Conversio Iberorum.* 258
§. 40. *Arius, & Eusebius Nicomedienſis ab Exilio revocantur.* 262
§. 41. *S. Antonius venit Alexandriam.* 266
§. 42. *Calumniæ in S. Athanasium.* 269
§. 43. *S. Eustathii Antiocheni Depositio.* 270

§. 44. *Urbis Constantinopolitanæ Fundatio.* 278
§. 45. *Ecclesiæ Urbis Constantinopolitanæ.* 282
§. 46. *Leges latæ contra Hæreticos.* 287
§. 47. *Calumniæ in S. Athanasium. Arsenius.* 290
§. 48. *Concilium Tyrienſe.* 294
§. 49. *Accusationes contra S. Athanasium. Ischyras.* 299
§. 50. *Delegatio in Mareotidem.* 303
§. 51. *Concilium Tyrienſe continuatur. Arsenius.* 306
§. 52. *Inquisitio in Mareotide. Protestationes.* 310
§. 53. *Concilii Tyrienſis exitus.* 315
§. 54. *Dedicatio Ecclesiæ S. Sepulchri.* 317
§. 55. *Concilium Jerosolymitanum, in quo Arius recipitur.* 321
§. 56. *S. Athanasii Exceptio coram Imperatore. Exilium ejus.* 325
§. 57. *Concilium Constantinopolitanum. Marcellus Ancyranus depositus.* 329
§. 58. *Arii Mors.* 332
§. 59. *Imperator ad S. Antonium ſcribit.* 337
§. 60. *Constantini Baptismus, & obitus.* 340

LIBER XII.

§. 1. *Dissensio inter Constantini Filios.* 349
§. 2. *Ariani Constantium in ſuas partes trahunt.* 352
§. 3. *S. Athanasius revocatur.* 353
§. 4. *Novæ in S. Athanasium Calumniæ.* 354
§. 5. *Constantini junioris obitus.* 356
§. 6. *Eusebii Cæsarienſis Mors, & ejus Doctrina.* 357
§. 7. *S. Alexandri Constantinopolitani obitus. Paulus Episcopus, & deinde Eusebius.* 365
§. 8. *Concilium Alexandrinum pro S. Athanasio.* 366

§. 9. *S. Antonii Vaticinium.* 374
§. 10. *Concilium Antiochenum. Dedicatio.* 376
§. 11. *Fidei Formula.* 379
§. 12. *Canones Concilii Antiocheni.* 383
§. 13. *Continuatio Canonum.* 389
§. 14. *Gregorius in Sedem Alexandrinam intruditur.* 394
§. 15. *S. Antonius S. Athanasio favet.* 402
§. 16. *S. Pauli Eremitæ obitus.* 404
§. 17. *S. Hilarionis Miracula.* 410
§. 18. *S. Hilarion suos visitat.* 415
§. 19. *Epistola S. Athanasii ad Orthodoxos.* 417
§. 20. *S. Athanasius Romæ.* 421
§. 21. *S. Paulus Constantinopoli in Sedem suam reducitur, rursusque pellitur.* 425
427
§. 22. *Concilium Romanum.* 430
§. 23. *Professio Fidei Marcelli Ancyrani.* 432
§. 24. *Julii Papæ Epistola.* 439
§. 25. *Continuatio Epistolæ Julii Papæ.* 446
§. 26. *Delegatio Orientalium ad Constantem.* 447
§. 27. *Leges adversus Idololatriam.* ibid.
§. 28. *Persecutio in Persia.* S. *Simeon, & S. Usthazadius.* 453
§. 29. *Alii Martyres. S. Sadothus. S. Taburla.* 458
§. 30. *Alii Martyres.* 461
§. 31. *Missio Theophili Indi.* 463
§. 32. *Longa Orientalium Formula.* 466
§. 33. *Concilium Mediolanense.* 468
§. 34. *Concilium Sardicense.* 475
§. 35. *Orientalium Discessus. Concilii Judicium.* 480
§. 36. *Epistolæ Concilii Sardicensis.* 483
§. 37. *Canones Sardicenses.* 488
§. 38. *Canones de Residentia.* 493
§. 39. *Canones de Judiciis Ecclesiasticis.* 498
§. 40. *Conciliabulum Philippopolitanum.* 502
§. 41. *Querimoniæ contra Concilium Sardicense.* 505
§. 42. *Excommunicatio Julii, Osii, & aliorum.* 510
§. 43. *Arianorum Crudelitas.* 512
§. 44. *Concilium Mediolanense secundum.*

§. 45. *Stephanus Antiochenus depositus.* 514
§. 46. *Leontius Episcopus Antiochenus.* 519
§. 47. *Aetii initia.* 523
§. 48. *Paulus, & Macarius in Africam missi.* 527
§. 49. *Primum Concilium Carthaginense.* 530
§. 50 *S. Athanasius revocatur.* 533
§. 51. *S. Athanasius Antiochiæ.* 535
§. 52. *Initia Apollinaris.* 538
§. 53. *S. Athanasius Jerosolymæ. Inde Alexandriæ.* 540
§. 54. *Ursacii, & Valentis Retractatio.* 543

LIBER XIII.

§. 1. *Mors Constantis. Magnentius. Vetranio. Nepotianus Imperatores.* 549
§. 2. *Obsidio Nisibitana. S. Jacobus.* 550
§. 3. *Vetranionis Depositio.* 553
§. 4. *Gallus Cæsar.* 556
§. 5. *Crux prodigiose apparens.* 557
§. 6. *Concilium Sirmiense. Photinus depositus.* 561
§. 7. *Magnentius Mursæ devictus.* 565
§. 8. *S. Pauli Constantinopolitani Martyrium.* 566
§. 9. *Calumniæ in S. Athanasium.* 569
§. 10. *Liberius Papa. Concilium Arelatense.* 572
§. 11. *Epistola Imperatoris ad S. Athanasium ferente Montano.* 576
§. 12. *Epistola S. Athanasii ad Dracontium.* 577
§. 13. *Apologia major S. Athanasii.* 584
§. 14. *Liberius vult Concilium celebrari.* 585

§. 15. *Galli Cæsaris exitus.* 590
§. 16. *Juliani Apostasia.* 592
§. 17. *Concilium Mediolanense.* 596
§. 18. *Eusebius. Dionysius. Et Lucifer in Exilium pelluntur.* 602
§. 19. *Ariani Liberium persequuntur.* 606
§. 20. *Liberius Mediolani coram Imperatore.* 610
§. 21. *Liberius in Exilium mittitur. Felix Anti-Papa.* 616
§. 22. *Osium persequuntur. Ejus Epistola.* 618
§. 23. *Persecutio Universalis.* 624
§. 24. *S. Gregorii Nazianzeni, & S. Basilii initia.* 626
§. 25. *Julianus Cæsar.* 631
§. 26. *Persecutio contra S. Athanasium.* 633
§. 27. *Epistola S. Athanasii ad Episcopos Ægypti.* 636
§. 28. *Syriani violenter Acta.* 640
§. 29. *Protestatio Populi Alexandrini.* 642
§. 30. *Heraclius vim adhibet.* 646
§. 31. *Georgius in Sedem Alexandrinam intruditur.* 648
§. 32. *Persecutio Alexandriæ.* 650
§. 33. *Episcopi Ægypti expulsi.* 653
§. 34. *Episcopi intrusi.* 656
§. 35. *S. Athanasius in Deserto.* 661
§. 36. *S. Antonii Exitus.* 664
§. 37. *S. Hilarion in Ægypto.* 669
§. 38. *S. Antonii Discipuli.* 673
§. 39. *Apologia S. Athanasii ad Constantium.* 677
§. 40. *Continuatio Apologiæ.* 683
§. 41. *S. Eusebii Vercellensis Ærumnæ.* 688

§. 42. *S. Hilarius Exul.* 693
§. 43. *Acta violenter a Macedonio Constantinopolitano.* 697
§. 44. *Constantius Romæ.* 703
§. 45. *Secunda Formula Sirmiensis. Lapsus Osii.* 706
§. 46. *Lapsus Liberii Papæ.* 709
§. 47. *Epistola S. Athanasii ad Solitarios.* 713
§. 48. *S. Cyrillus Jerosolymitanus deponitur.* 721
§. 49. *Epistolæ Episcoporum Galliæ ad S. Hilarium.* 724
§. 50. *Tractatus S. Phebadii Aginnensis.* 725

LIBER XIV.

§. 1. *S. Basilius in Solitudine.* 729
§. 2. *Vita S. Basilii in Deserto.* 736
§. 3. *Basilii Asceſis.* 741
§. 4. *Eudoxius Episcopus Antiochenus.* 746
§. 5. *Concilium Ancyranum Semi-Arianorum.* 749
§. 6. *Delegati Ancyra Sirmium mittuntur.* 752
§. 7. *Liberius Romam redit.* 756
§. 8. *Terræ motus Nicomediæ.* 759
§. 9. *Quæ fuerint de Conciliis agendis proposita.* 762
§. 10. *Tractatus S. Hilarii de Synodis.* 769
§. 11. *Concilium Ariminense.* 773
§. 12. *Legatio ad Imperatorem.* 779
§. 13. *Conventus Niceus.* 783
§. 14. *Concilii Ariminensis exitus.* 785
§. 15. *Concilium Seleucienſe.* 792

§. 16. *Formula Fidei Acacii.* 798
§. 17. *Concilium Seleucienſe clauditur.* 802
§. 18. *S. Athanaſii Tractatus de Synodis.* 804
§. 19. *Imperator Aetium damnat.* 809
§. 20. *Anomeorum Res reſtituitur.* 813
§. 21. *Concilium Conſtantinopolitanum.* 816
§. 22. *Epiſcopi deponuntur.* 820
§. 23. *Epiſcopi intruſi.* 825
§. 24. *Perſecutio occaſione Formulæ Ariminenſis.* 828
§. 25. *S. Martini initia.* 834
§. 26. *Tractatus S. Hilarii contra Conſtantium.* 840
§. 27. *Concilium primum Pariſienſe.* 843
§. 28. *Scripta Luciferi Calaritani.* 846
§. 29. *Eunomius a ſuis depoſitus.* 853
§. 30. *Macedonii Hæreſis.* 857
§. 31. *Tractatus S. Athanaſii de Spiritu Sancto.* 859
§. 32. *Concilium Antiochenum. S. Meletius.* 863
§. 33. *Euzoius Epiſcopus Antiochenus.* 868
§. 34. *Julianus Imperator proclamatur.* 872
§. 35. *Conſtantii obitus.* 878

ERRA-

ERRATA.

Pag.		*corrige:*
5.	ab irratis hac	ab iratis hac.
8.	cœleſti Gloriæ	cœleſtis Gloriæ.
57.	Diaconi urbibus	Diaconi in urbibus.
66.	Baſilii Amaſcenſis	Baſilii Amaſeenſis.
69.	nuptiarum conviciis	nuptiarum conviviis.
98.	Doctrina Apoſtolorum.	DoctrinæApoſtolorum.
214.	quia univerſa	qui univerſa.
216.	ad eos delatum	ad eos delata.
260.	ipſum eſſet, aſſerens	ipſum eſſe, aſſerens.
313.	Cupimus quidam	Cupimus quidem.
315.	ne ſcriptas reciperent	nec ſcriptas reciperent.
316.	& ſuos ſingulos	& ſuos ſingulis.
338.	reditum poſtulabant	reditum poſtulabat.
339.	converſis fovens	converſis favens.
345.	concepiſſe verba	concepiſſe. Verba.
365.	Fato proximum	Fato proximus.
372.	Euſebianis anſam	Euſebiani anſam.
401.	migravit & vita	migravit e vita.
432.	Scripturis doctis ſumus	Scripturis docti ſumus.
434.	in transverſam acto	in transverſum acto.
475.	ſed præcepit	& præcepit.
476.	nihil circa fide	nihil circa fidem.
485.	Gotti Tom. II.	Gotti Theol. Tom. III.
515.	portam habuit apertum	portam habuit apertam.
544.	Hæc manu Valentii	Hæc manu Valentis.
552.	qua data vita	qua data via.
554.	amicitiam ambiri	amicitiam ambire.
568.	verſus Eccleſia	verſus Eccleſiam.
570.	Gregorius Laodicenus	Georgius Laodicenus.
582.	Pater Apollos fuerit	Pater Apollo fuerit.
592.	baptizatus, fuerat	baptizatus fuerat
632.	ſine cauſa mutabat	ſine cauſa nutabat.
650.	palmarum flagellatorum	palmarum aculei flagellatorum.
688.	reſpiciendi tempus	reſipiſcendi tempus.
690.	lucernis exornarunt	lucernis exornavit.
711.	in quam me poſuit	in qua me poſuit.
786.	inveniri poſſint	inveniri non poſſunt.
811.	in partus ſuos ferunt	in partus ſuos feruntur.

Reliquos errores benevolentia Lectoris corriget.

HISTO-



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER X.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

S. MELCHIADES, PAPA. CONSTANTINUS, & LICINIUS, IMPERATORES.

§. I.

Libertas Ecclesiæ.

Christiani, suavi Religionis libertate donati, Divinæ Potentiæ prodigia mirabantur; sancta omnium vultu elucebat lætitia. Sæculum IV. A. C. 313.

Sæculum IV A. C. 313.

Ex deſtructarum Eccleſiarum ruinis ampliores, & magnificentiores exurgebant. Templorum Dedicationes feſtiviſſime celebrabantur, præſentibus multis Epiſcopis, & ingenti populi confluxu; omnis ſexus, & ætas in partem gaudii veniebat. Ex propinquorum, & amicorum occurſu poſt diuturnam ſeparationem tenerior erat Fidelium unio, ore unanimi, & pari gaudio Dei laudes cantantium. Præſules Sacris Cæremoniis religioſiſſime vacabant, & præcipue Symbolis Myſticis Paſſionis Salvatoris, id eſt, Sancto Sacrificio, vel ſi magis placet, Baptismo. Populum Pſalmorum cantu, & SS. Scripturarum lectione exercebant; qui facundia pollebant, Panegyricos ſermones, id eſt, in Laudem, & Gratiarum actionem, ut augerent populi piam lætitiam, pronuntiabant.

Euſ. X. hiſt. c. 1. 2. ibid. c. 3.

§. II.

Epiſtolæ Conſtantini Chriſtianis faventes.

Euſeb. vit. Conſt. l. 1. c. 41. ibid. c. 42.

Conſtantini Epiſtolæ ubique legebantur, quibus bona Chriſtianorum, fiſco adjudicata, reſtitui jubebantur, revocabantur proſcripti, captivi in libertatem mittebantur. Imperator ſummum honorem exhibebat Epiſcopis, tanquam viris, Deo ſuo ſacris, admittebatque ad menſam, quamvis externus habitus valde paupe-

res

res proderet. Itinerantibus necessarios sumptus suppeditabat. Summa ejus liberalitate magnifica Ecclesiarum ædificia excitabantur; maximi pretii donariis Sanctuaria ornabat. Regales eleemosinas munificentissime in omnis generis egenos spargebat, quibus Pagani non privabantur. Palam mendicantibus non escas modo, sed & vestimenta procurabat. Illis, qui meliore fortuna exciderant, liberalius subveniebat, his fundos dabat, aliis ministeria, quibus non indecore viverent. Curam orphanorum, & viduarum suscipiebat, virginibus dotem constituebat, easque viris, quorum probitatem noverat, in matrimonium dabat. Hoc prætextu verosimile est, Zosimum Historicum Gentilem conqueri, Constantinum in homines, qui Reipublicæ nihil prodessent, beneficia profudisse.

Sæculum IV. A. C. 313. c. 43.

Zosim. l. 2.

Quantæ liberalitatis fuerit, ex epistola conjici potest, quam particulariter ad Cæcilianum Episcopum Carthaginensem dedit, in hunc modum: *postquam ad alendos Religionis Catholicæ Ministros in omnibus Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ Provinciis quædam ex meo contribuere statui, in litteris Urso, quæstorum meorum per Africam Præposito, mandavi, ut tibi tria marsupiorum millia numerata tradat, quæ postquam acceperis, cura, ut omnibus illis, quibus ea danda designavi*

Euf. X. hist. c. 6.

Sæculum IV. A. C 313. *ſecundum indicem ab Oſio tibi miſſum, diſtribuantur; ſi ea ad voluntatem meam adimplendam videris non ſufficere, quæ deſunt, ab Heraclida poſſeſſionum mearum Procuratore non diffidenter pete; oretenus enim a me juſſus eſt, ſine mora pecuniam, quam ab eo petieris, dare.* Hodie marſupium dici poteſt, vel Burſa, quot tunc Romanis follis erat, faciens ſummam ducentorum quinquaginta nummorum argenteorum; itaque tria burſarum millia ultra trecenta millia librarum, ſeu
ibid. c. 5. francorum conficiebant. Conſtantinus etiam Anulino Africæ Proconſuli de Reſtitutione bonorum Eccleſiarum ſcripſit in hunc modum: *Quamprimum hanc epiſtolam acceperis, volumus, ut Eccleſiis Chriſtianorum Catholicorum omnia reſtitui procures, quæ antea in urbibus, vel aliis locis poſſidebant, & nunc vel cives, vel alii quicunque tenent. Sine dilatione reſtitui jube, ſive hortos, ſive domos, aut quæcunque alia jure repetere poſſunt, ſi te juſſis noſtris obedientem comprobare vis.*
ibid. c. 7. Ad eundem Anulinum epiſtolam dedit, qua mandat, ut in ſua Provincia omnes Miniſtri Eccleſiæ Catholicæ, cui, inquit: Cæcilianus præeſt; qui Clerici dici ſolent, ab omnibus oneribus publicis exempti ſint, ut nulla re a Religionis Servitio avertantur. Dubio non eſt locus, eadem ad alios quoque Provinciarum Rectores fuiſſe perſcripta. Con-

Constantinus Ludos Sæculares non celebravit, quorum tempus in annum, quo cum Licinio tertio Consul erat, id est, JEsu Christi 313. incidebat; quod Gentilibus ansam præbuit dicendi, omnia mala, quæ exinde evenerunt, ab irratis hac omissione Diis fuisse immissa. Idem annus 313. primus fuit Indictionum, quæ 24. Sept. anni præcedentis 312. inceperant. Harum certa origo non est; Nomen significat tributi impositionem. Verosimile est, non aliud tributum significasse, quam illud, quod a Provinciis ad alendum militem exigebatur, singulis annis ante hiemem fuisse redditum, sicut apud nos annua pensio solet, ideo autem anni decimi quinti rationem habitam, quod Romani milites totidem annis expeditionibus bellicis interesse tenerentur. Hic Indictionum initium notari non abs re putavimus, quia hodiedum in stilo Ecclesiastico earum usus est.

Sæculum IV. A. C. 313.

Zosim. l. 2. p. 671. An. 313.

Pagi an. 312. n. 20. Chr. Pasch. p. 181. Baron. an. 312. n. 106.

§. III.

Dedicatio Ecclesiæ Tyriensis.

Inter Ecclesias recuperata libertate reparatas Tyriensis numeratur, cujus descriptionem particularem habemus. Paulinus huic Ecclesiæ præerat, qua, sicut & de omnibus aliis imperatum fuerat, destructa, Gentiles, ut ipsum locum vilem

Sæculum IV. A. C. 313. redderent, omnis generis immunditias illuc congesserant. Quamvis vero alius locus ædificando templo aptus facile inveniri potuisset, maluit tamen Paulinus hunc ipsum purgari, ut Gentilibus eo clarior appareret Religionis victoria; omnes ergo Fideles pia æmulatione operam junxere, omnes manum operi, & primus omnium Episcopus admoverunt, atque novum hoc ædificium amplitudine, & Magnificentia, quod prius eversum fuerat, multum superavit. Nullius Ecclesiæ antiquioris formam descriptam invenimus; at quas videmus illis temporibus proximas, ita huic similes sunt, ut ab uno exemplari desumptæ videantur, & inde templorum formas longe antiquiori origine esse, dispicitur. Hæc ergo Tyriensis Ecclesiæ forma fuit; muri continui ambitus locum sacrum circumdabat, in quem per magnam portam versus Orientem ingressus patebat, ita in altum porrectam, ut Infideles omnes ad accessum invitare videretur. Primus aditus erat in atrium magnum quadratum, quod quatuor porticus columnis innixi cingebant, id est, Peristylum, columnæ ligneis cancellis jungebantur, erantque porticus clausi quidem, sed inspicientibus patuli. Ibi, qui primis fidei rudimentis imbuendi erant, consistebant; in media area contra ingressum Ecclesiæ fontes erant, abundantissimas aquas fun-

fundentes, ut ingreſſuri lavarentur, eſſentque ſpiritualis purificationis ſymbola. Per iſtud atrium accedentibus portæ tres patebant in Eccleſiam, earum media duabus aliis multo altior, & latior, cujus poſtes ex cupro, ferreis nexibus, eleganti ſculptura ornabantur. Per hanc majorem in partem Eccleſiæ inferiorem, & oblongam intrabatur, & per duas alias in ambulacra collateralia, quibus deſuper feneſtræ, tranſennis ligneis ſcitiſſime elaboratis clauſæ, præter varia ornamenta erant. Nam in Regionibus calidis vitrorum uſus non eſt. Sæculum IV. A C 313.

Magna erat Baſilica, & prælta, multo altioribus columnis, quam Periſtylum, nixa. In interiora multa lux incidebat; ubique materia, & opus de pretio certare videbantur. Pavimentum ex marmore, artificioſe diſtinctum. Parietes ex Cedro, quam ex vicino Libano attulerant. In ſuprema parte throni, id eſt, ſedes altiſſimæ viſebantur, Presbyteris, medioque inter eos Epiſcopo paratæ; hæ medio circulo retrorſum altare cingebant, ita ut, cum oraret Epiſcopus, faciem ad populum, & Orientem verteret. A Sanctuarii aditu populus clathris ligneis, quos ſculptilia elegantiſſimi operis decorabant, prohibebatur; ſedilia pulcherrimo ordine diſpoſita Baſilicam implebant. Foris ſpatioſiſſimi porticus, aliæque ædificii partes ex Eccleſia Tyrienſis.

Sæculum IV. A. C. 313.

utroque latere visebantur, tum Catechumenorum institutioni, tum conferendo Baptismo destinatæ; ad has ædium sacrarum partes spectant Diaconia, Sacristia, aula, ubi omnes excipiebantur, qui loqui Episcopo, aut Presbyteris vellent, & alia quæ apud Ecclesias constructa leguntur. Ex his inferius in Basilicam aditus erat utraque ex parte. Ita Ecclesia cum ædibus, ad eam pertinentibus, muro circumducto ab omnibus locis profanis separabatur.

Euſ. X. hiſt. c. 3.

In Dedicatione hujus Ecclesiæ Tyriensis Eusebius Episcopus Cæsariensis in Palæstina Panegyrin peroravit coram frequenti populo, multis Episcopis præsentibus, ad quos sermonem direxit, præcipue vero Paulinum hujus urbis Episcopum, senio venerabilem, & in paucis amicum sibi charum. In hunc modum exorditur: *O vos amici Dei, & Pontifices! qui sanctam tunicam, & cœlesti Gloriæ coronam gestatis, qui unctione Divina redoletis, & veste Sacerdotali Spiritus S. induti estis!* Hæc verba indicare videntur, quodam ornamento sibi proprio Episcopos, saltem in templis, jam tunc fuisse distinctos, idque confirmatur ex eo, quod sæpe de eorum corona mentio redeat. Fusius deinde Divina prodigia deprædicat, quæ sibi jam non amplius Patrum suorum narratione essent cognita, sed propriis oculis conspecta

ſpecta; tum ſtatum Perſecutionis depingit, laudatque JEſu Chriſti potentiam, qui Eccleſiæ ſuæ, reſiſtentibus, & ringentibus omnibus mundi poteſtatibus, quotidie incrementa addidit; barbaras nationes ferocitate indomabiles manſuefecit, ſuumque Imperium ad ultimos orbis terrarum fines dilatavit. Tanquam miraculum, omnium maximum, atque hactenus inauditum affert, quod ipſi Imperatores verum Deum agnoſcant; ex hoc colligitur hanc orationem ab Euſebio illo tempore dictam, quo Conſtantini, & Licinii amicitia adhucdum conſtabat, de iis enim Imperatoribus loquitur, qui nuper ab impiorum Principum Tyrannide orbem liberaverant. Sæculum IV. A. C. 313.

§. IV.

Euſebii Præparatio Evangelica.

Circa idem tempus Euſebius magnum illud opus ſuum ſcripſit de præparatione, & demonſtratione Evangelii, Theodoto inſcriptum, quem Epiſcopum Laodicenum in Syria, & cujus elogia ſuæ Hiſtoriæ Euſebius immiſcet, fuiſſe credunt. Eſt iſtud opus, corpus Controverſiæ integrum, ut contra Paganos, & Judæos oſtendat, Chriſtianos non fide cœca, & temeraria credulitate Evangelium recepiſſe, ſed poſt examen ſerium, *VII. hiſt. c. 32. Euſ. præp. lib. I. init.*

Sæculum IV. A. C. 313.

solidis argumentis fuisse ipsis persuasum, & maturo judicio statuisse, relicta Gentilitatis superstitione, in qua nati, & innutriti fuerant, Doctrinam Hebræorum, rejectis tamen Cæremoniis Judaicis, esse tenendam. Tractatus de Præparatione materia est pars propositionis prima, & probat ex quibus causis Christiani Græcorum, aliarumque Gentium Doctrinam rejecerint, ut Religionem Hebræorum amplecterentur; Tractatus de Demonstratione alteram partem probat, quare Christiani, suscepta Hebræorum Doctrina, Legem Moysis non observent, verbo, inter Judæos, & Christianos discrimen ostendit.

Præp. l. XV. init.

Lib. I.

Præparatio dividitur in quindecim libros, quorum sex primis refutatio Paganismi continetur, sequentes novem Doctrinæ Hebræorum excellentiam demonstrant. In ingressu Nationum celeberrimarum fabulosam Theologiam, nempe Phœnicum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorumque exponit, & ne falsitatis argui possit, verba propria Scriptorum eorum, Diodori Siculi, Sanchoniathonis, a Philone Byblio citati, Manethonis Ægyptii, Dionysii Halicarnassæi refert. Postquam monstravit, quantum a sana ratione abhorreant hæ fabulæ, quæque exinde sequuntur cæremoniæ superstitiosæ, & pudenda Mysteria nempe his fabulis,

L. II.

bulis, tanquam fundamento, superstructa, Theologiam allegoricam quorumdam Philosophorum refellit, qui novissimis temporibus callide sensum Mysticum fabulis maxime insulsis affingere conábantur, easque per Physicam explicare. Econtra Eusebius probat, Gentilium Theologiam in nullo alio consistere, quam in fabulis, sensu litterali acceptis, sicut a Poetis propositæ fuerant; & quamvis etiam Allegoriæ novorum Physicorum admitterentur, manere nihilosecius absurdissimam Idololatriam, cum tamen homines sub Deorum, Dearumque nominibus nil nisi Sidera, & Elementa, nempe corpora, & materiam adorassent. Sæculum IV. A. C. 313. *L. III.*

Philosophi hi Mystici, quos inter Porphyrius fama præcellebat, cum vellent Idololatriam cum sana ratione componere, eam subvertebant; Deum statuebant supremum, cui alii Dii minores suberant, deinde Dæmones boni, & mali, & tandem Heroes. Soli Dæmones mali sacrificiis cruentis delectabantur; hos etiam Auctores oraculorum, divinationum, & omnis Magiæ faciebant. Porro recentes hi Philosophi, Dæmonum cultui renuntiandum docebant, & Deo supremo serviendum, quem tam altum, & excelsum asserebant, ut omnis cultus externus, etiam vocis, ipso esset indignus; hac ratione omne signum Religionis sensibile *Lib. IV. c. 5. &c.* *IV. n. 10. &c.* Præparatio Evangelica. *IV. n. 18. &c.*

ex

Sæculum IV. A. C. 313. ex hominibus aufferebant. Euſebius maximam vim in refellendis oraculis adhibet, utpote argumento præcipuo, quo populi in antiquis ſuperſtitionibus retinebantur. Hæc igitur, & omne divinationis genus rationibus, quas a Philoſophis Græcis Epicureis, & Peripateticis mutuabat, oppugnat; ſpeciatim omnia oracula celeberrima examini ſubjicit, & illuſiones detegit. Tandem ſententiam Gentilium de fato, cui oracula innitebantur, ſubvertit, demonſtrans, per hanc opinionem liberum hominis arbitrium tolli.

L. IV. n. 1. 2. 3.

L. V.

L. VI.

Lib. VII. *VII. c.* 6. Ad Hebræos deinde tranſiens, oſtendit, quam eorum Doctrina ſublimior ſit omnibus, quæ aliarum nationum retulerat, deliramentis. Hebræos a Judæis diſtinguit ex eo, quod Judæi ſint populus ſpecialis, Legi Moſaicæ, omnibus Cæremoniis, & laborioſis obſervantiis ſubjectus, econtra Hebræi, id eſt, Fideles, qui ab initio mundi usque ad Moyſen vixerunt, ſolius naturæ Legem, & rationis lumen omnibus populis commune ſequantur; ſanctiſſimæ iſtorum erant in moralibus regulæ, Doctrina principaliter conſiſtebat in agnitione unius Dei, Creatoris hujus mundi, quem ſua Providentia, & Verbo ſuo, ſeu Sapientia ſubſiſtente, per quam omnia fecit, gubernat; credebant dari bonos, & malos Spiritus, illos

illos Dei Imperio obsequentissimos, istos Rebelles; hominem duabus partibus consistere, corpore terrestri, & anima immortali. Sæculum IV. A. C. 313.

Tum de Lege Moysis disserit, quæ Judæis, id est, illi nationi particulari, Judæam inhabitanti, data est; Hujus Legis præstantiam ex testimoniis Philonis, Josephi, & alterius celebris cujusdam Judæi, nomine Aristobuli probat. Ostendit, Judæos, & eorum Historiam Græcis non fuisse ignotam, citatque Auctorum Græcorum textus, qui de Judæis loquuntur. Ex propria Gentilium confessione probat, eos omnes artes, litteras, & scientias ab hominibus, quos Barbaros nominabant, & specialiter ab Hebræis accepisse. Moysen, & Prophetas Scriptoribus Græcis antiquiores esse, ex iis, quæ hac de re Africanus, Tatianus, & Clemens Alexandrinus scripserant, demonstrat. Ut magis magisque ex ratione confirmet, quam sapienter Hebræorum Traditiones Græcorum fabulis antepositerimus, ostendit, celeberrimorum Philosophorum opiniones Hebræorum Doctrinæ fuisse conformes, a Platone Philosophorum Principe initium ducens; imo Platonis auctoritate utitur, ut fabulosæ Poetarum Theologiæ impietatem explodat, & veritatem defendendi necessitatem etiam cum periculo vitæ stabiliat. Quod attinet

Lib. VIII.

Lib. IX.

Lib. X.

L. XI. XII.

Lib. XIII.

Lib. XIV.

Sæculum IV. A. C. 313.

net ad Philosophos, quorum opiniones, & nostræ Doctrinæ discrepant, monstrat, quam parum inter se ipsos consentiant, unumque per alium oppugnat. Singu-
Lib. XV. lari studio Aristotelem refellit, tanquam periculosissimum; & Physicæ, totiusque Philosophiæ inanitatem aperit, quam Christiani, non quod eam ignorarent, sed prudentius contemnerent, rejecerunt. Talis est quindecim librorum de Præparatione Evangelica ordinatio.

§. V.

Demonstratio Evangelica.

Demonstratio adversus Judæos maxime dirigitur, qua evincit, Christianos prudenter ab eorum vivendi ratione recessisse, quamvis Hebræorum Religionem recepissent. Hoc opus in viginti libros dividebatur, quorum media tantum pars ad nos pervenit, reliqui desiderantur. In libro primo docet, Legem Mosaicam uni tantum populo convenire, certam Regionem habitanti, cui in uno tantum templo sacrificare licebat, præcepto enim ejusmodi omnes nationes, quamvis voluissent, obedire non potuisse, interim, sicut Eusebius ulterius probat, ex ipsis Judæorum libris omnes orbis nationes invitantur ad novum fœdus, nempe Evangelium, quod solam Legem

gem naturalem, quæ ante Moyſen obligabat, obſervari præcipit, eamque Legem ad perfectionem deducit. In hoc libro duos Chriſtianorum ſtatus diſtinguit, aliquorum magis perfectorum, qui nuptiis, dulciſſimæ ſuſcipiendæ prolis ſpei, bonorum temporalium dominio, hominum ſocietati renuntiant, ut totos ſe Deo conſecrent, ut pro omnibus aliis orationum, & omnis generis virtutum Sacrificia jugiter offerant; & aliorum, qui more vulgari vivunt, nubunt, liberorum, & familiæ curam gerunt, militant, agros colunt, mercantur, omnes vitæ civilis functiones exercent, ideo tamen pietatis ſtudium non abjiciunt, ſed habent certos dies, quibus Religionis operibus vacant, & de Chriſtiani officiis inſtruuntur. Ecce hic manifeſta vitæ Aſceticæ, & Monaſticæ veſtigia, jam tunc vitæ ſæcularis prælatæ! Sæculum IV. A. C. 313. *L. I. n. 8.*

Hic Euſebius ex Prophetarum vaticiniis de vocatione Gentium, toties in omnibus libris Sacris repetitis probat, Dei promiſſiones etiam ad nos Chriſtianos pertinere. Hæc omnium Nationum vocatio ad veri Dei agnitionem, inter alia ſignum eſt venturi Meſſiæ; aliud eſt ſignum, Judæorum reprobatio, excepto parvo numero; & hæc omnia in ipſorum Scripturis prædicta ſunt. Quantum JEſus Chriſtus Moyſe ſuperior ſit, oſtendit, *Lib. II.* *L. III. n. 2. p. 91.*

Sæculum IV. A. C. 313.

n. 3. 4. &c.

dit, & magna argumentorum vi ejus divinitatem, illis, qui SS. Scripturis non credunt, demonstrat. Sanctitas Doctrinæ, miraculis confirmata, probat, JEsum Christum nec impostorem fuisse, nec purum hominem. Miracula ab eo patrata in dubium vocari non possunt, si quis perpendat Discipulorum Christi simplicitatem, bonam fidem, proprii commodi, & utilitatis abdicationem, perseverantiam usque ad mortem, & nulli suspicioni esse locum, ejusmodi conditionis homines toti mundo voluisse illudere, aut si maxime voluissent, nullum indicium, id homines simplices potuisse. JESU Christi miracula magicæ arti originem debere, affirmari non potest, si quis eorum finem, propter quem patrata sunt, consideret, qui nullus alius fuit, quam virtutes morales, & pietatem in Deum inducere. Ipsa falsorum Deorum oracula, sicut narrat Porphyrius, Christum, virum Sanctum, cujus anima in cælo beatitudine frueretur, fatebantur. Nemo unquam fortasse antiquorum majori vi, quam hic Eusebius, JEsu Christi divinitatem ex testimoniis Apostolorum, aut argumentis captu facilioribus stabiliverit.

Demonstratio Evangelica.

p. 134.

Lib. IV.

Tum Auctor ad ipsam fidei Doctrinam progreditur, & Theologice de Natura Verbi disserit; Verbum, inquit, est

ante

ante omnes creaturas, Filius Dei unigenitus, & omnibus creatis ſpiritibus infinite ſuperior (*) quorum ſpirituum naturam etiam explicat. Deinde fidem noſtram de Verbi incarnatione exponit, & hanc Doctrinam ex Prophetis probat, poſtquam oſtendit, quantum Prophetarum vaticinia Dæmonum oraculis præſtent, & quantum veri Dei Prophetæ ab Hariolis, & fatidicis Gentilium diſtent. Revelationes de præexiſtentia Verbi divini, & ejus Incarnatione generales, & particulares ſigillatim recenſet. De tempore Chriſti adventus diſſerens, hebdomadas Danielis juxta Africanum explicat, incipiens ab anno vigeſimo Artaxerxis. Tractat de omnibus Nativitatis Chriſti circumſtantiis, de vita ejus mortali, & Paſſione, quæ omnia explicatione Pſalmi vigeſimi primi clauduntur. Hæc omnia ſunt, quæ de hoc opere exſtant; ultimi decem libri veroſimiliter explicabant reliqua, id eſt, Vaticinia de JEſu Chriſti ſepultura, reſurrectione, aſcenſione, Eccleſiæ

Sæculum IV. A. C. 313.

L. V. c. 1.

VIII.

IX.

X.

(*) Sequitur, ſi omnibus creatis ſpiritibus infinite ſuperior eſt, eſſe æqualem Deo. Sed, malum! quod dicat Euſebius in Demonſtratione Evangelica, ut bene notat Anonymus I. duo dari principia, Deum, & Verbum, atque ſecundum minus eſſe primo.

Sæculum IV. A. C. 313.

siæ fundatione, & ultimo ejus adventu. Tale est magnum illud Eusebii opus, omnium, quæ contra Judæos, & Gentiles pro defensione Religionis Christianæ habemus, locupletissimum.

§. VI.

S. Antonius in monte.

sup. l. IX. §. 37. Vita S. Ant. c. 16. p. 479.

Ita quidem eruditi sua Doctrina, & facundia Religionem defendebant, cum interim indocti, at Sancti, eandem fortioribus armis, nempe virtutum, & miraculorum splendore propugnarent. S. Antonius post susceptum iter tempore persecutionis in urbem Alexandrinam, ubi ad suum Monasterium rediit, aliquanto tempore inclusus, omnibus importune ad se venientibus, ut a languoribus suis curarentur, accessum negabat, quo non obstante foris sedentes, & cum fide orantes, sanabantur. Tandem amore solitudinis, & ut vanam gloriam fugeret, in superiorem Thebaidem, ubi omnibus esset ignotus, ire statuit; accepto igitur a fratribus pane, in ripa Nili considet, expectaturus navigium, quod conscenderet. Dum hæc cogitat, vocem desuper allapsam audit: *Antoni! quo vadis? quid moliris?* ipse imperturbatus, utpote ejusmodi alloquio assuetus, respondit: *Non est mihi quies in populi fre-*

frequentia ; petunt a me viribus meis majora. Tum vox illa iterum: *Si in Thebaidem ieris, & loca, ubi nil nisi pecora videas, pejus tibi erit, si vero quietem sincere quæris, vade in intima deserti.* Antonius: *Et quis mihi viæ Dux erit* ? protinus vox illa Saracenos ei indicat, illuc iter facientes ; illis se jungens, rogat, ut in desertum ituris comitem sibi esse liceat, quod facile impetravit. Jam tum quidam Arabes Saraceni dicebantur, in illis desertis utroque maris rubri littore errantes. Sæculum IV. A. C. 313.

S. Antonius cum sociis diebus tribus, & tribus noctibus procedens venit ad montem præaltum, ad cujus radices fons aquæ dulcis, claræ, & frigidæ fluebat; circum campi & incultæ palmæ. Placuit loci species, iterumque necessariam annonam a Ducibus suis sumens, solus ibi remansit, tanquam electo sibi domicilio. Saraceni sæpius illac de industria transeuntes, lubenter panem deferebant, non nihil etiam subsidii a palmis erat. Mons iste, quem a S. Antonio dixerunt, seu etiam Colzim unius diei itinere a mari rubro distabat. Postquam fratres locum, quo secessisset, scivere, necessarium victui ejus panem mittebant, at ipse ne tanti laboris causa fratribus esset, rogavit, ut sibi ligonem, securim, & parum frumenti afferrent, tum explorata circum *Vansleb. Relat. d'Eg. p.* 300.

Sæculum IV. A. C. 313. terra, ubi satis irriguam invenit, agellum aravit, & sevit, ita quotannis colligebat, unde panem sibi pararet, eo maxime lætus, quod nemini esset oneri. Cum deinde a quibusdam inviseretur, etiam pauca olera cœpit serere, ut ad se venientes post longi itineris laborem refocillaret. Fratres, qui inserviebant, rogavere, ut boni consuleret, si ei singulis mensibus olivas,

c. 17. legumina, & oleum afferrent, utpote jam seni, quippe annus Christi 315 erat vitæ ejus sexagesimus quintus. Ad se invisentibus canistra, manibus suis confecta, pro rebus, quas afferebant, dabat. Sæpe, qui advenerant, ingentem clamantium tumultum, & quasi armorum strepitum audiebant, atque etiam tempore nocturno, quo Antonius orabat, feras Bestias per montem vagari conspiciebant; quippe vir Sanctus in illo deserto terribili hostium infernalium incursu vexatus est.

c. 18. Rogatus a fratribus, ut descenderet de monte, & ad eos inviseret, itineri se dedit, camelo panem, & aquam portante; aresçit enim tota illa eremus, & nullibi aqua, siti levandæ apta, quam in illo monte, ubi ejus Monasterium erat, po-

S. Antonius. terat inveniri. In via vehementi calore fatigatis aqua defecit, cumque undequaque frustra quæsiviissent, ingredi non valentes, abjecta spe humi procumbebant, sine-

sinebantque Camelum ire, quo temere vellet; pius Senex discipulorum periculo commotus, suspirans ad cælum, paululum secessit, flexisque genibus, & extensis manibus oravit; protinus Domini Imperio ex illa terra, ubi oraverat, aqua prosiliit, biberunt omnes, & recepto spiritu, utres implent, camelum perquirunt, qui, fune lapidi casu circumplicato, tenebatur; ita feliciter ad viæ terminum pervenerunt. S. Antonius ubi Monasterii, quod Pisper dicebatur, limen attigit, tanquam omnium Pater exceptus, magno gaudio ob Monachorum fervorem, & zelum perfusus est. Magno etiam solatio fuit, conspicere sororem suam, quæ Virgo consenuerat, aliarum Virginum Mater, & Magistra. Ibi aliquot dies moratus, ad montem suum rediit, quo multi pergebant, seu sanctam Doctrinam hausturi, aut corporis sanitatem recepturi. Sæculum IV. A. C. 313. c. 19.

Inter alia monita salutaria, Monachis ad evitandum peccatum sequentem praxin suadebat, *Quisque nostrum*, inquiebat: *notet, & scribat actiones suas, & motus animæ suæ, quasi horum omnium rationem alter alteri reddere teneremur; & certissime! pudore, ne ab aliis noscamur, cohibiti, peccare cessabimus, & malis cogitationibus inhærere; Scripturam nostram non secus ac arbitros fratrum*

Sæculum IV. A. C. 313.

noſtrorum oculos pertimeſcemus. Affli-ctis compatiebatur, & pro iis orabat; ſicut vero non inflabatur vana gloria, ſi quod petierat, a Deo impetraſſet, ita etiam non exauditus, non murmurabat, ſed ſemper agebat gratias Deo, & ægrotos ad patientiam exhortabatur, utque agnoſcerent, ſanitatis gratiam nec ſe, nec quemcunque hominum dare poſſe, ſed
c. 20. ſolius Dei donum eſſe; Fronto quidam aulicus in Antonii præſentia ſanari non potuit, at in Ægyptum perveniens, ſicut ei prædixerat, ſanitate donatus eſt. Puella ex urbe Buſiri ſanata eſt, quamvis eam nequidem in conſpectum ſuum adduci paſſus eſſet, ſed extra montem apud Confeſſorem Paphnutium, quo eam parentes
S. Antonius. duxerant, permanſit. Quadam die S. Antonius vocans ad ſe duos fratres, qui caſu aderant, ait: *Cito, accepta aquæ hydria, in viam, quæ ex Ægypto ad nos ducit, currite; duo fratres erant in via, unus primulum obiit, alter expiraturus eſt, niſi properetis; hæc enim in oratione cognovi.* Currentes Monachi invenerunt unum mortuum, quem ſepelierunt, alterum in terra jacentem, & jam jam agentem animam, quem refocillatum, ad S. Senem adduxerunt; hæc in loco unius
c. 21. diei itinere diſtante contigerant. Sæpe
c. 22. eidem rerum remotarum, & occultarum ſcientia per revelationem communicata,

præ-

præsertim de statu animæ mortali cor- Sæculum IV.
pore egressæ. A. C. 313.

c. 23.

Hæc quidem invitus narrabat, at, quando Discipuli diu orantem viderant, & post orationem attonitum, tamdiu quæstionibus fatigabant, ut tandem loqui cogeretur, sicut Pater, qui filios suos nihil celare poterat, credebatque, revelata Discipulis suis profutura, ut spiritualium exercitiorum utilitatem cognoscerent. Erat Antonius patientissimus, & humillimus, nam licet esset sanctitatis fama celeberrimus, maximo honore omnes in Ecclesiasticis ordinibus constitutos prosequebatur, & omnibus Clericis honoratiorem locum cedebat; Episcopos, & Presbyteros corporis inclinatione venerabatur; si quis Diaconus ad eum venisset, ut instrueretur, utilia quidem monita suggerebat, sed preces præeundi honorem deferebat. Non pudebat Virum sanctum discere, quemcunque loquentem auscultabat, & si quis utilia dixisset, ea ad suum profectum conduxisse fatebatur. Vultus amœnitas, & decor erat singularis, ita, ut antea nunquam visus, inter Monachos multos alios dignosci facile potuerit. Semper hilaris, & ab omni pravo affectu liber, omnium oculos in se convertebat, non quod corporis habitu præstaret, sed ipsa facies purissimæ, & tranquillissimæ mentis species esset, &

Sæculum IV. A. C. 313.

figura. Tres Monachi semel in anno eum invisere consueverant, eorum duo quæstiones proponebant, tertius semper tacebat; S. Antonius reputans, ne forte timore loqui prohiberetur, quæsivit silentii rationem! respondit ille: Pater mi! sufficit mihi tuus aspectus.

Coteler. Monum. to. 1. p. 349

§. VII.

S. Ammon Nitriensis.

Vitæ Patr. L. II. c. 30.

In alia Ægypti parte Anachoreta, nomine Ammon, degebat, S. Antonii amicus magis, quam Discipulus. Ammon in Ægypto familia nobili, & divite ortus, parentum voluntate uxorem duxit, sed persuasit sponsæ, ut in servandam continentiam consentiret, atque ita affectu fraterno octodecim annos convixere. Exinde ad montem Nitriæ se conferens quorumdam Monachorum Pater fuit, & claruit dono miraculorum. Quadam die cum vellet fluvium, quem Lycum dicebant, tunc forte ob aquarum copiam alveo erumpentem, cum Discipulo suo Theodoro transire, rogavit Theodorum, ut paulum abscederet, ne natando se nudos conspicerent. Ipse remansit cogitationibus suis absorptus, timebatque se ipsum nudum videre, tum subito respiciens, sese invisibili manu in alteram ripam translatum miratus est. Theodo-

Vit. S. Ant. p. 486.

rus

rus videns, quod prior Ammon transiisset, nec ullum in eo madoris signum appareret, quærebat, quomodo hoc fieri potuisset, & tamdiu quærendo molestus instititit, donec ille miraculum fateretur, fidem danti, nulli se hominum ante Ammonis mortem, hanc rem revelaturum. Sæpe Ammon Antonium conveniebat, & cum aliquando S. Antonius ad eum veniisset, novi monasterii locum signarunt, infigentes ibi crucem, duodecim milliarium, seu quatuor leucarum distantia, quam S. Antonius sufficere judicavit. S. Ammonii uxor etiam sua ex parte multarum Virginum Mater extitit, quam ipse bis in anno invisebat. S. Ammon obiit anno ætatis sexagesimo secundo; dormitionis horam S. Antonius tredecim dierum itinere distans, cum animam ejus in Cœlum ascendere vidisset, cognovit.

Sæculum IV. A. C. 313.

Coteler. monum. to. 1. p. 352.

§. VIII.

S. Pacomii initia.

Tunc temporis in superiore Thebaide vivebat S. Pacomius, omnium primus, a quo Regulam habemus, & qui vitæ Cœnobiticæ integram formam dederit. Natus in Thebaide parentibus Infidelibus, suam ab unguiculis Idololatriæ aversionem prodidit, quippe cum vinum Idolis libatum gustasset, mox iterum evomuit.

v. Gr. apud Boll.

Sæculum IV. A. C. 313. muit. Alia die cum Parentes eum ad sacrificandum Idolo in Nili ripam duxissent, Sacrificulo rite cæremonias peragente, soliti effectus non sequebantur, rei novitatem stupenti Dæmon, infantem Pacomium silentii causam esse, indicat, exclamans: *quid hic Deorum inimicus! cito expellite!* Parentum deinde cura Ægyptiorum litteris sedulo excultus, adhuc puerulus castitatem amabat, & abstinentia exercebatur. Annum agens vigesimum militiæ nomen dare coactus est in bello Constantini contra Maxentium. Navi cum pluribus aliis impositus, vespere ad quamdam urbem pervenit, quorum cives juvenum miserti, quod inviti ad militiam abducerentur, omnia hospitibus officia liberaliter exhibebant; interrogavit Pacomius, quinam essent hi homines, tanta in hospites charitate? responsum est, esse Christianos; ipse iterum, quid hoc Nominis esset? docent alii, Christianos esse hominum genus, qui in JEsum Christum unicum Dei Filium credebant, & omnibus beneficia præstare studebant, bonorum operum mercedem in vita futura sperantes. Hæc audiens Pacomius, levatis in cœlum manibus, ait: *Omnipotens Deus! qui creasti Cœlum, & terram! si me ex hac afflictione eripueris, & modum optimum tibi serviendi ostenderis, hunc omnibus diebus vi-*

An. 313.

tæ

tæ meæ tenebo. Iter igitur prosequebatur, & quoties tentatio invaderet, sensuumque illecebræ blandirentur, memoria promissi, Deo facti, animum obfirmabat. Sæculum IV. A. C. 313.

Ubi finis belli fuit, Pacomius, missione obtenta, in Thebaiden reversus, Ecclesiam cujusdam oppidi, nomine Chinoboſci, adiit, ubi inter Catechumenos receptus, haud multo post baptizatus est. Cum deinde fama didicisset, quemdam Senem Palemonem in intimo deserti Deo servire, abjecta omni mora, illuc se contulit, pulsavitque cellulæ ostium; Senex ostio semiaperto, voce, & vultu severus inquit: *quid petis?* dixit Pacomius: *Deus me misit ad te, ut Monachus essem.* Palemon respondit: *non potes hic esse Monachus; non res est facilis, monastice vivere, plures huc venerunt, quod eos tæderet in Mundo vivere, & non perseverarunt.* Pacomio ulterius instante, subjunxit Palemon: *dixi jam tibi, te in hoc Monasterio suscipi non posse; vade in aliud, & si ibi aliquamdiu pœnitentiam egeris, tunc potero te recipere. Scito autem Fili mi! & perpende, me nullo cibo uti, nisi pane & sale; nunquam oleum adhibere, non vinum bibere; mediam noctem vigilare, eamque recitandis Psalmis, aut S. Scripturæ meditationi impendere, non nunquam tota nocte quietem non capere.* Hæc audiens trepidabat

Sæculum IV. A. C. 313.

dabat Pacomius, omnia tamen promisit tanto fidei fervore, ut victus S. importunitate Palemon aperto ostio habitum Monasticum supplici dederit. Ex his sacrorum Exercitiorum antiquitas dispicitur, quippe S. Pacomii Conversio serius, quam anno 313. contingere non potuit.

An. 313.

Igitur apud S. Palemonem mansit; labor manuum ejus erat filare villos saccis faciendis, ut haberent, unde pauperes alerent. Quadam die Paschæ Palemon jussit Pacomium cibum parare pro festi Solemnitate; Pacomius sali, quo olera sylvestria condire solebant, parum olei immiscuit, quod ubi Palemon vidit, frontem verberans, cum lacrymis dixit: *Dominus meus crucifixus fuit, & ego oleum comedam?* nec, ut comederet, persuaderi potuit. Quandoque comedens potu abstinebat, quandoque potum sumebat sine cibo. Fratribus hortantibus, ut propter corporis infirmitates levamen admitteret, exempla Martyrum allegabat, longe graviora pro JEsu Christo patientium; utpote quos tempore Persecutionum ipse viderat. Cum aliquando profundius in Regionem Tabennæ dictam penetrasset, oranti vox allabitur: *hic mane Pacomi! & Monasterium conde, multi enim quærent te amore salutis, quos secundum Regulam a me tibi tradendam diriges;* simul Angelus apparet, porrigens tabu-

S. Pacomius.

tabulam, qua Regula, exinde ibi obſervata, ſcripta erat. Hanc viſionem Palemoni narrans, rogabat, ut ſecum illuc iret; tum exſtructa parva cella, ibi habitare cœperunt. S. Palemon non multo poſt tempore in bona ſenectute obdormiit. Poſt hæc Joannes S. Pacomii frater natu major fratrem quæſitum venit, manſitque apud eum vitam cœnobiticam agens; quæ ſibi, labore manuum ſuarum comparata, ſupererant, pauperibus, nulla in diem ſequentem ſervata parte, diſtribuebant. Veſtes non mutabant, niſi illas lavandi neceſſitate exigente; S. Pacomius ſemper cilicio induebatur. Annis quindecim nunquam ad ſomnum capiendum decubuit, ſed in medio cellæ ſuæ ſedens, ne quidem reclinato ad parietem capite, quieſcebat. Ut plurimum ſtans orabat decuſſatis brachiis, non nunquam totas noctes in eodem ſitu perdurans. Poſtquam Joannes diem obiit, aliquo tempore Pacomius ſolus fuit, multis illuſionibus, & tentationibus Dæmonis vexatus. Interea Monaſterium ædificabat recipiendæ Diſcipulorum multitudinis, juxta promiſſum ſibi e cœlo datum, amplitudine ſua capax. Aliquoties Monachi cujusdam, nomine Apollonis, ad ſe inviſentis ſolatio recreabatur, qui ultimo veniens in placida Senectute apud eum diem clauſit; hunc ſuis ipſe manibus

Sæculum IV. A. C. 313.

Sæculum IV. A. C. 313.

bus terræ mandavit. Sæpe Pacomius ſuper ſerpentes, & ſcorpiones ambulabat, nec illi nocebant. Sæpe fluvium ſuperaturus, crocodilis dorſum ſubjicientibus, ferebatur. Talis erat tunc temporis Monachorum vita in Ægypto, ubi plura Monaſteria in deſertis variis fuerant exſtructa.

§. IX.

S. Hilarionis initia.

Hier. vita Hilar.

In alia orbis parte, nempe in Palæſtina, in hoc vitæ genere clareſcebat S. Hilarion, in quodam oppido nomine Tabathe natus, quinque milliariis ab urbe Gaza ad Orientem diſtante. Parentes ejus Idololatræ puerulum Alexandriam miſerunt, ut Grammaticæ operam daret; multum tam in litteris, quam in virtute profecit, & credens in JEſum Chriſtum, relictis profanis ſpectaculis, Eccleſiæ conventus frequentabat. Cum ad ejus aures perveniſſet S. Antonii fama, cujus nomen in Ægypto celebrabatur, ad eum in deſertum profectus eſt, &, ſtatim veſtitu mutato, ferme duos menſes apud eum manſit, eandem vitæ rationem ſervans, nempe in oratione aſſiduitatem, in excipiendis fratribus humilitatem, in reprehendendo ſeveritatem, in exhortando vigorem, in rigore perſeverantiam. Sed multitudinem eorum, qui, ut ſanarentur,

rentur, aut liberarentur a dæmonibus, confluebant, non ferens, ſibique S. Antonii exemplo in principio converſionis neceſſariam ſolitudinem judicans, cum quibusdam Monachis in Patriam rediit; ubi Parentibus jam defunctis, bonorum partem fratribus, alteram pauperibus diſtribuit, ſibi omnino nihil reſervans. Tunc plures, quam quindecim annos non numerabat, atque agebatur annus Chriſti 307. Deſertum ſeptem Milliariis Majuma diſtans in habitationem ſibi elegit; monuerant quidem propinqui, & amici locum iſtum rapinis, & latrociniis eſſe infamem, ipſe autem nullam niſi æternam mortem timebat. Omnibus tanta animi fortitudo in juvenilibus annis, & corpore delicato admirationem movebat. Primis receſſus diebus prædones, eum invenientes, interrogabant, quid facturus eſſet, ſi adveniſſent latrones; ipſe reſpondit: *nihil habenti, nihil auferent, hinc non timeo;* dixerunt: *at vitam tibi poſſunt adimere; verum hoc quidem*, ait: *ſed vel ideo latrones non timeo, quia mori paratus ſum.* In hac eremo multas Dæmonum tentationes tulit, & poſt annos viginti duos, id eſt, vitæ ſuæ trigeſimo ſeptimo, circa annum Chriſti 329. miraculis innotescere cœpit.

Sæculum IV. A. C. 313.

S. Hilarion.

Sacco indutus erat, & tunica hirſuta, quam a S. Antonio acceperat, humeros pallio-

Sæculum IV. A. C. 313.

palliolum tegebat, quale ruriculæ gestabant. A vastissima eremo, inter mare, & paluſtria sita, non discessit, sed prædonum metu sæpius habitaculum mutabat; postquam sol occidisset quindecim ficubus reficiebatur. Si vero voluptate tentaretur, minuebat hanc refectionem; non nunquam tres, aut quatuor dies omni alimento abstinebat. Præter juncinos calathos, quos ad imitationem Monachorum Ægyptiorum conficiebat, ut panem lucraretur, etiam terram arabat. Hoc vitæ rigore ita corpus attenuavit, ut præter pellem, & ossa, vix alia parte constaret. Matta ex juncis contexta, in terram strata pro lecto, & angustissima cella sepulchro, quam hominis viventis domui similior erat. Capillos non nisi tempore Paschali radebat; saccum non lavabat, dicens, superfluum esse nitorem in cilicio quærere; nec deponebat tunicam, nisi usu penitus detritam. Diversam annis diversis sumpsit refectionem, at ultra annos triginta, unciis sex panis hordeacei, cum oleribus aliquantulum igne decoctis nutritus est, post comestionem potum sumebat, ex farina & contusis oleribus mixtum quinque unciarum pondus non excedentem. In hac pœnitentia vixit octoginta annos, & circa annum 372. beato fine decessit.

§. X.

Sæculum IV.
A. C. 313.

§. X.

Donatiſtarum motus.

Conſtantinus Imperator Anulino Proconſuli Africæ, & Patricio Præfecti Prætorianorum Vicario in mandatis dederat, ut in eos inquirerent, qui pacem Eccleſiæ Catholicæ turbabant, & ſuis erroribus populum inficere conabantur; hi autem nulli alii erant, quam Donatiſtæ. Scribens Imperator ad Cæcilianum Episcopum Carthaginenſem, in fine epiſtolæ, a nobis relatæ, jubebat eum ad eosdem Judices recurrere, ut, quod juſtum eſſet, ab inſanis hominibus extorqueret. Anulinus, ut ſibi imperatum erat, Donatiſtas ad pacem hortatur; paucis poſt hæc diebus quidam ex factione Cæciliano adverſaria, accitis quibusdam ex populo, fasciculum litterarum obſignatum, & libellum apertum tradunt, inſtantiſſime rogantes, ut hæc ad aulam transmitteret. Inſcriptio faſciculi talis erat: *Libellus Eccleſiæ Catholicæ de Criminibus Cæciliani a fautoribus Majorini præſentatus.* Libellus apertus, & faſciculo colligatus hujus erat tenoris: *Rogamus te Conſtantine! Imperator potentiſſime! te, natum ex ſtirpe juſtorum, cujus Parens inter omnes unus invenitur, qui nos non eſt perſecutus, ut, quoniam Gallia hujus criminis expers eſt, ex Gallia nobis judices con-*

apud Euſ. l. hiſt. c. 6.

Sup. n. II.

apud Aug. ep. 88.

apud Op. L. 1.

Sæculum IV. C. A. 313.

ſtituas, qui de lite noſtra, in Africa cum aliis Epiſcopis exorta, pronuntient. Datum a Luciano, Digno, Naſſutio, Capitone, Fidentio, aliisque ex parte Majorini Epiſcopis.

Imperator, acceptis litteris, & relatione Anulini, reſcripſit, ut Cæcilianum, & Adverſarios ejus, ex utraque parte decem Clericos Romam mitteret ad diem ſecundam Octobris, ut Epiſcoporum judicium ſubeant; Anulino mandata exequente, & quod feciſſet, ad Imperatorem referente, Imperator ad Melchiadem Papam quoque ſcripſit, & Epiſcopos Galliæ, Italiæque, ut eadem die Romæ convenirent, miſſis ſimul litteris omnibus, ab Anulino acceptis, quæ ad hoc negotium ſpectabant. Epiſtola hæc ad Papam ſimul etiam ad Marcum dirigitur, atque idem fuiſſe creditur, qui deinde S. Sylveſtro ſucceſſit. Tenor epiſtolæ Imperatoris hic erat: *Viſum nobis, Cæcilianum Romam mittere cum decem Epiſcopis ex accuſatorum ejus numero, aliisque decem, quos defendendæ cauſæ ſuæ aptiſſimos putaverit, ut in præſentia tua, atque Reticii, Materni, & Marini Collegarum tuorum, quos Romam adire juſſi, ſecundum ſanctiſſimas leges, ſicut noſti, audiri poſſint.* Reticius, aliique duo erant Epiſcopi Galliæ.

§. XI.

§. XI.

Sæculum IV.
A. C. 313.

Concilium Romanum.

Cæciliano cum decem Episcopis Catholicis, & aliis decem adversæ factionis, quorum Princeps Donatus a Casis nigris, Romæ dicta die comparentibus, Concilium in Palatio Imperatricis Faustæ, quod domus Lateranensis dicebatur, eadem die 2. Octob. 313. die veneris congregatum est. Melchiades Papa Concilio præerat. Deinde sedebant tres Episcopi Galli, Reticius Augustodunensis, Maternus Colonienſis, Marinus Arelatensis; post hos quindecim Episcopi Itali, Merocles Mediolanensis, Stemnius Riminensis, Felix Florentinus, Gaudentius Pisanus, Proterius Capuanus, Theophilus Beneventanus, Savinus Tarracinensis, Secundus Prænestinus, Maximus Ostiensis, & quidam alii, universim cum Pontifice Episcopi novemdecim. Notabilis est ordo sessionis, ex eo præcipue, quod Episcopi Galliæ primo loco sedeant, & quod Episcopi Ostiensis, & Prænestinus quamvis S. Pontificis Suffraganei non præcedant. Reticius Augustodunensis, vir illo tempore magnæ auctoritatis, quædam scripta reliquit, quæ nobis injuria temporum abstulit. Tribus diebus in hoc Concilio laboratum cum Notariis, qui simul acta, id est, dicta, & responsa omnia

Optat. l. 1. coll. Carth. Aug. ep. 172. A. 313.

Aug. I. Julian. c. 3. n. 7.

Sæculum IV. A. C. 313. omnia in ordinem redigebant. Prima die judices perquisierunt, quinam essent Cæciliani accusatores, & quinam illi, qui

A. 313. contra eum testes adducebantur. Episcopi ex parte Majorini Libellum accusationis a sua factione contra Cæcilianum scriptum obtulerunt, volebantque, ut tanquam ab universo populo Carthaginensi accusatus haberetur; at Judices nullam hujus accusationis rationem habuere, quod confusos multitudinis clamores contineret, & nullum nominatim accusatorem; testes requirebant, & accusatores tales, qui suo nomine causæ hujus sortem in se susciperent; illi vero, quos Donatus, aliique factionis contra Cæcilianum Episcopi produxerunt accusatores, & testes, nihil se mali de ipso scire edixerunt.

Tum Cæcilianus Donatum accusat, quod vivente adhuc dum Mensurio schismati Carthaginensi initium fecerit; quod rebaptizaverit, quod Episcopis, in persecutione lapsis, iterum manus imposuerit; tandem inquit: Donatus, & Collegæ ejus, ne accusatores mei, & testes, a se ipsis ex Africa huc adducti, in judicio comparerent, vetuere, tanta vis malæ conscientiæ, & ne conficta calumnia ab omnibus agnosceretur, timor fuit. Donatus se quidem

A. 313. rebaptizasse, & lapsis Episcopis manus imposuisse non negavit, sed personas ad tractan-

tractandam hanc causam necessarias, quas ipse submovisse insimulabatur, adductu- Sæculum IV. A C. 313.
rum se promisit; cum vero bis promisisset, recessit, nec ultra in Concilium redire ausus est, timens, ne propter crimina, quæ fuerat confessus, ipse præsens condemnaretur, qui alterius condemnandi causa tam longum iter esset emensus. Secunda die libellus aliquis delatorius contra Cæcilianum Judicibus traditur; delatores examinantur, & delationis capita; dicebantur aliqua, quæ nulla ratione probabantur.

Die tertia ad examen revocatum est *A.* 313.
Concilium Carthagine a septuaginta Episcopis habitum, qui Cæcilianum, & ordinatores ejus damnaverant; hoc Concilium adversariis pro Achille erat, septuaginta Episcoporum numerum crepabant, cumque omnes fuissent ex Africa, haud dubie cum perfecta cognitione causæ judicasse. Melchiadi tamen Papæ, cæterisque Concilii Romani Episcopis Concilium Carthaginense nullius ponderis fuit, quod ibi Cæcilianum absentem, & inauditum damnassent; porro Cæcilianus absentiæ suæ causas omnino legitimas afferebat, non enim nesciebat hos Episcopos Carthaginem a suis adversariis vocatos, apud eos divertere, & factiosa consilia communicare. Perbene sciebat Purpurii Episcopi Limatensis minas, cu-

Sæculum IV. A. C. 313.

jus viri in agendo violentia omnibus nota erat. Igitur Episcopi Concilii Romani nihil eorum, quæ in Concilio Carthaginensi acta fuissent, etiam probatum esse judicavere, an nempe Felix Aptungitanus esset traditor, aut quis eorum, a quibus Cæcilianus fuisset ordinatus; difficilis æque visa est quæstio, & inutilis; difficilis quidem, quia testes examinandi erant, acta discutienda, & Cæcilianus accusatores suos eodem crimine accusabat, quod nempe SS. Scripturas tradidissent, idque propria ipsorum confessione in Concilio Cirthano constabat; inutilis etiam erat quæstio, an Felix traditionis reus esset, quia, quamvis fuisset, tamen non sequebatur, ordinationem Cæciliani esse nullam, cum regula certa staret, Episcopum, quamdiu nullo judicio Ecclesiastico damnatus, aut depositus, in suo gradu esset, tamdiu legitime alios ordinare, & cœteris actibus Episcopalibus fungi.

313.

Sup. l. IX. §. 13.

Concilium Romanum in causa Donatistarum.

Visum itaque Patribus hanc quæstionem omittere, ne novas lites in Ecclesia Africæ, quam pacificare debebant, moverent. Cæcilianum innocentem declararunt, & ordinationem approbarunt; Episcopos, qui eum condemnaverant, a sua communione non ejecerunt, nec eos etiam, qui ipsum accusatum missi fuerant. Solus Donatus a Casis nigris damnatus est, tanquam omnis mali auctor, &

Aug. ep. 30.

& gravium criminum proprio ore convictus. Aliis licentia facta suas Sedes retinendi, quamvis extra Ecclesiam a Majorino ordinatis, cum conditione, ut schismati renuntiarent. Statutum ergo, ut in omnibus locis, ubi duo Episcopi invenirentur, alter a Cæciliano, alter a Majorino ordinatus, ille sedem teneret, qui ordinationis tempore esset prior, alter ad aliam sedem transferretur.

Hæc fuit Romani Concilii sententia, ubi singularis discretio elucet, & memorabile in rigore canonum dispensationis exemplum, amore pacis datum. In hoc Concilio singuli Episcopi opinionem pro more dixerunt, S. Pontifex Melchiades deliberationi finem imposuit suam opinionem proferendo in hunc modum: *cum constans & notum sit, Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerant, & accusare promiserant, non fuisse accusatum, & nullius delicti fuisse convictum, arbitror in omnibus juribus suis, & communione Ecclesiastica esse confirmandum.* Quæ super alia accusationis capita pronuntiavit, non habemus. S. Pontifex, & Episcopi, missis actis, Imperatori Constantino Concilii eventum perscripsere, & Cæciliani accusatores statim in Africam esse reversos. Miltiades, seu Melchiades Papa tertio post hæc mense obiit, decima Januarii, postquam S. Sedem tenuit annis duo-

A. 313.

Const. ep. ad Elaf. Chr. Dam. Pagi. a. 313. *n.* 13.

Sæculum IV. A. C. 314.

bus, & medio. Trigesima prima ejusdem mensis S. Sylvester successit.

S. Sylvester Papa.

Donatus a Casis nigris petiit, ut sibi liceret reverti in Africam, promittens se nunquam Carthaginem iturum. Quidam nomine Philumenes, qui apud Imperatorem Donati causam tuebatur, postulavit, ut amore pacis Cæcilianus Brixiæ in Italia retineretur, quod impetravit. Interim duo Episcopi Eunomius, & Olympius in Africam mittuntur, qui quadraginta diebus Carthagine morati, volebant declarare, ubi esset Ecclesia Catholica, atque illis, qui Donato adhærebant, id impedire conantibus, quotidie tumultus fervebant. Tandem Eunomius, & Olympius pronuntiarunt, Ecclesiam Catholicam esse illam, quæ per totum Mundum esset diffusa, nec Judicium Romæ a Novemdecim Episcopis latum ulla ratione infirmari posse; itaque cum Cæciliani Clericis communicarunt, iisque, quæ fecissent, in acta conscriptis, reversi sunt. Interim Donatus contra fidem datam Carthaginem venit, quod ubi Cæcilianus intellexit, & ipse celeriter ad gregem suum rediit. Sicque inter duas partes dissensio duravit.

A. 314. *Const. ep ad Flaf. & ad Chreſt.*

Donatistæ Constantino molesti erant continuis accusationibus, Cæcilianum indignum esse, qui functiones Sacerdotales exerceret; respondit, hanc causam Romæ

mæ deciſam fuiſſe a Judicibus omni ex- Sæculum IV.
ceptione majoribus; clamabant ipſi, non A. C. 314.
integram cauſam fuiſſe auditam, Epiſcopos parvo numero ſe quodam loco incluſiſſe, atque pro lubitu, & feſtinanter ſententiam præcipitaſſe. Prætextus dicendi totam cauſam non fuiſſe auditam, erat accuſatio Felicis Aptungitani, quam examini ſubjicere Concilium Romanorum ſuperſederat.

§. XII.

Felicis Aptungitani abſolutio.

Ut his querelis finem faceret, ſcripſit Conſtantinus Vero, ſeu Verino Præfecti Prætorii Vicario, mandans, in hanc cauſam inquireret; Verino ægrotante, Ælianus Africæ Proconſul mandata executus eſt; is omnes interrogavit, quibus hujus rei notitia eſſe poterat, ſcilicet, an Felix Epiſcopus Aptungitanus SS. Scripturas tempore perſecutionis tradidiſſet; convocavit ad quæſtionem Claudium Saturianum, qui anno perſecutionis, nempe 303 Reipublicæ Aptungitanæ Curator fuerat; Alfium Cæcilianum, qui fuerat eodem anno Magiſtratus, ſeu Duumvir. Callidium Gratianum, qui hoc anno 314 eodem munere fungebatur, Superium militem Stationarium, Ingentium Notarium, qui, aliquam Epiſtolam Alfii

Sæculum IV. A. C. 314.

Cæcilianii ad Felicem corrupisse, accusabatur, Solonem famulum publicum cum quibusdam aliis; Hos Ælianus interrogavit decimo quinto Calendas Martii, nempe decima quinta Februarii, 314. Volusiano, & Anniano Consulibus. Magnam partem hujus Processus verbalis habemus, in quo post lectionem quorumdam Actorum Proconsulis Officialis aliquis, nomine Agesilaus, verosimiliter ex eorum numero, qui Exceptores dicebantur, ita loquitur:

Aug. post. coll. c. 33. Miscell. Baluzii to. 2. An. 314.

Sunt & aliæ Epistolæ ad hujus causæ cognitionem necessariæ, quas legi multum interest. Proconsul Ælianus dixit: *Lege omnino in præsentia Cæciliani, ut dignoscat, an eæ sint, quas dictavit.* Agesilaus actum quoddam Carthagine legit hujus tenoris: *Actum in judicio coram Aurelio Didymo Speretio, Jovis Sacerdote, & urbis Carthaginensis Duumviro.* Maximus dixit: *Nomine Seniorum populi Christiani, Legis Catholicæ, eloquor.* (Nempe nomine Donatistarum loquebatur) pergit in hunc modum: *Judicio nobis persequendi sunt coram Imperatoribus Cæcilianus, & Felix, Religionis Imperium invadentes; tanti criminis argumenta quærantur; quippe persecutione Christianorum demandata, id est, ut sacrificarent, aut omnes Scripturas, quascunque haberent, comburendas*

das traderent, *Alfius Cæcilianus, quem* Sæculum IV. A. C. 314.
præsentem vides, tunc Magistratum gerebat; officio suo tenebatur Proconsulis Imperium exequi, & omnes ad sacrificandum, & tradendas Scripturas cogere; vides eum annis gravem, ad aulam proficisci non posse, rogo te igitur, ut jam coram te edicat, an litteras scripserit super conventione, quam in hoc negotio inierat, & an sincerus sit harum litterarum tenor, ut Imperator veritatem edoceri possit. Duumvir Speretius ad Cæcilianum præsentem ait: *An hanc requisitionem intellexisti?*

Alfius Cæcilianus ait: *Zamam iveram cum Saturnino, lineas empturus. Ubi illuc pervenimus, ipsi Christiani ad me in Prætorium miserunt, quærentes: an mandatum Imperatoris accepisti?* Respondi: *Non accepi, sed illius mandati descripta exempla vidi, & tum Zamæ, tum Furnis Ecclesias dirui, & Scripturas comburi; date igitur Scripturas, si quas habetis, ut Imperatoris mandato satis fiat; tunc ad domum Episcopi Felicis miserunt, qui Scripturas efferrent, & comburerent. Galatius nobiscum venit ad locum, ubi simul orare consueverant, cathedram, Epistolas circulares, portas abstulimus, omniaque juxta Imperatoris mandatum igne consumpta sunt. Cum ad domum Episcopi Felicis* An. 314.

Sæculum IV. A. C. 314.

licis misimus, Ministri publici nobis retulerunt, ipsum esse absentem. Verum est, quod exinde, cum Ingentius Augentii Scriba, quocum simul Ædilis fui, ad me venisset, dictaverim Augentio Epistolam ad eundem Felicem Episcopum.

Maximus ait: *Ostendatur ipsi Epistola, ut agnoscat eam.* Cæcilianus respondit: *Est ipsissima.* Maximus: *Cum ergo Epistolam esse suam fateatur, legam illam, & rogo, ut integra actis inseratur.* Tunc legit in hæc verba: *Cæcilianus Patri suo Felici salutem: cum Ingentius ad Collegam meum Augentium amicum suum venisset, ut quæreret, num anno Duumviratus mei quædam Scripturæ Legis vestræ juxta mandatum Imperatoris fuerint combustæ? respondi, me nihil aliud scire, quam quod Galatius, ex vestris unus, ex Ecclesia publice litteras missivas extraxerit. Precor, mi chare Pater! ut diuturna valetudine fruaris.*

An. 314.

Hic erat Epistolæ finis, sed hæc adjuncta leguntur, quasi Cæcilianus pergeret ad Felicem loqui: *Dicis mihi: accipe clavem, & auffer libros, quos in Cathedra, & in lapide invenies,* (nempe verosimiliter in altari) *sed cura, ne Ministri oleum, & frumentum tollant; dico tibi: An nescis, domum illam, in qua Scripturæ inveniuntur, ex mandato*

Sæculum IV. A. C. 314.

to subvertendam esse? Dicis mihi: Quid ergo faciemus? Dico tibi: Aliquis vestrum portet eas in locum, ubi ad orandum convenitis, veniam deinde cum Ministris, & aufferam. Venimus etiam, ut placuerat, omnia ex conventione tulimus, & juxta mandatum Imperatoris conflagrarunt. Ex hac Cæciliani Epistola Donatistæ volebant probare, Felicem Episcopum Aptungitanum esse Traditorem. Hac lecta Maximus ait: *Cum lecta fuerit Epistola, & mississe se eam fateatur, peto ut ista inserantur.* Speretius Duumvir dixit: *Quæ dixistis, scripta sunt.*

His prælectis, quæ Carthagine coram Speretio acta fuerant, Agesilaus coram Proconsule Æliano ait: *Cæcilianus Epistolam suam esse agnoscit, & dicit, ea, quæ ad finem adjecta sunt, esse aliena, non sua.* Cæcilianus dixit: *Domine! dictavi usque ad hæc verba: precor, chare Pater mi! ut diuturna valetudine fruaris.* Hæc etiam omnino vulgaris Epistolarum clausula erat. Apronianus, Catholicorum fautor, inquit: *Ita nimirum, his qui uniri Ecclesiæ Catholicæ noluerunt, fraudibus agere semper familiare fuit, nihil referre putant terrore, an Mimo decipiant, per fas aut nefas, veritate, aut mendacio vincant. Cum Paulinus Vicarius Africæ esset,* 314. *priva-*

Quæstio habita de Donatistis.

Sæculum IV. A. C. 314.

privatus quidam, ad id ſubornatus, curſoris officio fungebatur, ut Catholicos terreret; ſed fraus facile ſuboluit; nempe S. Epiſcopum Felicem calumnia onerare volebant, eum Scripturas tradidiſſe, & combuſſiſſe. Ita etiam Ingentius, ut S. Epiſcopo Cæciliano noceret, proditorem egit, falſas Epiſtolas Epiſcopi Felicis ad Duumvirum Cæcilianum ferens, fingensque, ſe ad eum a Felice miſſum; ipſa mentientis verba memoria teneo, & dicam; Proconſul ait: *Edic!*

Apronianus dixit: *Hæc ſunt verba, quæ nomine loquentis Felicis confinxit: Dicas amico meo Cæciliano: undecim magni pretii volumina librorum divinorum accepi, & quia modo a me exigunt, ut reſtituam, dic, te ea Magiſtratus tui tempore tradidiſſe flammis. Hoc ſuper articulo Ingentius interrogandus eſt, quas fraudes, & technas cuderint, quomodo ipſe virum Magiſtratu functum ad mentiendum voluerit inducere, ut Felicis famæ detraheret, ſimulque honori, & ordinationi Cæciliani labem inferret. Dicat, a quo miſſus fuerit, eſt enim quaſi adverſariorum noſtrorum per Mauritaniam, & Numidiam explorator.*

Cum Ingentius eſſet præſens Proconſul Ælianus ad eum ait: *Cujus mandato feciſti, quod tibi objicitur?* Ingentius ait:

Sæculum IV. A. C. 314.

ait: *Ubi?* Proconsul: *Quia simulas te non intelligere, quæ interrogaris, dicam clarius: Quis te ad Magistratum Cæcilianum misit?* Ingentius: *Nemo me misit.* Proconsul: *Quomodo ergo illuc venisti?* Ingentius: *Causa Mauri Episcopi Uticensis, qui Episcopatum emerat, agitabatur. Felix Episcopus Aptungitanus in urbem venit, dicens: nemo cum eo communicet, quia crimine falsi tenetur. Dixi: Nec cum ipso, nec tecum, quia traditor es. Quippe Mauri sortem dolebam, cujus hospes fueram, & quocum, persecutionem fugiens, in externis Regionibus communicaveram. Exinde tres Seniores in Felicis Patriam duxi, ut cognoscerent, an vere traditionis reus esset, vel non esset?* Apronianus dixit: *Non est iste modus, quo ad Cæcilianum venit, ut in ejus facta inquireret.* Proconsul ad Cæcilianum: *Dic! quomodo Ingentius ad te venerit.* Cæcilianus respondit: *Venit, me prandente cum operariis meis, stans in foribus dixit: Ubi est Cæcilianus? Respondi: Adest. Quid agitur? an omnia salva sunt? ipse, ita sunt, inquit: Dixi ego: Vis nobiscum prandere? Respondit: Mox iterum redibo. Rediit solus, & sic ad me loqui orsus est: jussus sum inquirere, si quæ Scripturæ anno tui Duumviratus combustæ fuerint? Respondi: Im-*

portu-

Sæculum IV. A. C. 314.

portunus es mihi, proditor es, apage hinc! rediit cum Collega meo, quocum Ædilis fui, erat is Augentius, qui tunc ad me: Felix Episcopus noster misit hunc virum, ut ipsi scribas; legationis causa est, quod magni valoris libros acceperit, quos cuperet retinere; scribe, quod anno tui Duumviratus fuerint combusti. Respondi: Hæccine est Christianorum fides!

§. XIII.

Ingentius Falsi convictus.

An. 314. Ingentius se premi sentiens, ait ad Proconsulem: *Domine! etiam Augentius adsit. Fama mihi servanda mea est, & litteras ejus habemus.* Proconsul ad Ingentium: *Aliunde convictus es.* Et ad Ministros: *Ligetur*, & deinde: *suspendatur*; nempe in equuleo. Tum ad Cæcilianum: *Quomodo Ingentius ad te venit?* Cæcilianus respondit: *Dixit ad me: Episcopus noster Felix huc me misit, ut ipsi scribas; est inquit: quidam miser, cujus libri pretiosi apud me sunt, quos nolo restituere, scribe ad me, eos fuisse combustos, ut eos retinere possim. Tunc dixi: Quæso te! estne hæc bona hominis Christiani fides! & increpare eum cœpi; hic Collega meus ad me: Scribe ad Episcopum nostrum Felicem. Dictavi ergo Episto-*

Epistolam, & quousque eam dictaverim, patet. Ex his videri posset, Cæcilianum litterarum nescium fuisse. Sæculum IV. A. C. 314.

Proconsul dixit: *Audi sine timore tuæ Epistolæ prælectionem.* Legit eam Agesilaus talem, qualis superius actis Speretii tunc Carthagine Duumviri inserta est. Ubi hæc verba legisset: *Precor, chare Pater mi! ut bona valetudine sis!* Proconsul dixit ad Cæcilianum: *Huc usque dictasti? ita est*, respondit: *Reliqua sunt falsa.* Perrexit in lectione Agesilaus sicut supra, & iterum Cæcilianus: *Hæc sunt falsa. Mea Epistola in illis verbis finitur: precor chare Pater mi! ut bona valetudine fruaris!* Proconsul: *Quem credis, Epistolæ tuæ aliqua addidisse?* Cæcilianus: *Ingentius ille est.* Proconsul: *Declaratio tua in actis est.*

Tum ad Ingentium: *Ecce jam torqueberis, si mentiaris*, Ingentius: *Peccavi! ego ad Epistolam adjunxi, ad id dolore ob Mauri amici mei amorem concitatus.* Proconsul: *Imperatores Constantinus Magnus, & Licinius clementer Christianis favent, non passuri, ut ejus Religionis Disciplina corrumpatur, sed ut servetur, vigilabunt. Ne igitur blandiaris tibi frustra, & speres, te, cum Decurio sis, non posse torqueri; torqueberis enim, ut mentiri desinas. Omnes* A. 314.

Sæculum IV. A. C. 314.

sciunt, mentiri Christianorum non esse. Fatere ergo simpliciter, ut tormenta effugias. Ingentius: *Confessus sum ante tormenta.* Tunc Apronianus ad Proconsulem: *Rogo, ut pro tua Benignitate ipsum interroges, qua auctoritate, quibus artibus, quo furore percitus totam Mauritaniam, imo & Numidiam percurrerit? Quomodo seditionum incentor in Ecclesia Catholica fuerit?* Proconsul ad Ingentium: *An in Numidia fuisti?* Respondit: *Domine! non fui. Probetur.* Subjunxit Proconsul: *Neque in Mauritania fuisti?* Ingentius: *Fui, mercaturæ causa.* Apronianus dixit: *In hoc ipso mentitur, Domine! cum dicat se fuisse in Mauritania, & non in Numidia, non enim in Mauritaniam via patet, nisi per Numidiam.* Proconsul ad Ingentium: *Cujus conditionis es tu?* Ingentius: *Sum Decurio Zicensis.* Tum Proconsul ad ministros: *Deponite eum.* Et ad Cæcilianum conversus, ut tentaret eum, ait: *Quæ dixisti, falsa sunt.* Cæcilianus respondit: *Neutiquam, Domine! voca eum, qui Epistolam scripsit, est amicus ejus, dicat, quousque dictaverim.* Proconsul: *Quis est ille, quem a me vocari vis?* Cæcilianus: *Augentius est, quocum Ædilis fui, ipse Epistolam scripsit, ipse solus est testis, quo probare possum, quousque dictaverim, eloquatur.* Proconsul: *Certum*

A. C. 314.

tum est igitur Epistolam esse falsam? Cæcilianus: *Ita Domine! per vitam meam, non mentior!* Proconsul: *Cum in urbe tua Duumvir fueris, verbis tuis credendum.* Apronianus ait: *Nihil antiquius habent isti, quam fallere, addiderunt ad acta, quæcunque voluerunt; homines decipere ars illorum est.* Sæculum IV. A. C. 314.

Proconsul dixit: *Cæciliani assertio dicentis, acta fuisse adulterata, & multa suæ Epistolæ fuisse adjecta, clare probant, quo fine id Ingentius fecerit; ducatur in carcerem; majori rigore quæstio de ipso habenda. De S. Episcopo Felice patet, ipsum nullas Scripturas divinas combussisse, cum nemo probaverit, eum saltem aliquas tradidisse. Ex omnibus enim quæstionibus habitis apparet, nullas Scripturas corruptas, aut adustas fuisse inventas. S. Episcopum Felicem nequidem fuisse præsentem, nihil tale jussisse, nec eorum quæ fiebant, ipsi cognitionem fuisse.* Agesilaus dixit: *Quid tua Amplitudo de istis fieri jubet, qui ad quæstionem vocati sunt?* Proconsul Ælianus dixit: *Domum redeant.* Ad Imperatorem relationem omnium eorum, quæ fecerat, & ipsa acta remisit. Post hæc Constantinus ad Probianum Proconsulem Africæ, Æliani successorem scripsit, ut Ingentium falsarium cum fida custodia ad se mitteret, sicque *Aug. coll. a. 3. c. 559.* A. 314. *Epist. Const. ad Prob.*

Sæculum IV. A. C. 314. accusatores Episcopi Cæciliani confunderentur.

§. XIV.

Concilium Arelatense.

Interim Constantinus continuis fatigatus querelis Donatistarum, dicentium, Concilium Romanum paucorum Episcoporum fuisse, ut tumultuandi prætextum aufferret, Concilium non solum numerosius, sed etiam in Galliis, quod maxime cupiebant, scilicet in urbe Arelatensi convocare statuit. In hunc finem Ablavio, seu Elavio Africæ Vicario, qui Christianus erat, datis litteris mandavit, Cæcilianum mitteret cum aliquibus, quos ipse comites eligeret, & alios Episcopos ex Provinciis Africæ, nempe Proconsularis, Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiæ, & Mauritaniæ cum comitibus, quos quisque sibi adsciscceret; mitteret etiam aliquos de factione Cæciliano contraria; singulis Episcopis Epistolas daret, quibus Provinciæ ad profectionem eorum necessaria suppeditare juberentur; itinere terrestri, quantum fieri posset, scilicet per Mauritaniam, & Hispaniam venirent. Imperator ad Episcopos quoque scripsit, atque Epistola ad Chrestum Episcopum Syracusanum in Sicilia data exstat, sequentis tenoris: *Cum plures Episcopos ex diver-*

Epist. ad Ablav.

Euf. X. hist. c. 5.

diversis locis in urbem Arelatensem prima Augusti convenire jusserimus, visum nobis tibi scribere, ut vectura publica utens, quam tibi Latronianus Siciliæ Corrector procurabit, cum duobus comitibus secundi ordinis, quos volueris, & famulis tribus, qui tibi in via ministrent, in dicto loco, & dicta die compareas. In istis Epistolis ideo Personarum numerus exprimebatur, quia sic itinerantibus expensis publicis vectura, hospitium, & alimenta ministrabantur. Chrestus loco duorum Presbyterorum unicum Diaconum nomine Florum secum duxit. Ex hujus Epistolæ exemplo de aliis judicare licet, ad alios Episcopos datis, quippe verosimiliter erant circulares, quæ mutatis Episcoporum, & Præfectorum nominibus mittebantur. Etiam Papa ad hoc Concilium invitatus creditur; certe Legatos misit.

Sæculum IV. A. C. 314.

A. 314.

Subscr. Conc. Arel.

Episcopi igitur convenerunt in urbe Arelatensi dicta die, prima Augusti hujus anni 314. major cœteris Gallorum fuit numerus; ex subscriptionibus sedecim apparent, & inter hos tres illi, qui Concilio Romano interfuerant; minimum triginta tres Episcopi in hoc Concilio fuere præsentes; non nulli absentes pro se Presbyteros ablegarunt. Plures Galliæ Ecclesiæ nominantur, & inter alias Arelatensis, Massilienſis, Viennensis,

Valesf. de Schism. c. 9.

Sæculum IV. A. C. 314.

Lugdunensis, Augustodunensis, Remensis, Trevirensis, Colonienſis, Rothomagensis, & Burdegalensis. Ex magna Britannia Eboracensis, & Londinensis. Inveniuntur etiam non nulli Itali, Hispani, & Africani. Marinus Episcopus Arelatensis comites habuit unum Presbyterum, & quatuor Diaconos. Legati a S. Sylvestro Papa Roma missi, erant Presbyteri duo, Claudianus, & Vitus, & duo Diaconi Eugenius, & Cyriacus.

Concilium Arelatense in Causa Cæciliani.

A. 314.

Primo causa Cæciliani Episcopi Carthaginensis agitata est. Duo accusationis capita Donatistæ proferebant, unum Personale, quod, adhuc Diaconus tempore Persecutionis, jussu Episcopi Mensurii ad portam carceris cum flagellis, & armatorum manu stetisset, ut eos, qui Martyribus, in vinculis detentis, cibos portabant, arceret. In altero accusationis capite dicebant, Episcopos Cæciliani Ordinatores, & inter eos Felicem Aptungitanum, Scripturarum Traditores esse. Episcopi Concilii Arelatensis, sicut Patres Concilii Romani nullam accusationis probationem invenerunt, itaque iterum Cæcilianus absolvitur, & damnantur accusatores. Antequam autem separarentur ex hoc Arelatensi Concilio, Patres Disciplinæ Ecclesiasticæ canones condiderunt, quos cum Epistola Synodali ad S. Sylvestrum Papam miserunt.

Aug. brev. coll. 3.

Acta SS. Dativi, &c.

Ep. Synod.

In

In Capite visuntur nomina triginta trium Episcoporum, quorum primus est Marinus Episcopus Arelatensis, hinc in Concilio præsedisse creditur. Episcopi dicunt, se huc congregatos Imperatoris voluntate, & Donatistas a se condemnatos, tum subjungunt: *Utinam, charissime Frater! & tu magno spectaculo adfuisses! profecto plurimum severitatis eorum condemnationi accrevisset, plenius fuisset nostrum gaudium; sed non potes relinquere illa limina, ubi Apostoli præsident, & effusus eorum sanguis jugiter Dei Gloriam prædicat. Attamen non solam materiam, propter quam congregati eramus, tractandam existimavimus, sed etiam plures canones in præsentia, & inspiratione Spiritus S. & Angelorum ejus observandos edidimus; atque juxta antiquam consuetudinem tibi potissimum competere credidimus, ut statutos promulges, cui maxima Ecclesiastici Regiminis pars concredita est.* (*) Hujus Concilii statuta viginti duobus Canonibus absolvuntur.

Sæculum IV. A. C. 314.

A. 314.

(*) Hier setzet der Uebersetzer eine kleine Anmerkung, welche also lautet: *Baronius* hat vorgegeben, daß dieses *Concilium* diese *Canones* an den Pabst geschickt habe, um sich die Bestätti-

Sæculum IV.
A. C. 314.

§. XV.

Canones Concilii Arelatensis.

Canone primo statuitur; Pascha eadem die per totum mundum observandum, quam Papa pro consuetudine per epistolam omnibus Ecclesiis significaret. Hoc

stättigung derselben von ihm zu erbitten. Dieser Schluß aber lehret, daß es darum geschehen, weil er eine der größten Diöcesen unter sich gehabt. Die Worte: *cui maxima Ecclesiastici Regiminis pars concredita est.* Indeme du den größten Antheil an dem Kirchen-Regiment hast. hat der Uebersetzer gegeben: Weil du einen grossen Umfang der Kirche unter deiner Regierung hast. Das ist nicht redlich übersetzet; er setzet verfälschte Worte des Herrn Fleury, und des Concilii, und bauet Anmerkungen darauf. Ein herrliches Gebäu! So viel von der Verfälschung der Worte des Herrn Fleury. Nun sind die eigentlichen Worte des Concilii hier folgende: *qui Majores Diæceses tenes.* Der Uebersetzer giebt sie: Weil du einen grossen Umfang ꝛc. Er setzet an statt der vielfachen Zahl die einfache; das ist wiederum nicht redlich gehandelt. Der Herr Fleury hat hier nicht die Worte, sondern den wahren Sinn des Concilii gegeben. *Majores Diæceses tenes*, oder wie der Herr Fleury: *cui maxima Ecclesiastici Regiminis pars concredita est.* Das ist: Wie es auch der Anonymus I. versteht, weil du über die Metropoliten zu befehlen hast. Also hat der Uebersetzer auch die Worte des Concilii verfälscht.

Hoc ſtatutum ideo erat neceſſarium, quod aliqui Paſcha adhucdum decima quarta lunæ celebrarent, & Epiſcopis magnum malum minima diſſenſio eſſe videretur in celebratione Myſterii, quod eſt noſtræ Salutis fundamentum. Statuitur, omnibus Eccleſiæ Miniſtris in illis locis, ubi ordinati fuerint, permanendum, ſi, illis relictis, alio abierint, deponendos. Clerici uſurarii juxta legem Dei excommunicabantur. Diaconis prohibetur offerre, quod in pluribus locis faciebant. (*) Diaconi urbibus Epiſcopalibus nihil ſibi attribuant eorum, quæ ad Presbyteros pertinent, aut ſine eorum participatione quid faciant. Si quis Epiſcopus exterus in urbem venerit, detur ipſi locus ad S. Sacrificium offerendum. Nullus Epiſcopus ſolus alios Epiſcopos ordinet, ſed ſeptem alios ſecum aſſumat, aut ad minimum tres. Qui excommunicati fuerint, nullibi ad Communionem recipiantur, quam in eo-

Sæculum IV. A. C. 314.

Sup. l. III. §. 43. *Lib. VI.* §. 43.

Can. 2.

c. 21.

c. 12.

c. 15.

c. 18.

c. 19.

c. 20.

c. 16.

(*) Hæc verba non accipienda ſunt de oblatione Principali, ſeu Conſecratione, nullibi enim reperimus veſtigium, id Diaconos aliquando attentaſſe, ſed credibile eſt, quod ſimilem oblationem, qua Sacerdos ante Conſecrationem Panem, & Vinum Deo Patri offert, peragere præſumpſerint. Id ex verbis ſequentibus conjicitur, & non nihil clarius ex verbis Concilii Ancyrani, dicentis c. 2. Diaconorum eſſe oblationem præſentare; nempe quam deinde Presbyter offerret.

Sæculum IV. A. C. 314.

dem loco, ubi illa privati fuerint, ne quis Episcopus a Confratre suo spernatur.

Qui Militiam deserunt, Ecclesia pace fruente, excommunicentur. Imperatoribus jam Christianis, cessaverat causa Militiam abjiciendi, quod abesset Idololatriæ periculum. Fideles, qui in Circo aurigantur, & Theatro servientes, donec turpe vitæ genus dimiserint, excommunicentur. Horum Canonum rationes in tractatu Tertulliani de spectaculis dispiciuntur, ubi ostendit, eorum omnium fundamentum esse Idololatriam, nec facile quicquam corrumpendis moribus aptius his spectaculis. Rectores Provinciarum, quibus jam Fidelibus hoc munus collatum, communionis litteras sicut cœteri ab Episcopo suo accipiant, atque sub cura Episcopi, ubi officio suo funguntur, sint, qui eos excommunicandi potestatem, si Disciplinæ Ecclesiasticæ noceant, habet. Eadem de omnibus, qui muniis publicis funguntur, regula esto. Christiani ex una Provincia in aliam proficiscentes, ab Episcopo suo litteras accipiebant, quibus probarent, se esse in Ecclesiæ communione, & Romanis mos antiquus erat, munera publica Regionis indigenis non committere. Cum in Africa rebaptizandi consuetudo adhuc dum duraret, statuitur, ut si quis hæreticus ad Ecclesiæ sinum rèdeat, ab eo Sym-

c. 17.
c. 3. v. Aubesp. a. 314.
c. 4. c. 5.
Sup. l. 5. §. 21.
c. 7. v. Aubespine.
Cod. ut nulli l. 1. tit. 41. c. 8.

Symbolum fidei exigatur, si pateat, ipsum in Nomine Patris, Filii, & Spiritus S. fuisse baptizatum, imponentur ei manus, ut Spiritum S. recipiat; si secundum fidem Trinitatis non respondeat, baptizetur. Cum Donatistæ schismatis causam prætexerent, quod traditores a Catholicis tolerarentur, Concilium statuit, ut qui vel Scripturas tradidissent, aut vasa sacra, vel fratres suos detulissent, Clericorum ordine deponantur, si modo id feciſſe non verbis simplicibus, sed actis publicis convincantur; si quem ordinaverint, probatæ alioquin vitæ, ordinantis delictum ordinato non noceat. Hoc manifeste ad Cæcilianum refertur. Concilium subjungit: *quia non nulli Ecclesiæ præceptis resistunt, voluntque ut accusatores audiri, cum testes pecunia corruptos in judicium adducant, non audiantur, nisi, sicut jam dictum est, accusationem per acta publica probaverint.* Hæc Donatistarum calumnias respiciunt. Et iterum: *qui fratres suos falso accusant, ad communionem nunquam, nisi in mortis articulo, recipiantur.*

Sæculum IV. A. C. 314.

A. 314.

c. 13.

c. 14.

Apostatæ, qui ultro ad Ecclesiam non redeunt, nec pœnitentiam petunt, si ægroti communionem rogent, denegetur, si autem sanitati restituantur, & fructus dignos pœnitentiæ agant, recipiantur. Nempe tunc temporis in Ecclesia

c. 22. *v. Conc. Elib. c.* 46.

mori-

Sæculum IV. A. C. 314. moribundi, metu mortis extorta, suspecta erat pœnitentia. Puellæ Christianæ, Gentilibus nubentes, aliquamdiu communione priventur. Mariti Christiani, & juvenes, si uxores suas in adulterio deprehenderint, quibus ad secundas nuptias transire non licet, vehementissime commonendi sunt, ne vivente uxore, quamvis adultera, alteram ducant. Non alterius medii, quam exhortationis hic mentio fit, eo quod leges civiles marito post divortium alias nuptias permitterent, &, quamvis Ecclesia his legibus, utpote Evangelio adversantibus, non consentiret, dissimulabat tamen, ne, quod Imperii legibus sanctum erat, aperte oppugnare videretur. Hi sunt Canones Concilii Arelatensis.

Cypr. epist. ad Anton. c. 11. c. 10.

A. 314.

§. XVI.

Concilium Ancyranum.

Eus. X. Eodem tempore celebrata putantur Concilium Ancyranum, & Concilium Neocæsarienſe, suis canonibus notissima. Certum enim, in prima Ecclesiæ libertate Concilia fuisse frequentissima. Ancyra erat Galatiæ Metropolis, quam Sedem tunc Marcellus tenebat; Septendecim Episcopi numerantur, qui cum Marcello huic Synodo interfuere, & inter alios Vitalis Antiochenus, Agricola

Subscript. Conc. Ancyr.

la Cæsarienſis in Palæſtina, Martyris Agapii Succeſſor, & Euſebii Hiſtorici Prædeceſſor, Leontius Cæſarienſis in Cappadocia, Longinus Neo-Cæſarienſis in Ponto, Narciſſus Neroniadenus in Cilicia, Lupus Tarſenſis, Petrus Iconienſis in Lycaonia, Baſilius Amaſeenſis ad Helleſpontum, deinde Martyr, Euſtolius Nicomedienſis, Martyris Antimi Succeſſor. Ex hoc Concilio 25. Canones habemus, quorum primi ad Lapſos in Perſecutione ſpectant, quæ recentiſſime in Oriente finem habuerat. Sæculum IV. A. C. 314. *Sup. §. 3.*

Presbyteris, qui Idolis ſacrificaverant, ſi ſine dolo, & bona fide ad pugnam rediiſſent, honor, & jus ſedendi penes Epiſcopum in Eccleſia conſervabatur, at offerre, prædicare, aliasve functiones Sacerdotales exercere prohibentur. Idem de Diaconis ſtatuitur; Epiſcopis autem pro pœnitentis fervore vel addere, vel diminuere permittitur. Verba, quibus Concilium utitur ad diſtinguendas functiones Sacerdotum, & Diaconorum ſunt notabilia, de Presbyteris dicit: offerre, prædicare, aut Homiliam facere; de Diaconis: oblationem præſentare, & annuntiare, quia id muneris habebant in Eccleſia, quod Præcones publici in cœtu profano. Qui fugerunt, & capti ſunt, aut proditi a Domeſticis; qui jacturam bonorum paſſi ſunt; qui tormenta, vel carcerem *c. 1.* *c. 2.*

Sæculum IV. A. C. 314.

cerem sustinuerunt; quibus illata vi thus manibus, aut carnes ori ingesta, clamantibus; se esse Christianos, & qui exinde doloris signa vestitu, & vivendi ratione dederunt, hi cum omni peccato liberi sint, communione non priventur; si quis
c. 12. tales vel ignorantia, vel rigore nimio privavit, sine mora recipiantur. Hic una est tam Clericis, quam Laicis Regula. Laici, quibus hæc contigerint, ad ordines promoveri possunt, si vita præcedens
c. 4. labe vacet. Catechumeni quoque, qui ante Baptismum sacrificarunt, ad ordines admitti possunt.

Qui sacrificare coacti sunt, & Idololatrarum convivio interfuerunt, si vestitu festivo, & lætitiæ indiciis comparuerunt, uno anno erunt auditores, tribus annis prostrati, duobus annis in solis precibus participabunt, tum denique ad communionem perfectam recipientur; si
c. 5. vero lugentium habitu convivio adfuerint, & comedentes fletibus suis epulas miscuerint, postquam tres annos inter prostratos fuerint, ad preces admittentur, & non ad oblationem; si non manducaverint, duobus tantum annis prostrati erunt, & uno anno non offerent, & post annos tres ad communionem integram recipientur. Episcopis potestas sit hoc tempus producendi, vel minuendi, & indulgendi pro modo, quo se pœnitentes tam

ipso

ipso luctus tempore, quam ante, & post illud gesserint. Qui, ad primas, & leves minas supplicii, privationis bonorum, aut exilii devicti, sacrificarunt, & hucusque nullam pœnitentiam egerunt, si ad Concilium, ut est congregatum, pœnitentes recurrant, auditores recipientur usque ad magnum diem Paschatis, tum inter prostratos tribus annis erunt, post annos duos communicabunt, & non offerent, totumque pœnitentiæ tempus annis sex absolventur. Qui ante hujus Concilii initium pœnitere cœperint, his ab illa, qua cœperunt die, sex anni computabuntur. *c. 6.* Apud quos mortis periculum supervenerit, juxta consuetudinem recipientur. *c. 7.* Qui in festo profano in eodem cum Gentilibus loco carnes manducaverint, a se ipsis præparatas, & allatas, postquam duobus annis prostrati fuerint, recipientur. *c. 8.* Qui, injecta manuum vi, bis, terve sacrificaverint, quatuor annis prostrati erunt, duobus annis non offerent, & anno septimo recipientur. *c. 9.* Qui non solum apostatæ fuerint, sed etiam fratres ad apostasiam coegerint, aut causa fuerint, ut cogerentur, tribus annis erunt auditores, sex annis prostrati, uno anno non offerentes, & decem annis pœnitentia complebitur.

Alii Concilii Ancyrani Canones alia Disciplinæ capita respiciunt. *c. 10.* Diaconi, qui

Sæculum IV. A. C. 314.

Canones Concilii Ancyrani.

qui in ſua ordinatione declararunt, ſe velle uxorem ducere, ſi poſtea duxerint, ſuo Miniſterio non excludentur, quia ducendi licentiam ab Epiſcopo accepe-runt. Si in ſua ordinatione tacuerint, & deinde uxorem ducant, Miniſterio ſuo privabuntur. Hodieque apud nos Cle-rici votum continentiæ tantum tacite emittunt, dum, continentiam ſervandam proponenti Epiſcopo in ſuſceptione Sub-

c. 13. diaconatus, nihil reſpondent. Chor-epiſcopis non liceat Presbyteros, aut Diaconos ordinare, neque Presbyteris urbanis in quacunque Diœceſi aliquid facere ſine licentia Epiſcopi, litteris da-

ex edit. Dion. & Iſid. ta. Chorepiſcopi fuiſſe creduntur Pres-byteri, quibus Epiſcopi ferme omnem poteſtatem ruri exercendam committe-

c. 14. bant. Presbyteri, aut Diaconi qui eſu carnium abſtinent, ſaltem ex iis guſtare tenebuntur, & olera cum adipe cocta co-medere, ſub pœna depoſitionis. Hoc præcipiendi cauſa erat hæreticorum ſu-

c. 15. perſtitio, ab eſu carnis, tanquam ſua na-tura malæ, abſtinentium. Si Presbyteri Sede vacante bona Eccleſiæ vendiderint, iterum vindicentur, judicium autem pe-nes Epiſcopum ſit, an Eccleſiæ expediat magis pretium, vel fundos alienatos re-

c. 18. cipere. Si qui Epiſcopi ordinati ab il-lis populis, ad quos deſtinabantur, non fuerint recepti, ſi aliam Diœceſin inva-

dere,

dere, aut seditiones contra Episcopum ibi sedentem excitare tentaverint, a Communione separentur. Si locum suum inter Presbyteros, sicut antea, servare voluerint, isto honore gaudeant, at si seditiones movent in Episcopos, Presbyteratus etiam honore, & communione privabuntur. Sæculum IV. A. C. 314.

Virgines desponsatæ, si a tertio raptæ fuerint, sponsis reddantur, etiamsi a raptore defloratæ fuissent. *c. 11.*

Qui servandæ virginitatis promissum violant, eidem Disciplinæ suberunt, ac bigami. *c. 19.*

Virgines cum viris non habitent sororis nomine. *c. 20.*

Qui adulterium commiserit, aut ab uxore sua committi toleraverit, septem annis pœnitentiam aget. Qui commiserint peccata contra naturam, si id contigerit ante annum vigesimum, quindecim annis erunt prostrati, & quinque annis non offerent. *c. 16.* Si in eadem peccata lapsi fuerint post annum vigesimum, & uxores habeant, viginti quinque annis erunt prostrati, & quinque annis non offerent. Si peccaverint post annum vigesimum quintum, & uxorem habeant, nunquam recipient communionem, nisi in mortis articulo. *c. 21.*

Mulieres, quæ, ut fœtum, fornicatione conceptum, perimant, abortus causa sunt, juxta antiquam legem non nisi ad vitæ terminum communicare possunt,

Sæculum IV. A C. 314.

nos vero humaniu acturi, pœnitentiam ad decem annos limitamus. Ecce! jam tum rigorem antiquæ disciplinæ mitigare incipiebant. Qui voluntarie occiderint, semper inter prostratos erunt, & non

c. 22.

c. 23. nisi ad finem vitæ communionem accipient. Qui non voluntarie occiderint, pœnitentiam agent annis septem juxta

c. 24. antiquam Disciplinam, juxta novam annis quinque. Qui superstitionibus Paganorum adhærent, qui Divinatores consulunt, qui præstigiatores in domos suas inducunt, ut pangant maleficia, vel solvant, quinque annis pœnitentiam agent, tribus annis prostrati erunt, & duobus annis non offerentes. Hi sunt Canones Concilii Ancyrani.

§. XVII.

Concilium Neo-Cæsarienſe.

Concilium Neo-Cæsarienſe haud multo post habitum sit, oportet; Eorumdem, qui prius, Episcoporum pars interfuit, quorum primus iterum visitur Vitalis Antiochenus, hinc utrique Concilio præsediſſe videtur. Hic etiam leguntur nomina Basilii Amascensis, Leontii Cæsarienſis in Cappadocia, Lupi Tarsensis, Narcissi Neroniadeni, & Longini Neo-Cæsarienſis in Ponto, ubi Concilium congregatum. Celebrem hanc Ecclesiam red-

reddiderat S. Gregorius Thavmaturgus, qui eam ante quinquaginta annos rexerat. Quindecim hujus Concilii Canones habemus. Sæculum IV. A. C. 314.

c. 1.

Si Presbyter uxorem ducat, deponatur. (*) Si fornicationem, aut adulterium commiserit, publicam pœnitentiam agat. Non potest ordinari laicus, cujus uxor adulterii convicta fuerit. Si id crimen commiserit post mariti ordinationem, & ipse cohabitet, Ministerio privabitur. Hoc intelligi potest de Clericis minoribus, quibus uxorem habere licet. Si Presbyter confiteatur, se ante ordinationem peccatum carnis commisisse, non amplius offeret, sed salvæ erunt ipsi cœteræ prærogativæ propter alia sua merita. Si neque confiteatur, neque convincatur, ipsius arbitrio relinquitur, an offerre velit. Diaconus, cui idem contigerit, ad inferiorum Clericorum ordinem redigetur. Ante annum ætatis trigesimum nemo ordinetur Presbyter, ut ut dignus sit, cum ante hanc ætatem Dominus noster JEsus Christus, & ante Baptis-

c. 8.

c. 9.

c. 10.

c. 11.

(*) Quid ad hunc Canonem, initio Sæculi IV. conditum, Interpres noster Protestans, qui sine fronte sæpius affirmat, nullam in Ecclesia illis Sæculis de Continentia Clericorum legem extitisse? Vel ex hoc solo loco & ipse, & qui cum ipso sentiunt, convincuntur, quod in hac Materia toti Antiquitati contradicant.

Sæculum IV. A. C. 314.

mum ſuum docere non inceperit. Qui in morbo baptizatus fuerit, non poteſt Presbyter ordinari, quia non videtur cum plena libertate fidem ſuſcepiſſe; propter merita ejus, & Presbyterorum penuriam tamen ordinari poterit. Presbyteri rurales præſente Epiſcopo, aut urbanis Presbyteris in Eccleſia urbis offerre non poſſunt, neque in oratione panem, vel calicem porrigere, cœteris autem abſentibus, ſi quis ſolus ibi fuerit, poteſt. Chorepiſcopi præ aliis offerant. Cum unicum tunc temporis Sacrificium fuerit, neceſſarium erat ſtatuere, cuinam illud offerre, id eſt, actioni præeſſe competat. Notabile eſt, quod Presbyteri civitatis præferantur. In qualibet urbe, quantumcunque magna, non ſint plures ſeptem Diaconi, juxta primam inſtitutionem. Hic mos Romæ ſemper ſervatus eſt.

c. 13.

c. 14.

c. 15.

Mulier prægnans, ſi petat, baptizetur, & infans ſeparatim baptizabitur, quisque enim in Baptismo pro ſe ſolo fidem dat. Forte timebant, ne infans bis baptizatus videretur. Si quis Catechumenus poſtquam ad orandum genibus flexis admiſſus eſt, peccet, ad ordinem ſimplicium auditorum remittatur; ſi etiam ibi peccet, expellatur. Hic diſcernuntur duo Catechumenorum ordines; aliqui ad audiendas lectiones, & inſtructiones tantum admittebantur, alii provectio-

c. 6.

c. 5.

vectiores etiam ad orandum cum Fideli- Sæculum IV.
bus, sed genibus flexis, & antequam in- A. C. 314.
ciperetur Sacrificium. Qui mulierem c. 4.
concupivit, sed malum desiderium non
implevit, per gratiam præservatus vide-
tur. Volunt nempe dicere, pro pecca-
tis cogitationum pœnas canonicas non
imponi. Mulier, quæ duobus fratribus c. 2.
nupserit, non nisi in mortis periculo com-
munionem accipiat, cum onere si con-
valuerit, maritum istum dimittendi, &
pœnitentiam agendi. Qui sæpius ma- c. 7.
trimonium inibant, his certo tempore
pœnitentia injungebatur, hinc Presbyte- c. 7.
ris secundarum nuptiarum conviciis in-
teresse non licebat, quamvis enim secun-
dæ nuptiæ essent permissæ, aliqua tamen
incontinentiæ nota non vacabant. Hi
sunt quindecim Concilii Neo-Cæsarienſis
Canones.

§. XXVIII.

Appellatio Donatistarum ad Cæsarem

Patres Concilii Arelatensis, ut gestorum rationem redderent, Imperatori Constantino latum in causa judicium, & quorumdam Donatistarum obstinaciam perscripserunt, quippe plures schismati renunciarunt, & Cæciliano juncti sunt, at quidam litigatores temerarii ab Episco- *Aug. Ep.* porum judicio ad Imperatorem appella- 68.

Sæculum IV. A. C 314.

runt. Iratus Imperator Tribunos Palatii cum militibus misit, qui seditiosos ad aulam perducerent, nisi prompte obedirent, pejora passuros; Vicario quoque Africæ scripsit, sub custodia omnes hos rebelles ad Palatium mitteret. Econtra ad Episcopos Arelate congregatos rescripsit, adhuc dum conniverent, & Schismaticis tempus resipiscendi darent, si pertinacia duraret, tum quisque eorum ad sua reverteretur. Merito culpata est tanta Constantini indulgentia in homines nequissimos, & immeritos, quos impunitos insolentiores reddebat.

Ep. Const. ad Cels.

Ep. Const. ad Episc. Cath.

Euf. 1. vit. 45. IV. c. 54.

Illi ex Donatistis, quos Constantinus ad aulam duci jusserat, non tantum pœnas evaserunt, quas gravissimas minæ inanes sonuerant, & appellationis temeritas merebatur, sed etiam suis, & amicorum suggestionibus impetrarunt, ut post Episcoporum Judicium ipse Imperator eorum causam judicare vellet, quamvis antehac a tali judicandi voluntate, utpote Ecclesiæ auctoritati noxia, fuisset alienissimus. At se id quidem facturum testatur, non quod esset Episcoporum Judex, utpote quorum judicio seipsum subjici fatetur, cumque Episcoporum sententiam tanquam Dei effatum veneraretur, sed ut Donatistarum importunitati aliquid daret, silentium æternum imponeret, & nihil, quod paci Ecclesiæ reducendæ

Epist. ad Episc. Cath.

dæ aptum esse posset, omitteret. Cœterum Constantino necdum Baptizato, imo nec Catechumeno Ecclesiæ leges non satis cognitæ erant. Primo Cæcilianum ex Africa ad se vocare constituerat, tum rursus mutata sententia, Episcopos Donatistas remisit in Africam, ut ibi, sicut ipsi optabant, coram Judicibus ab Imperatore delectis causa examinaretur, & decideretur. Paucos post dies iterum aliud placuit, magisque e re se facturum credidit, si, advocato ex Africa Cæciliano, ipse præsens judicium ferret, ne Donatistæ, quos contumaciſſimos sciebat, alterius judicio acquiescere detrectarent. Igitur Cæciliano scribit, ut Romæ, causam dicturus, certa die compareat, ipsius adversarii eodem se conferre jussi, quibus promisit, si modo unius criminis reum præsentem Cæcilianum probarent, se eum de omnibus, quæ imponerent, convictum habiturum, utque facilius eorum calumnias detegeret, Probianum Proconsulem Africæ litteris jubet, Ingentium, quod sub Æliano Prædecessore ejus crimine falsi convictus esset, ibi in carcere detentum, ad aulam mitteret. Hoc factum Constantino, & Licinio quarto Consulibus, nempe anno Christi 315.

Sæculum IV. A. C. 314.

Aug. epist. 41. ad Gear. &c.

An. 315.

A. C. 315.

Cæciliano Romæ præfixa die, qua de causa nescitur, non comparente, adver-

Sæculum IV. A. C. 315.

sarii ejus ansam cepere urgendi Imperatorem, ut damnaret contumacem, & subjicere se Principi renuentem. Constantinus dilationem concessit, jussitque partes Mediolani convenire. Tum quidam Donatistarum, aversum a se Principis animum augurantes, clam se aula propripiunt, quod advertens Imperator, datis custodibus, cæteros Mediolanum duci mandavit. Illi vero, qui aula profugerant, in Africam redeuntes, novo tumultu omnia implent, plurimumque negotii Domitio Celso Africæ Vicario, cui ab Imperatore tumultus sedare imperatum erat, facessunt. Tumultuantium Dux erat Menalius Episcopus Numidiæ, qui, olim ad Concilium Cirthanum vocatus, quod venire non posset, oculorum morbum prætexuerat, reipsa timens, ne Idolis thus adoleviſſe convinceretur. Celsus gesta ad Imperatorem rescripsit, Menalium tanquam seditionis Auctorem accusans. Imperator respondit, ut dimitteret jam seditiosos, tantisper audaciam eorum dissimularet, nuntiaretque Cæciliano, & Adversariis ejus se ipsum propediem in Africam venturum, hanc causam cum selectis judicibus discussurum, & auctores turbarum, quicunque illi fuerint, severissime puniturum.

Aug. epist. 43. al. 162. ad Glor. &c.

A. 315. Optat. l. 1. Ep. Const. ad Cels.

§. XIX.

Sæculum IV.
A. C. 315.

§. XIX.

Conſtantinus Donatiſtas damnat Mediolani.

Celſus acceptam Imperatoris Epiſtolam, vocatis Cæciliano, & Adverſariis ejus, ut juſſus erat prælegit. Tum vero Cæcilianus timens Principis iracundiam, quæ ex hac Epiſtola apparebat, maxima celeritate ad aulam Imperatoris profectus eſt, quem Mediolani invenit, cujus adventum ubi ille reſcivit, in eadem urbe huic tandem liti finem facere ſtatuit. Ergo Cæcilianum, & accuſatores ejus coram ſe in ſuo Conſiſtorio comparere jubet, quippe ita Conſilii locum nominabant, ubi Imperator res graviſſimas tractare, & ore proprio ſententiam pronuntiare ſolebat. Secreto autem negotium agebatur, nec plures, quam omnino neceſſarium erat, admiſſi, quod Religionis Reverentiæ datum, ne Epiſcoporum lites ad Gentilium notitiam devenirent. Imperator, quæcunque pars utraque propoſuit, audivit, omnia cauſæ momenta diligentiſſime penſavit, inſpectis omnibus, quæ tam in foro Sæculari, quam Eccleſiaſtico acta fuerant, omnia enim ſibi tranſmiſſa habebat. Tandem tulit ſententiam, qua Cæcilianum innocentem, & Epiſcopos ex parte Donati calumniatores

Brev. coll. 3. c. 19.

Coll. 3. c. 516.

Aug. ep. 162.

Aug. ad Donat. poſt. coll.

Sæculum IV. A. C. 316.

tores declaravit. Quæ in hoc judicio gesserat, ad Eumalium Africæ Vicarium perscripsit data Epistola quarto Idus Novembris Sabino, & Rufino Consulibus nempe 10. Nov. anno 316.

An. 316.

Non majorem reverentiam sententiæ Imperatoris, quam Episcoporum Donatistæ habuerunt; Osii artibus Cæciliano faventis, animum Cæsaris in transversum actum querebantur; quod Constantinum, quamvis mitissimi esset ingenii, coegit, ut eorum contumacissimos exilio mulctaret; id factum eodem Mense Novembris anno 316. ad Episcopos vero, & populum Catholicum rescripsit; hujus mali remedium a Deo exspectarent, nullis armis nisi patientiæ scuto uterentur, quippe illos, qui a Schismaticis injuria afficerentur, manere Martyrii præmium. Exinde Episcopi Africæ ad Imperatorem per litteras detulerunt, Donatistas Ecclesiam, quam ipse liberalitate Cæsarea Catholicis ædificaverat in urbe Cirtha Numidiæ Metropoli, tunc de ejus Nomine Constantina dicta, vi occupasse, sæpius ab Imperatore, & eo jubente a Judicibus monitos, restituere noluisse; Hinc Episcopi, patientiam Dei imitantes, Schismaticis hunc locum cesserant, & ab Imperatore alium Ditionis suæ locum rogabant; Constantinus lubentissime annuit, &, ut nova ipsis Eccle-

Aug. ep. 68. nunc. 88. Cler. Hipp. Januar. ep. 165. nunc 53. Generos. 11. cont. Petil. c. 92. n. 206. post collat. c. ult. epist. Const. ad Episc. Af. alia ad Zeuz. Gall. &c.

sia

sia exstrueretur, mandata misit. Quia etiam, instigantibus Donatistis, Magistratus Ecclesiæ Catholicæ Clericis publica onera, & functiones Municipales imposuerant, a quibus Imperatoris jussu exempti erant, eosdem rursus his exactionibus liberos pronuntiavit. Denique, cum experientia disceret, Donatistas sua Bonitate pejores fieri, severissimis editis legibus omnes iis Basilicas eripuit, & loca, in quibus convenire solebant, fisco addixit.

Sæculum IV. A. C. 316.

An. 316.

v. Cod. Theod. l. 16. tit. 2. l. 2.

§. XX.

Lex Constantini pro Ecclesia.

Quædam aliæ Leges Constantino Auctore circa id temporis latæ visuntur. Una 16. Nov. anno 315. lata propterea, quod Judæi quosdam ex suis ad fidem Christianam conversos persecuti, lapidibus impetiissent; in ea declarat Imperator Judæis, Patriarchis eorum, aliisque Præsidibus, si qui imposterum simile factum attentaverint, eos, & omnes sceleris socios flammis tradendos. Duas etiam leges tulit, quibus novos manumittendi modos pro Christianis inducebat. In prima de septima Junii anno 316. ad Protogenem Episcopum Sardicensem data continetur; jam diu ante fuisse lege permissum, servos a Dominis suis in Ecclesia Catholica manumitti posse, si modo

1. Cod. Theo. de Jud.

Cod. de his qui in Eccl. tit. 13. lib. 1.

Sæculum IV. A. C. 316.

do in præsentia populi, Episcoporum, & qualicunque Scriptura id fiat; itaque Episcopis potestatem servos manumittendi tribuit, quocunque id modo faciant, si modo de eorum voluntate legitime constet. Altera lex data prima Maji. 321. privilegium istud ad omnes Clericos extendit, & concedit, ut eorum liberti plena libertate gaudeant, quacunque ratione manumissos se probaverint; econtra Laici aliter manumittere non poterant, quam in Conventu Ecclesiæ, & Episcoporum præsentia.

§. XXI.

Persecutio Licinii.

Pagi an. 316. n. 5. Euf. Chron. an. Excepta Anonymi. ap. Ammian. Val. Zosim. l. 2.

Dum Constantinus Ecclesiam ita fovet, cœpit eam persequi Licinius, quorum concordia non diu sibi constitit. Haud multo postquam Licinius Constantiam duxisset, Constantini sororem, & Imperium divisissent, Constantinus eidem mentem suam communicavit, Bassianum creandi Cæsarem, qui alteram sororem suam Anastasiam in uxorem acceperat; sed hoc Consilium Licinii perfidia evertit, quippe Sinicio ipsius Bassiani fratre sollicitatore usus, Bassianum seductum, in ipsum Imperatorem armavit. Constantinus Bassianum, parricidii convictum, merita pœna affecit, dumque Sinicium

nicium quoque puniendum expoſcit, & tradere Licinius renuit, bello civili implicantur. Commiſſo cruento prœlio ad Cibalen in Pannonia octava Octobris anno 314. Licinius victus; tum pacem, quam ſæpius rogavit, tandem obtinuit. Provinciæ Imperii ſecundo diviſæ, duo Conſtantini filii, Criſpus, & Conſtantinus junior, & Licinius ſeu Licinianus Licinii filius Cæſares ſalutati, Parentes anno 315 ſimul Conſulatum geſſerunt.

Sæculum IV. A. C. 316.

Criſpus, & Conſtantinus junior Cæſares.

Res pacatas brevi iterum turbavit Licinius, Chriſtianos divexans, in quibus Conſtantinum deſpici non ignorabat. Primo, ut calumniandi Epiſcopos occaſio eſſet, eos Paganorum domos intrare vetuit, ne ad ſuam Religionem pellicerent; prohibuit quoque Epiſcopos ſibi invicem communicare, vicinas Eccleſias inviſere, Concilia celebrare, ita ut alterutrum eſſet neceſſarium, leges civiles violando pœnas incurrere, vel obediendo canones transgredi, cum graviora Eccleſiæ negotia aliter quam in Conciliis expediri nequeant; Hæc ſunt verba Euſebii. Tum Licinius ſubito impetu omnes Chriſtianos Palatio pellit; ſervos fideliſſimos exilio mulctat, ut vilia mancipia donat, quos ob præclara merita honoribus auxerat, bonis exuit, mortem intentat. Hæc anno 319, Conſtantino quinto, & juniore Licinio Cæſare Conſuli-

Socr. l. 2. c. 3. Euſ. 1. vit. c. 51. 1. hiſt. c. 8.

Euſ. vit. c. 52. Amon. Valer.

A. C. 319. Licinius junior Cæſar.

Sæculum IV. A. C. 319.

sulibus, facta. Aliam quoque Legem Licinius Imperator tulit, vi cujus, quasi suadente honestate, mulieres communibus precibus cum viris interesse prohibebantur, nec licebat illis instructionis causa in Ecclesia adesse, nec Episcopis eas docere; mulieres enim a mulieribus doceri oportere ajebat; cum ejusmodi Legem omnes risu exciperent, aliud consilium, quo Conventus Ecclesiæ supprimeret, cepit, & hos extra civitates in apertis campis agi jussit, dicens puriorem longe aerem ibi hauriri.

c. 54. Tandem videns hoc quoque suum mandatum vilipendi, in apertam persecutionem erupit; in omnibus civitatibus apparitores, aliosque Prætorum ministros, nisi Idolis sacrificarent, officio privari jussit, hinc multi munere suo dejecti. Maxime furorem in Episcopos vertit, quos, utpote Constantino charissimos, hostes suos infensissimos æstimabat; inter hos Episcopos numeratur S. Basilius Amaseensis in Ponto, in hac enim urbe, totaque Provincia edita sunt insuetæ crudelitatis exempla. Quædam Ecclesiæ funditus eversæ, aliæ clausæ; plures Episcopi necati, non nulli eorum frustatim concisi, sicut bovinæ carnes in macello solent, atque pascendis piscibus in mare projecti. Hic enim vero Fideles rursus fugere, sicut superiori persecutionum

Euf. Chron. an. Pagi 316. n. Martyrol. 26. April. Euf. II. vit. c. 1. Id. X. hist. c. 8.

tionum tempore factum, atque in montibus, & solitudine refugium quærere. Interim Licinius persecutor audire nolebat, & negabat verbis, quod ipso opere crudelissime exercebat. S. Blasius Episcopus Sebastenus in Armenia illo tempore tertia Februarii, verosimiliter anno 320 sub Agricola Præside Martyrio coronatus est; postquam pectinibus ferreis dilaniata viro latera fuere, & alia tolerata tormenta, capite truncatus est; cum eo duo parvuli interfecti; septem mulieres quoque, cum S. Martyris sparsum cruorem colligerent, deprehensæ, quod essent Christianæ, ultimo supplicio affectæ.

Sæculum IV. A. C. 319.

Socr. 1. c. 3. Martyrol.

§. XXII.

Quadraginta Martyres.

In eadem urbe Sebaste quadraginta milites Christiani diversarum nationum, omnes juvenes, spectabili forma, fortitudinis laude noti, bello egregii passi sunt. Ubi Agricola Præses Imperatoris mandata promulgavit, magno animo prodeuntes, se esse Christianos confitebantur; ipse juvenum constantiam lenibus verbis tentare, promissis allicere, tandem minas ingerere; cui SS. Martyres generose responderunt: quantillum vero est, quod promittis, aut dare potes, cum immensa sint bona, quæ nobis eripere conaris?

Acta Sinc. p. 583. ex Basil. hom. 20.

Sæculum IV. A. C. 319.

naris? potestas tibi in corpora quidem nostra data est, nulla in mentes competit, quid ergo de injuria quereris, si Deum nostrum tuo imperio præferimus? non ita vecordes sumus, ut hanc miseram vitam, plusquam cælestem diligamus! In hos Christi pugiles Præfectus inusitatum hactenus tormenti genus decrevit. Per frigida Regio est Armenia, tunc Hyems erat, nempe nona Martii, & perflante aquilone omnia asperrimo gelu rigebant; una nocte Milites Christi omni vestium præsidio destitutos super stagnum, tunc ita congelatum, ut tutissime pedibus calcari posset, jubet collocari, utque gravius ad defectionem tentarentur, in proximo gymnasio a fide transfugis balneum parari.

Martyres vestimenta alacres posuerunt, seque mutuis exhortationibus quasi ad expeditionem militarem animabant, dicentes; adesse jam occasionem, ut unius noctis cruciatu beatam æternitatem coemerent. Simul omnes orabant in hæc verba: *Domine! quadraginta pugnare cœpimus, da ut omnes vincamus, ne unus quidem huic numero desit!* interim unum eorum frigoris rigore devictum e stagno ad balneum transire summo dolore vident. Aderat ibi excubitor calefaciens se, & explorans, num quisquam Martyrum, ut se tormento frigoris liberaret,

raret, ad balneum confugeret; huic prodigiosum spectaculum oblatum est; vidit Angelos de cælo descendentes, & singulis Christianorum Heroum præmia distribuere, uno excepto, nempe illo, cui ferendo dolori animus defuit, sed irreparabili suo damno, quippe simul ut aquæ calorem contigit, extinctus est. Hunc ubi transfugam videret excubitor, cælesti visione excitatus, rejectis omnibus vestibus Martyribus se jungens, ingenti eos solatio refecit. Sæculum IV. A. C. 319.

Cum illuxisset, adhuc vivi plaustris imponuntur, & in ignem conjiciuntur, ut a summo frigore ad summum calorem ingenti doloris augmento transire cogerentur. Unum, cui plus vigoris supererat, ministri reliquerunt, quod perverti posse sperarent, sed Mater ejus, tunc præsens, propriis manibus vehiculo injecit, *Vade!* inquiens: *fili mi! consumma cursum tuum cum sociis, ut cum iisdem ad conspectum Dei pervenias.* Combustorum corporum cineres in fluvium projecti; servatæ tamen sunt reliquiæ, & in diversas Provincias delatæ, ubi Ecclesiis eorum honori exstructis, magna solemnitate horum Martyrum memoria celebratur.

Sæculum IV. A. C. 320.

§. XXIII.

Inquisitio in causa Sylvani Episcopi Cirthani.

In Africa Ecclesia aliam a Donatistis persecutionem patiebatur, præsertim Constantinæ, Numidiæ Metropoli, ubi Silvanus erat Episcopus, & seditionis caput. Sed perfidiæ pœnas dedit. Quemdam nomine Nondinarium, Diaconum, & Tyronem suum, quod se ab eo offensum diceret, deposuerat, iste nihil omiserat, ut aliorum Episcoporum, Silvani amicorum, opera animum ejus mitigaret, & rediret in gratiam, sed frustra omnia; tunc, desperatione actus, Episcopi sui delator esse constituit, & scripta documenta, quibus crimina ejus probari poterant, Catholicis tradidit, nempe vasorum sacrorum proditorem tempore persecutionis fuisse, seque ipsum ambitu, & simonia in Sedem Episcopalem intrusisse. Quæstionem in hac causa habuit Zenophilus Numidiæ Consularis, atque Processus verbalis nobis supereſt in hunc modum: *Constantino Magno Augusto, & Constantino juniore Consulibus, Idibus* A. 320. *Decembris anno* 320. *cum Sextus Thamugadensis intrasset, & Victor Grammaticus, in præsentia Diaconi Nondinarii Zenophilus Consularis dixit: Quomodo vocaris? is respondit: Victor.* Zenophilus:

To. 2. Misc. Baluz. p. 91.

Sæculum IV. A. C. 320.

lus: *Cujus conditionis es?* Victor: *Professor sum litterarum Romanarum, Grammaticus latinus.* Zenophilus: *Quæ est tua dignitas?* Victor inquit: *Pater meus fuit Decurio Constantini, avus meus miles gregarius, qui in aula serviit; origine Mauri sumus.* Zenophilus: *Edic! quam vere honestatem amas! quænam causa divisionis inter Christianos fuerit?* Victor respondit: *Divisionis ortum, & causam nescio, homo privatæ sortis sum. Cum essem Carthagine, & illuc Episcopus Secundus venisset, aliquid, nescio quid, reprehensibile in ordinatione Cæciliani inventum fuisse, dicunt, atque alium ordinarunt. Hinc schisma Carthagine exortum. Ego vero primam originem scire non possum, nam in Ecclesia nostra urbis Constantinæ semper una Ecclesia fuit, & si quæ dissensio fuerit, nos nescimus.* Secundus, quem hic memorat, est Episcopus Tigisitanus, qui Concilio Cirthano anno 305. præfuit.

Gesta Zenophili Consularis.

sup. L. IX. §. 13.

Zenophilus quæsivit: *An cum Silvano communicas?* Erat is Episcopus Constantinæ. *Ita est, communico*, respondit Victor: Zenophilus: *Quare ergo illo omisso, cujus innocentia probata est. . . .* Et subjunxit: *Ajunt quoque, te aliam rem optime scire, quod Silvanus sit traditor, fatere!* Victor ait: *Hoc nescio.* Zenophilus: ad Diaconum Nondinarium:

Sæculum IV. A. C. 320.

Sylvanus Cirthanus.

Victor dicit, se nescire, quod Silvanus sit traditor. Nondinarius inquit: *Scit, an Scripturas tradiderit.* Victor: *Tempestatem hanc fugeram. Peream si mentiar! persecutione subito erumpente, fugimus in montem Bellonæ. Sedebam cum Diacono Marte, & Presbytero Victore; a Marte petuntur omnes libri, ait, hos apud se non esse. Victor omnia Lectorum nomina dedit. Veniunt ad domum meam; me absente ascendunt Magistratus, & ablati sunt libri mei. Quando redii, illos non inveni.* Nondinarius dixit: *Verum tamen est, quod in Actis responderis, te libros tradidisse; quid prosit ea negare, quæ probari possunt?* Zenophilus: *Fateri simpliciter, ne quid gravius in te decernam.* Nondinarius: *Legantur acta.* Zenophilus, *legantur.* Præbuit ea Nondinarius, & a tabulario lecta sunt. Ea erant acta Munatii Felicis Cirthæ Curatoris de decima septima Maji anno 303. quæ superius retulimus.

Tom. II. §. 41

Post horum lectionem Zenophilus ad Victorem Grammaticum: *Confitere candide!* Victor: *Non aderam.* Diaconus Nondinarius dixit: *Jam legamus litteras Episcoporum,* tum legit illius Libelli exemplum, a se ipso Episcopis præsentatum: *Testis est JEsus Christus, & Angeli ejus, quod ii, quibuscum communicastis, traditores sint; nempe Silvanus Cirtha-*

Cirthanus Episcopus, qui traditor est, & bonorum ad pauperes pertinentium prædo; vos omnes, & singuli Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Seniores perbene scitis, a viro bono negari non posse, datas a Lucilla quadringentas bursas, & conjurationem vestram de eligendo Majorino Episcopo; hinc schisma Ecclesiæ! Victor Fulo etiam viginti marsupia vobis præsentibus, & populo dedit, ut Presbyter ordinaretur; ita me JEsus Christus adjuvet, & Angeli ejus! Exemplum quoque Epistolæ Purpurii Episcopi Limatensis ad Silvanum Episcopum Cirthanum datæ lectum est, qua eum hortatur, ut Diacono suo Nondinario, a se deposito, reconcilietur, & ea, quorum sibi conscii essent, secreta tenerent; illa vero, quæ Nondinarius in accusationis libello proferebat, vera esse fatebatur. Lecta est, & alia Epistola ejusdem Episcopi Purpurii ad Clericos, & Seniores Ecclesiæ Cirthanæ data in eadem causa; nempe ad reconciliandos Episcopum, & Diaconum suum hortatur. Lecta quoque Epistola Episcopi Fortis ad Silvanum in eadem causa, ubi, timere se, ait, ne hæc jurgia ad notitiam civitatis deveniant, & causa non sine scandalo ad Tribunal Gentilium devolvatur. Et iterum alia Fortis ad Clericos, & Seniores data, ubi valde optandum ait, ut hæc reconcilia- Sæculum IV. A. C. 320.

Sæculum IV. A. C. 320.

tio ſolemnitatem Paſchalem præcedat, & ſic deinde hæc feſta in pace celebrentur. Lecta eſt etiam Epiſtola Sabini Epiſcopi Numidiæ in eadem cauſa, ubi ait: *Miror, te virum gravem, tam dure egiſſe cum filio tuo, quem nutriviſti, & ordinaſti.* Ita tunc temporis Diaconi Epiſcopis filiorum loco eſſe æſtimabantur. Tandem & alia Epiſtola Sabini ad Fortem, qua eum, utpote Silvani amicum, ad hanc pacem procurandam hortatur. Omnes iſtæ Epiſtolæ textibus S. Scripturæ reſpersæ ſunt, eſtque earum ſtylus, etiam Purpurii latronis, omnino Eccleſiaſticus.

§. XXIV.

Silvanus Traditionis, & Simoniæ reus probatur.

Poſt has lectiones Conſularis Zenophilus ait: *Ex actis, & Epiſtolis lectis certum eſt, Silvanum eſſe Traditorem.* tum converſus ad Victorem: *Fatere ſimpliciter! an ſcias, quod aliqua tradiderit?* Victor ait: *Tradidit, ſed non me præſente.* Zenophilus: *Quod tunc Miniſterium gerebat Silvanus inter Clericos?* Victor: *Perſecutio ſub Epiſcopo Paulo orta eſt, & tunc Silvanus erat Subdiaconus.* Diaconus Nondinarius ait: *Cum in eo eſſent, ut ipſum Epiſcopum crearent, clamavit populus: Alius eligatur! exaudi nos Deus noſter!*

Sæculum IV. A. C. 320.

noſter! Zenophilus ad Victorem: *An dixit Populus, Silvanum traditorem eſſe?* Victor: *Ego ipſe ab Epiſcopatu eum arcere conatus ſum.* Zenophilus: *Sciebas ergo ipſum eſſe traditorem? fatere!* Victor: *Ita enim eſt, fuit traditor.* Nondinarius dixit: *Vos vero Seniores clamabatis: Exaudi nos Deus noſter, Epiſcopum volumus ex civibus noſtris unum, iſte traditor eſt.* Civis, quem petebant, erat Donatus. Zenophilus ad Victorem: *Ergo cum populo clamaſti, Silvanum eſſe traditorem, & in Epiſcopum eligi non debere.* Victor: *Clamavi, & populus etiam clamavit, quippe civium noſtrorum aliquem expetebamus, virum irreprehenſibilem. Prævidebam eo deventurum, ut res ad Imperatores deferretur.*

Geſta Zenophili Conſularis

Tunc etiam Victor Samſuricenſis, & Saturninus Foſſores intrare jubentur. Zenophilus poſtquam ab iſto Nomen ejus, & conditionem exquiſivit, ait: Scisne Silvanum eſſe traditorem? Saturninus reſpondit: *Scio, quod tradiderit lampadem argenteam.* Zenophilus; *Et quidnam præterea?* Saturninus: *Nihil aliud ſcio, niſi quod lampadem poſt olei dolium repoſitam extraxerit.* Saturnino diſcedere juſſo, Zenophilus, poſtquam etiam Victorem Samſuricenſem de nomine ſuo, & conditione interrogavit, ait: *Quis capitulum argenteum tradidit?* Victor re-

v. L. VIII. §. 41.

Sæculum IV. A. C. 320.

spondit: *Non vidi, dico, quæ scio.* Zenophilus: *Quamvis ex prioribus quæstionibus probatum sit, dic nobis nihilominus, an Silvanus sit traditor?* Victor: *Cum Carthaginem duceremur, ex proprio Episcopi ore audivi hæc verba: Data fuerat mihi lampas argentea, & capitulum argenteum, & hæc tradidi.* Zenophilus: *A quo hæc verba audivisti?* Victor: *Ab Episcopo Silvano.* Zenophilus: *Ab ipsomet audivisti, hæc a se tradita?* Victor: *Ex proprio ipsius ore audivi, quod tradiderit suis manibus.* Zenophilus: *Ubi audivisti?* Victor: *In Ecclesia.* Zenophilus: *Constantinæ?* Victor: *Cæpit verba facere ad populum, dicens: Quorum traditor esse dicor? unius lampadis, & capituli?*

Zenophilus ad Nondinarium: *De quibus istos ulterius interrogandos censes?* Nondinarius respondit: *De labris fisci, quis ea abstulerit.* Zenophilus: *Quæ tu labra?* Nondinarius: *Erant ista in Templo Serapis, quæ Purpurius abstulit, acetum vero, quod intus erat, Episcopus Silvanus Presbytero Dontio, & Luciano Diacono adjutoribus furatus est.* Zenophilus ad Nondinarium: *An, qui hic adsunt, hoc factum sciunt?* Nondinarius: *Ita est, sciunt.* Diaconus Saturninus dixit: *Seniores nostri dicebant, hæc fuisse ablata;* Zenophilus: *A quo?* Saturninus: *Ab Episco-*

Episcopo Purpurio, & acetum a Silvano, Sæculum IV.
atque Dontio, & Superio Presbyteris, & A. C. 320.
Luciano Diacono. Nondinarius dixit:
Victor dedit viginti bursas, & sic ordi-
natus est Presbyter. Zenophilus: *Cui* Quæstio ha-
eas dedit? Saturninus: *Episcopo Silvano.* bita de Do-
Zenophilus ad Saturninum: *ergo, ut* natistis tra-
Presbyter fiat, Episcopo Silvano dedit vi- ditoribus.
ginti bursas pro mercede? Saturninus:
dedit. Zenophilus: *hæc pecunia ante*
Silvanum posita est? Saturninus: *posita*
est ante cathedram Episcoporum. Zeno-
philus ad Nondinarium: *quis pecuniam*
tulit: Nondinarius respondit: *Episcopi*
inter se diviserunt. Bursam semper appel- *A.* 320.
lo, quod latine follis dicitur, & ultra cen-
tum nostros francos valet.

Zenophilus ad Nondinarium: *vis,*
ut Donatus advocetur? Nondinarius re-
spondit: *ita, veniat. Hic est, cujus amo-*
re populus clamavit: exaudi nos Deus no-
ster! Episcopum volumus ex civibus no-
stris. Zenophilus ad Nondinarium: *an*
verum est, quod populus ita clamaverit?
ita est, inquit Nondinarius. Zenophilus
ad Saturninum: *an etiam clamarunt:*
Silvanus est traditor; Saturninus respon-
dit, *quod ita.* Nondinarius dixit: *quan-*
do electus est Episcopus, non communicavi-
mus cum eo, quia traditor dicebatur. Sa-
turninus dixit: *quod iste dicit, verum est.*
Nondinarius dixit: *vidi Mutum gladia-*

Sæculum IV. C. A. 320.

torem collum ſupponentem, ut eum defer-ret; Zenophilus ad Saturninum: *eſtne hoc verum?* Saturninus reſpondit: *ita eſt.* Zenophilus: *an omnia, quæ Nondinarius dicit, vera ſunt, ipſum a Gladiatoribus in Epiſcopum electum? ita eſt,* inquit Saturninus: *imo, & a proſtibulis.* Zenophilus: *quid? Gladiatores eum portarunt?* id eſt, quod ipſum electum in Cathedram Epiſcopalem ſuis humeris detulerint. Saturninus dixit: *portarunt eum una cum plebe, nam cives in Area Martyrum incluſi detinebantur.* Nondinarius dixit: *an populus Dei ibi erat?* Saturninus: *incluſus tenebatur in Caſtro majori.* Hoc erat Nomen Eccleſiæ, aliàs Area Martyrum, dictæ. Zenophilus dixit: *ergo omnia, quæ Nondinarius defert, vera ſunt?* Saturninus dixit: *ita eſt.* Zenophilus ad Victorem: *quid tu ad hæc?* Victor: *omnia ſunt vera, Domine!* Nondinarius dixit: *Epiſcopus Purpurius centum folles ſecum abſtulit.* Zenophilus ad Nondinarium: *quod attinet ad quater centum folles, quosnam interrogandos putas?* Nondinarius: *vocetur Diaconus Lucianus, quippe omnia ſcit.* Zenophilus: *an iſti quoque ſciunt?* Nondinarius: *non ſciunt.* Zenophilus: *vocetur Lucianus.* Nondinarius: *iſti quidem ſciunt, quater centum folles fuiſſe acceptos, ſed neſciunt, hos inter Epiſcopos fuiſſe diviſos.*

viſos. Zenophilus ad Saturninum, & Victorem: *ſcitis, dante Lucilla folles fuiſſe acceptos?* Saturninus, & Victor reſpon derunt: *ſcimus.* Zenophilus: *an pauperes nihil acceperunt?* dixerunt: *nemo quidquam accepit.* Zenophilus: *an nihil ex templo Serapis ablatum eſt?* dixerunt: *Purpurius cupas abſtulit, Epiſcopus Silvanus, Presbyteri Dontius, & Superius, & Diaconus Lucianus acetum.* Zenophilus: *ex reſponſis Victoris Grammatici, & Victoris Samſuriceni, & Saturnini apparet, Nondinarium nihil niſi verum protuliſſe. Jam exeant.* Sæculum IV. A. C. 320.

§. XXV.

Alii eorumdem factorum teſtes.

Ad Nondinarium deinde dixit: *quos jam in hanc rem interrogandos exiſtimas?* Nondinarius reſpondit: *Caſtum Diaconum, ut dicat, an Silvanus ſit traditor? ipſe eſt, qui eum creavit Diaconum.* Cum Caſtus intraſſet, Zenophilus Nomen ejus, & conditionem quærit, & deinde an Silvanus ſit traditor? reſpondit ſicut cœteri de lampade tradita, cupis, & aceto ablatis. Tum Zenophilus: *fatere! quot folles Victor dederit, ut Presbyter ordinaretur?* Caſtus reſpondit: *ſaccum quidem ſecum attulit, neſcio, quantum intus fuerit.* Zenophilus:

Sæculum IV. A. C. 320.

lus: *cui ſaccum iſtum dederunt?* Caſtus: *in Caſam majorem allatus eſt.* Zenophilus: *an pecunia non fuit diſtributa in populum?* Caſtus: *non. Nihil vidi.* Zenophilus: *an de follibus, quos Lucilla dedit, nihil acceperunt homines de plebe?* Caſtus: *neminem vidi aliquid accipere.* Zenophilus: *quid ergo illis factum?* Caſtus: *neſcio.* Nondinarius: *utique videris, vel audieris an pauperibus dictum ſit: Lucilla eſt, quæ vobis bonorum ſuorum aliquam partem communicat.* Caſtus: *neminem vidi, qui aliquid accepiſſet.* Zenophilus: *ex confeſſione Caſti exploratum eſt, ſibi nullam de eo eſſe ſcientiam, quod folles, a Lucilla dati, in populum diſtributi fuiſſent. Itaque exeat.*

Tum Creſcentianus Subdiaconus intrare jubetur, cujus nomine exquiſito, Zenophilus ait: *ſimpliciter ſicut cæteri fatere, num ſcias, Silvanum eſſe traditorem.* Creſcentianus reſpondit: *Clerici Seniores omnia faſſi ſunt.* Zenophilus: *quid dixerunt?* Creſcentianus: *dicebant, fuiſſe traditorem.* Zenophilus iterum: *quando Epiſcopus electus eſt, an fuiſti præſens?* Creſcentianus: *eram ibi cum populo in Caſa majore incluſus.* Diaconus Nondinarius dixit: *Gladiatores eum in Epiſcopum elegerunt.* Zenophilus ad Creſcentianum: *eſtne verum, quod Gladiator Mutus eum portaverit?* reſpon-

Sæculum IV. A. C. 320.

ſpondit: *eſt veriſſimum.* Rurſus Zenophilus: *an tibi notum, quod cupas templi Serapis abſtulerit?* Creſcentianus: *plures dicebant, Epiſcopum Purpurium cupas abſtuliſſe, & Senem noſtrum Epiſcopum Silvanum pro ſua parte acetum accepiſſe. Elionis liberi idem narrabant.* Zenophilus iterum interrogat; an de quadringentis follibus Lucillæ aliquid ad populum pervenerit? Creſcentianus: *nemo quidquam accepit. Neſcio etiam, quis hos folles dederit.* Nondinarius dixit: *viduis nihil datum eſt?* Creſcentius: *nihil.* Zenophilus dixit: *quando tales largitiones fiunt, an non populus publice has accipit?* Creſcentianus: *nec vidi, nec audivi quidquam alicui hominum fuiſſe datum, alias certe etiam ad nos quædam particula deveniſſet.* Zenophilus: *quo ergo hi folles delati?* Creſcentianus: *neſcio, nemo aliquid accepit.* Nondinarius dixit: *quot folles Victor dedit, ut fieret Presbyter?* Creſcentianus: *vidi caniſtra afferri pecuniis plena.* Zenophilus: *cui iſta caniſtra data ſunt?* Creſcentianus: *Epiſcopo Silvano.* Zenophilus: *nihil populo datum?* reſpondit: *nihil. Etiam aliqua pars nos contigiſſet, ſi, ut fieri ſolet, pecunia fuiſſet diſtributa.* Zenophilus ad Nondinarium: *eſtne præterea, quod ex Creſcentiano quæratur?* Nondinarius: *Nihil amplius.* Zenophilus:

Sæculum IV. A. C. 320.

lus: *cum Subdiaconus Crescentianus omnia simpliciter confessus sit, recedat.* Tum Subdiaconus Januarius ingressus est, quem similiter interrogarunt. Sed reliqua hujus quæstionis judicialis non habemus.

§. XXVI.

Indulgentia Imperatoris ergo Donatistas.

Silvano itaque convicto, quod tempore persecutionis sacra vasa tradidisset, quodque per malas artes, & Simoniam adEpiscopatus apicem ascendisset, Zenophilus, quæ acta essent ad Imperatorem Constantinum rescripsit, adjiciens Silvanum in Numidia schismatis causam esse, & seditionis fautorem, atque Catholicorum Basilicam urbis Constantinæ vi occupasse. Quibus permotus Constantinus eum cum quibusdam suæ factionis in exilium pellit. Modico post hæc tempore Episcopi Donatistæ Libellum supplicem Constantino tradiderunt, qua rogabant, ut salva sibi esset libertas, nec cum Cæciliano communicare cogerentur, cum libentius ultima essent passuri; rogabant quoque, ut Silvanum, aliosque exules revocaret; hæc omnia a Constantini facilitate impetrarunt, nullam quoque injuriarum rationem habentis, quibus Cæciliani famam denigrabant, postquam

A. 321. *Coll. chart.* 3. *c.* 544. *Breviar. c.* 21. *Aug. ep.* 151.

ejus

ejus innocentia tam luculenter, & publice fuisset comprobata. Scripsit Verino Africæ Vicario, se Donatistas ab exilio revocasse, Deoque cœci furoris vindictam esse relinquendam. Data erat hæc epistola tertio Nonas Maji Crispo secundo, & Constantino juniore Consulibus, nempe 5. Maji anno 321. elapsis annis quatuor, & sex mensibus, postquam primos mense Novembri anno 316. in exilium miserat. Ita Donatistæ Religionis libertatem consecuti, nihilo meliores, quam fuissent, effecti sunt.

Sæculum IV. A. C. 321.

A. C. 321.

Aug. post. coll. c. 33.

Donatistarum Schisma Romam usque extensum; ubi quidam sedem sibi eligentes, petierunt Episcopum, qui conventibus eorum præsideret; missus est ex Africa Victor Garbensis, forte idem, qui adfuerat Concilio Cirthano, ex traditoribus consistente, anno 305. Quamvis plus quam quadraginta Ecclesiæ jam tunc Romæ essent, nullam tamen Donatistæ obtinere potuerunt, sed extra urbem in caverna quadam convenire compulsi sunt, quam viminea crate incluserunt, & quia locus iste in monte situs erat, Montenses dicebantur. Tempus, quo illuc convenire cœperint, exacte non scitur.

Optat. l. 2.

Sup. l. IX. §. 15.

§. XXVII.

Sæculum IV. A. C. 321.

§. XXVII.

Edictum pro Religione.

L. 3. Cod. de fer. Interim Imperator Conſtantinus conſtanter Religionem protegebat. Sexto Martii ejusdem anni 321. Diem ſolis, id eſt, Dominicam celebrari juſſit, atque in urbibus tribunalia a litibus, & populum a labore quieſcere; quem tamen in agris *Euſ. IV. vit. c. 18. Sozom. ibid. 1. c. 7. Sup. l. VI. §. 17. l. 1. Cod. de Sac. Eccleſ. L. un. Cod. Theod. de infirm. pœn. cæl. l. 8.* permiſit, ne tempus huic culturæ aptiſſimum ſæpe fruſtra elaberetur. Juſſit quoque obſervari diem veneris in paſſionis Domini noſtri memoriam, his enim ut plurimum diebus convenire Chriſtiani ſolebant. (*) Prima die Julii ejusdem anni lex emanavit, ut cuique liberum eſſet, quæ vellet, Eccleſiæ Catholicæ de bonis ſuis relinquere; nempe, *Euſ. IV. vit. c. 26.* quod prius lege prohibebatur, permiſit. Leges inſuper Romanorum antiquas abrogavit, in cœlibatu viventibus, pœnam *Sozom. 1. hiſt. c. 9.* imponentes, & prolem legitimam non habentibus, qui donationis inter vivos, aut legati incapaces erant; & hoc quidem juſte, quia plerisque Ethnicorum cœlibatum eligendi non alia erat cauſa, quam ut in omnem vitæ licentiam impune ſolverentur. Merito igitur hæ leges

(*) Hic d ſpicitur, æque antiquum eſſe, ac pium, diebus veneris memoriam Paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti recolere.

ges in favorem Christianorum mutatæ, quorum continentia nulla pœna, sed potius præmio digna erat. Alia lege Constantinus supplicium crucis abolet, antea apud Romanos usitatum. Rursus alia lege partibus litigantibus jurisdictionem Magistratuum Sæcularium declinare permittit, & Episcoporum sequi judicium; sententiæ eorum talem auctoritatem attribuit, ac si a se ipso lata fuisset, Magistratibus, & eorum Ministris injungens, ut eas executioni darent. Ita Episcoporum arbitrio, quod jam antea inter Christianos maximi ponderis erat, auctoritatem a lege civili conciliavit.

Sæculum IV. A. C 321.

Ibid. c. 8. 9.

Const. Ap. l. II. c. 46.

§. XXVIII.

Hæresis Arianæ Initium.

In hoc rerum statu Ecclesia majus, quam unquam antehac, ab hoste interno subiit periculum, quod eidem Arii Presbyteri Alexandrini hæresis creavit. Is ex Libia oriundus, & aliquamdiu schisma Meletii secutus, eo deinde relicto, S. Petro Episcopo Alexandrino reconciliatus est, qui eum ordinavit Diaconum; sed Ecclesia postmodum ejecit, quod se ob excommunicatos Meletii Sectatores reprehenderet. Cum S. Petrus anno 311. ad recipiendum Martyrii præmium avolasset ad Cœlos, Sedes Alexandrina uno an-

Sozom. l. c. 15.

Sup. l. IX. §. 37. Eus. VII. hist. c. 32.

Sæculum IV. A. C. 321.

anno vacavit, cui succeſſit Achillas jam ſub S. Theona Presbyterio functus, & ſcholæ Chriſtianæ Alexandrinæ Magiſter, vir graviſſimus, magno animo, & vitæ puritate inſignis, ex cujus actionibus pietas, & ſapientia elucebat. Is Arium veniam deprecantem ſuſcepit, ad ſuam communionem admiſit, officio Diaconi defungi paſſus eſt, & tandem ad Presbyteratum evexit. S. Achillas non ultra aliquot menſes Sedem Alexandrinam tenuit, quo defuncto anno ferme 313. electus eſt Alexander, vir irreprehenſibilis Doctrina Apoſtolorum æmulus, facundus, Clero, & populo charus, lenis affabilis, liberalis, & charitate in pauperes præcipuus.

Gelaſ. Cyz. l. II. c. 8. *Sozom. 1. c. 15.* *v. Pagi. an. 311. n. 19.* *Theod. 1. hiſt. c. 1.* *Epiph. hær. 69. n. 2.* *Sozom. 1. c. 15.*

Arius tunc temporis non ſolum Presbyteratus honore gaudebat, ſed etiam prædicationis officium, & cujusdam Eccleſiæ cura ipſi erat demandata, nam plures Alexandriæ, ubi populus Fidelis conveniebat, numerabantur. Tales Eccleſiæ novem nominantur, & in unaquaque earum Presbyter præſidebat, & SS. Scripturas explicabat, ad eum prope modum, quo iſtud in noſtris Parochiis fit. Illa, in qua Arius fuerat Præpoſitus, Baucalis dicebatur. Sed Epiſcopatum ſperaverat, & Alexandrum ſibi fuiſſe prælatum impatientiſſime ferebat; cum in moribus ejus nihil eſſet, quod reprehenderet,

Theod. 1. hiſt. 2.

Doctri-

Doctrinam ejus calumniandi ansam quæ- Sæculum IV.
rebat, quæ, ut optabat, oblata est. Dum A. C. 321.
Alexander in Cœtu Presbyterorum, & aliorum Clericorum de Sancta Trinitate differit, in Trinitate unitatem esse affirmat; Arius hac ratione hæresin Sabellii induci contendit, & disputationis fervore abreptus in alterum extremum incidit, dicens: *Si Pater genuit Filium, qui genitus est, habet suæ existentiæ initium, ex quo sequitur, fuisse tempus, in quo Filius non erat, & esse ex nihilo productum.* Addebat, Dei Filium esse opus ejus, & creaturam, libero suo arbitrio virtutis, & vitii capacem, & plura alia, quæ ex malo principio sequebantur. Nova erat hæc Doctrina, & hactenus inaudita; econtra S. Alexander cum tota Ecclesia docebat, Filium Dei esse cum Deo ejusdem Dignitatis, & substantiæ.

Socrat. l. c. 5. Sozom. l. c. 15.

Theod. l. c. 2.

Primo quidem Arius venenum in colloquiis privatis sparsit, ita ut malum aliquamdiu lateret; ubi vero audiri se vidit, & magno Sectatorum numero defendi, publice suam opinionem docere cœpit. Presbyteri alii, qui Ecclesias Alexandriæ regebant, non minora sibi, quam Ario licere rati, diversa docebant, quorum nulli Sectatores defuere; ex his notissimi sunt Colluthus, Carponas, & Sarmatus, sed duo ultimi Ario se junxerunt, qui copiosam turbam Virginum, Diaco-

Epiph. hær. 69.

Sæculum IV. A. C. 312.

nos duodecim, septem Presbyteros, imo & Episcopos non nullos in suam sententiam traxit. Ingenium ei Natura dederat, ad seducendos alios factum; ætas jam senilis, virtutis, & zeli ingens speties erat, habitus externus ad modestiam compositus, altitudo corporis supra vulgarem, vultus severus, & quasi pœnitentiæ operibus maceratus, vestitus rigidus, nempe tunica sine manicis, & palliolum arctum, ab habitu monastico non abhorrens. Alloquium ejus mansuetum, non injucundum, aptum ad persuadendum; erat etiam Arius in Dialectica, & scientiis profanis haud peregrinus; eum S. Alexander initio paternis exhortationibus ad saniora reducere conabatur, tanta patientia, ut ea multis nimia videretur; inde enim Colluthus causam prætexuit, conventus agendi, & ordinandi Presbyteros, quasi potestatem Episcopalem habens, dicebatque, hac sibi opus esse auctoritate, sine qua Ario resistere non valeret. Fertur etiam hæresin schismati junxisse, docens, Deum non esse auctorem malorum, quibus genus humanum affligitur, quasi vero hæc mala ad Dei Justitiam relata non essent bona. At Colluthi secta ætatem non tulit.

Epiph. hær. 69. *n.* 3. & *Petav. p.* 284.

Athan. Ap. p. 732.

Aug. hær. 65.

Arii hæresi latius serpente, S. Alexander Clerum suum convocat, facta Ario libertate suam opinionem propugnandi.

Duo-

Duobus habitis colloquiis, nihil actum, quod ad concordiam reducendam faceret, tandem S. Episcopus videns hunc errorem Alexandria in alias urbes dimanare Concilium congregavit, in quo unanimiter Presbyter Arius, Diaconi Achillus, Euzoius, Aithales, Lucius, Sarmatus, Julius, Menas, alter Arius, & Helladius, nempe Diaconi novem, excommunicati sunt. Hoc factum circa annum 320. Scripsit epistolam Synodalem ad omnes Episcopos, Doctrinæ Apostolicæ Defensores, atque inter alios ad Philogonum Antiochenum, Eustathium Bereensem, ad Episcopum Byzantinum, seu is fuerit Metrophanes, adhuc in vivis, seu Alexander. Epistolam Alexandri Alexandrini ad Byzantinum habemus, in qua super hac materia loquitur in hunc modum:

Sæculum IV. A. C. 321.

Ruf. 1. *c.* 1. *Soz.* 1. *c.* 15.

Ath. or. 1. *in Ar. p.* 305.

Theod. l. 1. *c.* 3.

§. XXIX.

S. Alexandri Epistola prima.

Arius, & Achillas nuper in Ecclesiæ ruinam conjurarunt. Quotidie diu, noctuque concurrunt, calumniis calumnias contra JEsum Christum, & me adjiciunt. Sanctam Doctrinam Apostolicam reprobant, Salvatoris nostri Divinitatem negant, Judæis nihilo meliores. Nullam diem sine seditionibus, & persecutionibus transigimus. Mulieres pervica-

Sæculum IV. A. C. 321.

ces ſeduxerunt, quarum potentia adjuti ad tribunalia nos trahunt. Hujus factionis puellæ inſolenter per urbis compita discurrunt, maximo Chriſtianæ modeſtiæ & Diſciplinæ detrimento. Subjungit; ad plures Epiſcopos ſcripſerunt, unionis, & pacis petendæ obtentu, reipſa ut longa reſponſa ab iis obtineant, quæ ſuis Sectatoribus prælegant, & in errore confirment. Hos deinde a quibusdam contra canonem Apoſtolicum ad communionem fuiſſe receptos queritur; Quippe antiqua regula, a nullo Epiſcopo recipi debere, qui ab uno fuiſſent communione privati, inter canones Apoſtolis attributos legitur.

Can. apoſt. 6.

Tum perverſam eorum Doctrinam in hunc modum refert: *Dicunt, tempus fuiſſe, in quo Filius Dei non erat, ſed factum, poſtquam aliquando non fuiſſet, & factum fuiſſe tali natura, quali omnes homines eſſent. Dicunt enim, Deum omnia ex nihilo creaſſe, & omnibus creatis Filium Dei accenſent, quo poſito, ſequitur eſſe mutabilem, virtutis capacem, & vitii obnoxium. Etiam nos, dicunt hi nefarii; poſſumus Dei Filii fieri, ſicut ipſe, quia ſcriptum eſt: genui filios, & educavi eos. Et ſi ipſis objiciantur verba ſequentia: ipſi autem ſpreverunt me; tanta ſunt impudentia, ut reſpondere audeant; prævidiſſe Deum, hunc Filium nunquam man-*

Iſa. 1. 2. Sec. 70.

data

data ſua transgreſſurum, & hinc iſtum ante alios elegiſſe, natura ſua nihil habentem, quo ab aliis Filiis diſtingueretur. Quippe nemo, inquiunt: natura Filius Dei eſt, aut proprie Filius dici poteſt, ſed iſte natura mutabilis eſt, & ideo ſolum electus, quia tanto virium anniſu in virtutem incubuit, ut naturam bonam a Deo acceptam non corruperit; ita ut ſi Paulus, aut Petrus eundem conatum adhibuiſſent, eorum filiatio nihil ab ejus filiatione differret. In hunc ſenſum detorquent illa verba pſalmi: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, ideo unxit te Deus, Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Pſalm. 44. 8.

Poſtquam hoc modo Arii Blasphemias expoſuit, Doctrinam Eccleſiæ explicat, & primo in illis S. Joannis verbis fundat: *Filius unicus, qui eſt in ſinu Patris;* ut oſtendat eſſe inſeparabiles. Atque ut probet Filium non eſſe de numero Creaturarum ex nihilo productarum, examinat illa verba: *In Principio erat Verbum, & cætera.* Joan. 1. 18. Joan. 1. 1. *Si omnia,* inquit: *per ipſum facta ſunt, quomodo ille, qui omnibus creaturis eſſe dedit, poteſt aliquando non fuiſſe? quippe nulla ratione concipi poteſt, opificem ejusdem cum opere ſuo eſſe naturæ. Maxime ſibi oppoſita ſunt, & a ſe remotiſſima, in Principio fuiſſe, & Principium habuiſſe, cum nulla diſtantia inter Patrem,*

Sæculum IV. A. C. 321

& Filium dispiciatur, nequidem sola ratione concipienda. Hinc S. Joannes, cum sciret, quod Verbum Deus semper fuisset, sed modo intellectui humano incomprehensibili, noluit de ejus Generatione, & Productione loqui, non ausus iisdem vocibus uti, quibus tam Creatorem, quam creaturam nominaret; non ideo, quod Verbum non sit genitum, nam solus Pater non est genitus, sed quia productio ineffabilis unigeniti Filii Dei Evangelistarum, & forte etiam Angelorum captum excedit. Caterum Filium ex nihilo productum, & hanc productionem fuisse temporalem dicere, insania est. Quippe si dicatur aliquando non fuisse, istud non esse ad aliquod temporis, vel sæculi spatium referri debet, si autem verum est, omnia per ipsum facta fuisse, manifestum quoque est, omne tempus, & omne spatium ipsius opus esse, quomodo ergo absurdum non sit dicere, aliquod tempus fuisse, quo ille non fuit, qui omne tempus condidit, hoc est, causam suo effectu esse posteriorem.

Huc illa S. Pauli verba applicat, Filium natum esse ante omnem creaturam, a Deo constitutum omnium hæredem, & per ipsum fecisse etiam Sæcula. Et iterum: omnia per ipsum creata sunt in cœlo, & in terra, visibilia, & invisibilia, Principatus, Potestates, & reliqua. Pater ergo semper est Pater, quia Filius semper cum ipso

Coloss. 1. 15. *Heb.* 1. 2. *Coloss.* 1. 16.

Sæculum IV. A. C. 321.

S. Alexandri Epistola.

ipso existit; impius sit, qui dicat, Sapientiam Dei, aut Potentiam suam non semper fuisse, & Verbum ejus aliquando fuisse imperfectum, aut æternitatem aliarum Notionum neget, quæ Patrem, & Filium necessario distinguunt. Filiatio Salvatoris nihil commune habet cum filiatione aliorum, illa Naturæ Divinæ Patris conformis est, Filiumque super omnes alios infinite elevat, qui per ipsum Filii adoptivi facti sunt.

Filius Dei immutabilis naturæ est, cum sit perfectus, & nullo indigeat; alii mutationi subjecti sunt tam in bonum, quam in malum, & ejus auxilio indigent; quomodo enim Dei Sapientia crescere possit? aut quid ipsa veritas discere? quid possit addi ipsi vitæ, aut veræ luci? multo magis vero Naturæ Divinæ repugnat, ut Sapientia ejus possit stultescere, aut Potentia infirmari, ut ratio infinita deficiat, aut lux vera tenebris misceatur? Qui creaturæ ejus sunt homines, & Angeli, accepta Benedictione, in exercitio virtutum, & observatione mandatorum crescere jussi sunt, & peccata devitare. Ideo Dominus noster JEsus Christus, cum sit natura Filius Patris, ab omnibus adoratur, alii vero rejecto servitutis Spiritu, per progressum in bonis operibus Spiritum Adoptionis accipiunt, & per Gratiam Filii adoptivi

Rom. 8. 15.

Sæculum IV. A. C. 321.

evadunt. S. Paulus declarat filiationem Filii Dei veram, propriam, naturalem, excellentem, dum de Deo dicit: Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Vocat eum proprium Dei Filium, ut eum a nobis discernat, qui filii quidem, sed non proprie, nec natura sumus. Etiam illum Evangelii locum affert: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complaceo; & illa ex Psalmis: Dixit Dominus ad me: Tu es Filius meus, ego hodie ex sinu meo ante auroram genui te. Ex his probat Alexander, Filium Dei esse vere, & natura talem.

Rom. 8. 32.

Matth. 3. 17.

Psal. 2. 7.

§. XXX.

Epistolæ Pars altera.

Sanctus Alexander prosequitur in hunc modum: *Plura omitto, quæ afferre possem, charissimi fratres! ne prolixitate te fatigem viros Doctores, eadem mecum sentientes.* Ex isto, aliisque locis apparet, ipsum ad plures Episcopos orationem dirigere, & hinc Epistolam fuisse circularem conjicere licet. Et rursus: *Ab ipso Deo scientiam accepistis, & hanc Doctrinam novam non ignoratis, similem esse Doctrinæ Ebionis, & Artemæ, atque Pauli Samosateni errorem imitari, qui auctoritate Concilii,*

& omnium Episcoporum mundi judicio Ecclesia ejectus est, ei successit Lucianus, qui pluribus annis sub tribus Episcopis separatus remansit; non minus impia sunt, quæ isti docent. Non occurrit alius Lucianus, cui hæc S. Alexandri verba conveniant, quam celebris Martyr Presbyter Antiochenus, cujus se discipulum Arius gloriabatur. Facile potuit contingere, ut ejus Doctrina non satis perspecta, suspicione non vacaverit; quidquid vero de hoc sit, illud exploratum, tempore sui Martyrii in Ecclesiæ communione fuisse; & quamvis S. Alexander dicat, ipsum fuisse separatum, non tamen in ea separatione perduraſſe asserit. Subjungit: *Trium Episcoporum Syriæ suffragio inflantur, de quibus, quomodo ordinati fuerint, mihi non constat, & hujus rei ad vos pertinet judicium.* Tres Episcopi, quos modeste non nominat, sunt Eusebius Cæsarienſis in Palæstina, Paulinus Tyrienſis, & Patrophilus Scythopolitanus.

Sæculum IV. A. C. 321.

S. Alexandri Epistola contra Arianos.

v. To. 2. l. IX. §. 38.

Tum rursus S. Alexander, *tenaci memoriæ impresserunt*, inquit: *omnes textus, qui loquuntur de Passione Filii Dei, de ejus humilitate, paupertate, contemptu, & omnia alia abjecta, quæ pro nobis pati dignatus est; has humanitatis infirmitates ejus Divinitati opponunt, sed alto silentio involvunt verba, quibus*

Sæculum IV. A. C. 321.

quibus Gloria ejus naturalis, excellentia, in sinu Patris subsistentia indicantur, sicut illa sunt: Pater, & ego unum sumus; (*) *quod non in hoc sensu dixit Dominus, ut affirmet se esse Patrem, aut duas Personas unam esse, sed Filium naturaliter exactam similitudinem Patris servare, & esse perfectam imaginem Prototypo conformem.*

Jo. 10. 30.

Ulterius ita prosequitur: *Omnibus antiquioribus se multo sapientiores jactant, & iis omnibus, quos in juventute nostra Magistros venerati sumus; nullos orbis terrarum Episcopos satis sapere existimant; ipsi soli sapientes, soli veræ Doctrinæ inventores; ipsis solis revelatum, quod sub sole mortalium nemini in mentem venit.* Et inferius: *Reprehendunt nos, quod doceamus, duos dari non genitos, & contendunt, nos ad hoc affirmandum compelli, nisi cum ipsis dicamus, Filium ex nihilo productum. Nempe cæci non vident, quanta sit distantia inter Patrem ingenitum, & Creaturas, quas ex nihilo produxit; inter hæc duo extrema medius est Filius uni-*

(*) Saltem hic Fleurius, fatente etiam Anonymo I., in quo alibi erravit, corrigit, dum non amplius posuit: *Le Pere, & moi sommes un,* sed: *une chose.* Fuitne operæ pretium talia memorare?

unigenitus, DEus Verbum, per quem Pater omnia fecit ex nihilo, quem ex se ipso genuit.

Seculum IV. A. C. 321.

S. Alexander fidem ſuam deinde in hunc modum profitetur: *Credimus cúm Eccleſia Apoſtolica in unum Patrem ingenitum, nullum ſuæ eſſentiæ Principium habentem, immobilem, & immutabilem, ſemper eundem, qui nec perfici poteſt, nec lædi; qui Legem, Prophetas, & Evangelia dedit; qui Patriarcharum, Apoſtolorum, & Sanctorum omnium Dominus eſt. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum, Filium Dei unicum, non ex nihilo, ſed ex Patre genitum, non generatione corporea per abſciſſionem, aut effluxum, ſicut Sabellius, & Valentinus volunt, ſed modo ineffabili, & inenarrabili, ſicut ſcriptum eſt: Generationem ejus quis enarrabit, & ſicut ipſe dixit: Nemo novit Patrem, niſi Filius, & nemo novit Filium, niſi Pater. A majoribus accepimus Filium eſſe immobilem, & immutabilem ſicut Patrem, nullius rei indigentem, perfectum, ſimilem Patri, & hoc ſolum non habentem, ut ſit ingenitus, ſicut Pater; in hoc ſenſu ipſe dixit: Pater major me eſt. (*) Credimus*

Pſ. 53. 8.

Luc. 10. 2.

Joan. 14. 28.

(*) Ut hæc verba ſimpliciter ſonant, Arianorum

Sæculum IV. A. C. 321.

mus etiam Filium semper a Patre procedere, ideo tamen nemo putet, nos negare, ipsum esse genitum; nam verba ista: Erat. Semper. Et ante sæcula non idem exprimunt, ac vox ingenitus; videntur quidem quasi temporis quamdam extensionem significare, sed Divinitatem, &, ut ita dicam, Filii unici antiquitatem digne explicare non possunt. Conservanda est igitur Patri hæc Dignitas propria, quod non sit genitus, dicendo nullum suæ essentiæ habere Principium, servandus etiam Filio competens honor, dicendo, a Patre genitum esse sine initio, & solius Patris proprietatem esse, non esse genitum.

Confitemur etiam unum Spiritum Sanctum, qui æqualiter sanctos viros veteris Testamenti, & divinos Doctores novi sanctificavit. Unam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, quamquam ipsi

norum Hæresin non refellere, sed magis iisdem favere videri possunt. Sed cum ea, quæ præcedunt, & sequuntur, probent, S. Alexandrum eandem Perfectionem Filio, ac Patri tribuere, explicari possunt, quod loquatur de Majoritate, quoad solum Nomen tali, & in Relatione Ingeniti, & Geniti consistente, vel quod velit dicere, Filium non tantum ab æterno non esse ingenitum, sicut Patrem, sed etiam in tempore secundum naturam humanam fuisse genitum.

ipsi conjuratus terrarum orbis bellum moveat, semper invictam, semperque de hæreticorum impiis conatibus triumphantem; quippe constantiam nobis suggerit Paterfamilias illis verbis: Nolite timere, devici mundum. Præterea credimus Resurrectionem mortuorum, quorum Dominus noster JEsus Christus primus fuit, postquam ex Maria Matre Dei verum, non apparens corpus assumpserat. Vox ista: *Mater Dei Theotocos*, propter secutura notatu dignissima est. (*) S. Alexander ita pergit: *In fine Sæculorum cum*

Sæculum IV. A. C. 321.

Joan. 16. 33.

Confessio fidei S. Alexandri Alexandrini.

(*) Hier zeiget unser Uebersetzer wiederum, was er für ein Meister in der Gottesgelehrtheit sey. Er saget in einer kurzen Anmerkung: Welches (das Wort Θεοτοκος) die Nestorianer von der Jungfrau Maria nicht gebrauchen wolten, ob sie wohl den Satz selbst willig einräumeten, daß der Sohn GOttes in der Jungfrau Maria die menschliche Natur angenommen habe. Wenn Nestorius nur das Wort: *Theotocos* verworfen, und übrigens die Sach selbst bekennet hätte, würde er nicht von der ganzen Kirche als ein Ketzer seyn verdammet worden, sondern man hätte ihn für einen eigensinnigen, und aberwitzigen Menschen gehalten. Allein Nestorius leugnete nicht nur allein das Wort, sondern auch, daß der Sohn GOttes in der Jungfrau Maria die menschliche Natur angenommen habe, in dem Verstande der Katholischen Kirche,

und

Sæculum IV. A. C. 321.

cum genere humano habitavit, ut destrueret peccatum. Crucifixus est, & mortuus sine divinitatis detrimento. Resurrexit, ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Majestatis. Hæc docemus, hæc prædicamus, hæc sunt Apostolicæ Ecclesiæ dogmata, ad quorum defensionem tormenta, & mortem pati parati sumus.

Arium, aliosque, qui has veritatem oppugnant, Ecclesia ejecimus, juxta præceptum Apostoli: Si quis vobis aliud evangelizet, quam quod accepistis, anathema sit! nemo ergo ex vobis hos recipiat

Gal. 1. 8.

---

und sagte, er habe in der Jungfrau Maria nebst der menschlichen Natur, auch eine menschliche Person angenommen, so daß in JEsu Christo eine göttliche, und eine menschliche, und also zwo Personen gewesen wären. Dieses war die Ketzerey des Nestorius, und das hat unser Uebersetzer nicht verstanden. Gut! Wer hat es denn verlangt, daß er es verstehen soll? Es kann ja nicht jedermann ein Gottesgelehrter seyn. Aber das ist eine Dummheit, daß dieser Uebersetzer einen Gottesgelehrten vorstellen will, da er doch keiner ist. Es kann diesen Menschen nichts anders als Geld- und Schmähsucht wider die Römische Päbste zur Uebersetzung eines Römischkatholischen Geschichtschreibers bewogen haben. Von der Ketzerey des Nestorius wird zu seiner Zeit viel mehreres vorkommen.

cipiat, a fratribus noſtris excommunicatos, nemo eorum ſermones auſcultet, aut libros legat; impoſtores ſunt, nunquam veritatem dicentes. Hos nobiſcum condemnate, Confratrum noſtrorum exemplo, qui mihi ſcripſerunt, & libellum ſuo nomine ſignarunt, quem vobis unacum eorum Epiſtolis per filium meum Apionem Diaconum tranſmitto; inter ſignantes inveniuntur Epiſcopi ex tota Ægypto, & Thebaide; ex Lybia, & Pentapoli; ex Syria, Lycia, Pamphilia, Aſia, Cappadocia, & vicinis Provinciis. Similes a vobis Epiſtolas exſpecto; quia, poſt alia remedia adhibita, eos, quos deceperunt, ex viſo Epiſcoporum conſenſu integre ſanari poſſe ſpero. Talis eſt S. Alexandri Epiſtola, ad cujus calcem nomina excommunicatorum leguntur, nempe Arii, & novem Diaconorum, ſupra nominatorum, quorum primus eſt Achillas.

Sæculum IV. A. C. 321.

§. XXXI.

Secunda S. Alexandri Epiſtola.

Interim creſcebat malum, & per Ægyptum, ſuperiorem Thebaidem, & Lybiam diffundebatur, jamque duo Epiſcopi Arii partibus acceſſerant, Secundus ex Ptolemaide in Pentapoli, & Theonas ex Marmarica; Euſebius vero Nicomedien-

Socr. l. c. 6. Valeſ. in Theodo. hiſt. l. c. 4.

Sæculum IV. A. C. 321.

sis palam ejus Patronum agebat. S. Alexander, his compertis, alterum Concilium ferme centum Episcoporum ex Ægypto, & Lybia Alexandriæ celebravit, in quo Arius, & Sectatores ejus rursus excommunicati, atque hujus judicii rationem reddidit in Epistola ad omnes mundi Episcopos data, sequentis tenoris: Se quidem tantum malum silentio pressurum fuisse, & in ipsis apostatis extirpaturum, ne piorum Christianorum aures offenderentur; *At vero*, subjungit: *quia Eusebius, qui sibi jus in disponendis Ecclesiæ rebus arrogat, qui, derelicta Ecclesia Berytensi, Nicomediensem invasit, & hoc impune, hodie etiam apostatis Ducem se præbet, & circumquaque datis litteris protegit, abrumpere silentium cogor, ut vobis notum faciam, quinam hi apostatæ sint, & quam funestum hæresis virus, seducendis simplicium animis, evomant. Quidquid Eusebius blateret, nolite attendere. Sunt igitur ab Ecclesia rejecti Arius, Achillas, Aithales, Carponas, alter Arius, Sarmatus, Euzoius, Lucius, Julianus, Menas, Helladius, & Gajus, & cum ipsis Secundus, & Theonas, quondam Episcopi. Quæ dicant autem, nulla Scripturæ auctoritate, sed a se conficta, percipite:*

Ajunt: Deus non semper fuit Pater, sed fuit tempus, quo Pater non erat.

Verbum

Sæculum IV. A. C. 321.

Verbum Dei non semper extitit, sed ex nihilo productum est; Iste Filius creatura est, & opus Dei. Non est similis Patri in substantia, nec verum ejus Verbum, nec vera Sapientia. Improprie Verbum, & Sapientia dicitur, cum & ipse per verbum Dei proprium, & sapientiam ejus factus sit, per quam Deus omnia fecit. Hinc sua natura mutabilis est, & mobilis, sicut aliæ creaturæ rationales; est a substantia Dei alienus, distinctus, & separatus. Pater est ineffabilis, etiam Filio, Patrem perfecte non cognoscenti; Filius nec propriam suam substantiam cognoscit talem, qualis est. Factus est propter nos, ut quasi instrumentum esset, quo creavit nos Deus, nec ipse unquam extitisset, nisi Deus nos creare decrevisset. Cum interrogarentur, an Verbum Dei mutabile sit, sicut Diabolus mutatus fuit? non exhorruerunt respondere: quod mutari possit, quia natura mutabilis est, atque generari, & creari potuit. Arium, & Sectatores ejus, hæc impudenter affirmantes, anathematizavimus, simul cum Episcopis Ægypti, & Lybiæ congregati. Eusebius, & factio ejus apostatas receperunt, miscentes veritatem, & mendacium. At frustra! veritas in æternum vincet. v. Vales.

Sæculum IV. A. C. 321.

*Quis enim aliquando ſimile quidquam audivit? aut quis hodie audiat, & non obſtupeſcat? quis non aures obſtruat, ne horribili blaſphemia polluantur? Quis audiat S. Joannem, dicentem: In Principio erat Verbum; & non execretur dicentes: tempus fuit, quo non exiſtebat? quis in Evangelio legi auſcultet: Filius unigenitus; &, omnia per ipſum facta ſunt, & non deteſtetur, dicentes, Filium de Creaturarum numero eſſe. Quomodo cum rebus illis confundi potv. Valeſ. eſt, quæ per ipſum factæ ſunt? aut quomodo Filius unicus eſt, ſi cæteris omniPſ. 44. bus accenſetur? Quomodo ex nihilo creaPſ. 109. tus eſſe poteſt, cum Pater dicat: Cor meum eructavit Verbum bonum, & antHebr. 1. 3. auroram ex ſinu meo genui te. Quomo*Jo. 14. 9. *do in ſubſtantia diſſimiiis Patri eſſe poteſt, qui eſt ſimilitudo perfecta, & ſplendor Patris? & qui dicit: Qui videt me, videt & Patrem meum? Si Verbum eſt, ſcilicet Ratio, & Sapientia Patris, quomodo aliquando non fuit? ſic enim dicunt, Deo aliquando Rationem,*Joa. 14. 10. *& Sapientiam defuiſſe. Quomodo ille mutationi ſubjectus eſſe poteſt, qui dicit:*Joa. 10. 30. *Ego in Patre, & Pater in me eſt? & iterum Pater, & ego unum ſumus?*Hebr. 13. 8. *juxta Apoſtolum autem JEſus Chriſtus idem eſt hodie, qui fuit heri, & in omnibus ſæculis. Quomodo iſti dicere poſſunt,*

Filium

Filium Dei pro nobis factum fuisse, cum S. Paulus dicat, omnia propter ipsum, & per ipsum facta? dum blasphemant, Filium perfecte Patrem non cognoscere, illis Domini verbis adversantur: Sicut novit me Pater, & ego novi Patrem. Si ergo Pater Filium imperfecte cognoscit, tunc etiam Filius eodem modo cognoscit Patrem, quod dicere nefas est. Sæculum IV. A. C. 321. *Hebr.* 11. 10. *Jo.* 10. 1.

Hoc modo dicta eorum sæpe refutavimus, sed sunt camæleonte mutabiliores, & hæreticorum omnium deterrimi, quia, cum divinitatem Verbi destruere velint, sunt Antichristo simillimi. Nos igitur eorum impias voces his auribus audientes, anathematizavimus eos, & tam a fide, quam Ecclesia Catholica alienissimos declaravimus, idque vobis charissimis, & venerabilibus Fratribus nostris notum facimus, ut si quis eorum (sunt enim impudentissimi) ad vos veniant, non recipiatis, nec iis, quæ Eusebius, aut quisquam alius vobis scripserit, fidem adhibeatis. *Gelas. Ciz. L. II. c. 3.* In quibusdam hujus Epistolæ exemplis septendecim Presbyterorum, & tredecim Diaconorum Alexandriæ, atque sedecim Presbyterorum, & sedecim Diaconorum ex Mareotide manus videntur, at centum Episcoporum nomina non inveniuntur. (*)

(*) Der Uebersetzer lobet hier den heiligen Alexan-

Sæculum IV.
A. C. 321.

§. XXXII.

Acta depositionis Arii.

Coteler. not. in lib. 8. Const. Apost. p. 317.

Post hanc Epistolam S. Alexander depo sitionem Arii iteravit, decreto in hun modum scripto: *Alexander Presbyteri*

lexander in einer Anmerkung, und saget: Se Grund, auf welchem er bestehet, ist das göt liche Wort, welches er als ein zweyschneid ges Schwerdt glücklich zu führen weiß. D ist wahr, der heilige Alexander hat die Arian meisterlich widerlegt. Nur ist es ein Unglü daß der Uebersetzer, weil er sich ausser der Röm schen Kirche befindet, sich dieses Schwerdtes nic gebrauchen kann. Ja aus der Heil. Schrift e lein ohne dem Zeugniß der Römischen Kirche ka kein Arianer überführet werden. Denn sollte u ser Uebersetzer das zweyschneidige Schwerdt sein Bibel wider einen Arianer ausziehen, und sage Zum Exempel: Pater, & ego unum sumus. Ic und der Vater sind eines. So würde ihm de Arianer ausweichen, und diese Worte nicht vo der Einheit der Natur, sondern von der Einhei der Liebe, und des Willens auslegen; Er würd ihm über dieß auch sein zweyschneidiges Schwerdt entgegen halten, und einen klärern Text wide ihn anführen: *Pater major me est.* Der Vate ist grösser als ich. Was der Protestantische Ueber setzer darauf antworten würde, weiß ich nicht, aber das wohl, daß ihm der Arianer einen tödtlichen

Streich

& Diaconis Alexandriæ, & Mareotidis, dilectis in Domino noſtro fratribus præſentibus ſalutem. Quamvis Epiſtolis a me ad Arii Sectatores datis ſubſcripſeritis, quibus eos hortabar, ut, impietati

Sæculum IV. A. C. 321.

Streich verſetzen würde, wenn er fragete: Verſtehſt denn du die Heil. Schrift beſſer als ich? Ich glaube es nicht, erweiſe es mir! Da müßte nun der arme Mann das Zeugniß einer Kirche für ſich bringen. Brächte er das Zeugniß der Römiſchkatholiſchen Kirche, würde er verlachet werden, und hören müſſen: Was bringeſt du mir das Zeugniß einer Kirche, die du verachteſt? Bezöge er ſich auf das Zeugniß einer Kirche, welche von der Römiſchkatholiſchen entſchieden wäre, als etwann der ſogenannten Evangeliſchen, oder der Reformirten; würde der gelehrte Arianer fragen: Iſt dieſe Kirche wohl auch von JEſu Chriſto geſtiftet? Wo ſind die Zeichen der wahren Kirche? Wo ſind die Prediger, die Lehrer, die Biſchöffe, welche die Lehre dieſer Kirche fortgepflanzet haben? In was für einem Lande, in was für einem Theil der Welt iſt dieſe von der Römiſchkatholiſchen abgeſönderte Kirche bey fünfzehn Jahrhunderte kenntlich geweſen, und bis auf Luthers Zeiten erhalten worden? Da würde nun der beängſtigte Ueberſetzer von einem Winkel zum andern kriechen müſſen; vielleicht würde er auch in das finſtere Loch der unſichtbaren Kirche ſich verſtecken, aber nichts darinnen finden als das Zeugniß des Niemandes, und endlich dem ſiegenden Arianer unterliegen müſſen.

Sæculum IV. A. C. 321.

renuntiantes, fidem Catholicam teneant, & sententiæ vestræ simplicitatem Ecclesiæ Catholicæ Doctrinæ conformem declaraveritis, quia tamen ad omnes nostros Confratres in causa Arianorum scripsi, etiam necessarium duxi, ut vos hujus urbis Clericos convocarem, & vos Clericos Mareotidis, ex hac maxime causa, quod aliqui ex vobis Arianos sequantur, & cum eis deponi voluerint, scilicet Charezius, & Pistus Presbyteri; Serapion, Parammon, Zosimus, & Irenæus Diaconi. Hinc, ut quæ modo scribo, sciatis, volui, & ut communem sensum vestrum testatum faciatis, dantes vestrum suffragium ad depositionem Arii, Pisti, & Sectariorum eorum; expedit enim, ut sciatis, quæ scribimus, & unusquisque vestrum, quasi ipse scripsisset, in corde suo servet.

Epiph. hær. 69. *n.* 4.

Arius, Alexandriæ damnatus, in Palæstinam recessit, ubi quorumdam Episcoporum Patrocinium nactus est. Potentius vero omnibus protegebat eum Eusebius Nicomediensis vir provecta ætate, magna in aula Cæsaris, ut plurimum in illa urbe residentis, auctoritate; ad hunc Arius Epistolam dedit, qua ipse suam Doctrinam explicat:

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sæculum IV. A. C. 321.

Epistola Arii ad Eusebium Nicomediensem.

Dilectissimo Domino meo Eusebio, viro Dei, fideli orthodoxo, Arius injusten. a Papa Alexandro vexatus, propter veritatem, quæ omnia vincit, quæ te protegente stat, salutem in Domino! Cum Pater meus Ammonius Nicomediam iter ingressurus esset, officio meo defuturum me credidi, si salutem tibi dicendi occasionem præterlabi permitterem. Simul ad notitiam Charitatis vestræ refero gravem persecutionem, quam ab Episcopo patimur, omnem in nos lapidem movente. Urbe ejecti sumus, cum impietatis nota, eoquod ab ipso dissentiamus, dum publice docet, Deum semper esse, & Filium semper esse, Patrem, & Filium simul esse; Filium cum Deo esse, nec esse genitum; semper genitum esse. Esse genitum, & non esse. Patrem Filio nec momento esse priorem, nequidem sola concipiendi ratione. Semper Deum, semper Filium. Filium ex ipso Deo procedere. Quia vero Eusebius Cæsariensis frater vester, Theodotus, Paulinus, Athanasius, Gregorius, Aetius, & omnes Orientales dicunt, Deum esse ante Filium suum absque Principio, anathemate percussi sunt, exceptis solummodo Philogono, Hellanico,

Epiph. ibid. n. 5. Theod. l. c. 5.

Sæculum IV. A. C. 321.

& Macario, tribus hæreticis ſtupidis, quorum alter dicit, Filium eſſe quamdam expirationem, alter projectionem, alter ſicut Patrem eſſe ingenitum. Quis bonus tam impias voces audire ſuſtineat, & ſimillies mortis periculum incurrat? Sed quid tandem dicimus, quid cogitamus, quid docuimus, quid adhuc hodie docemus? Filium non eſſe ingenitum, nec ingeniti ullatenus portionem eſſe, nec ex aliquo ſubjecto productum; ſed Patris conſilio, & voluntate ante tempora, & ante ſæcula plene ſubſtitiſſe, Deum, Filium unicum, immutabilem; & non fuiſſe, antequam gigneretur, crearetur, terminaretur, aut fundaretur, namque ingenitum non exſtitiſſe. Perſecutionem patimur, quod dixerimus: Filius initium habet, & Deus non habet. Hæc eſt perſecutionis cauſa; & quod docuerimus, productum eſſe ex nihilo; quod ideo diximus, quia neque portio Dei eſt, nec ex alio ſubjecto eductus. En! totum perſecutionis, qua premimur, argumentum! reliqua tibi haud ſunt ignota. Precor, ut in Domino noſtro ſalvus ſis, & afflictionum mearum memor, Pie Euſebi Collucianiſta! Hactenus Epiſtola Arii.

§. XXXIV.

Epiſcopi unius, & alterius partis.

Theod. l. c. 5. Arius Euſebium Collucianiſtam ideo vocat, quod ambo Martyris S. Luciani Presby-

Presbyteri Antiocheni Discipuli fuerint. Sæculum IV.
Episcopi, quorum in hac Epistola nomi- A. C. 321.
natim meminit, sunt Eusebius Cæsarien-
sis in Palæstina, & quod eum alterius Eu-
sebii fratrem dicat, credendi ansam præ-
bet, eosdem reipsa fuisse cognatione jun-
ctos; tum Theodotus Episcopus Laodi-
cenus in Syria, in cujus laudibus multus *VII. hist.*
est Eusebius; Paulinus Tyriensis, Atha- *c. 37. sup.*
nasius Anazarbensis in Cilicia, Grego- *l. IX. §. 29.*
rius Berytensis, Aetius Lyddensis, alio
nomine Diospolitanus. Hi sunt, quos
secum sentire prætendit. Tres illi, quos
sibi fatetur Adversarios, sunt Philogonus
Antiochenus, Hellanicus Tripolitanus in
Phœnicia, & Macarius Jerosolymitanus.
Philogonus primum sæculi curis implici- *Chrys. hom.*
tus, coram tribunalibus causas reorum *in Philog.*
dicebat, in matrimonio vivebat, habe- *to. 6.*
batque filiam. Cum meritis clareret, in
Episcopum Antiochenum electus est cir-
ca annum 318. post Vitalem Tyranni *sup. l. IX.*
successorem, qui hanc Sedem Apostoli- *§. 24.*
cam ab anno 299 usque ad annum 312
tenuit. Philogonus quinque annis Ec-
clesiam Antiochenam rexit iniquissimis
temporibus; vix persecutionis finis erat,
tristes perturbationis supererant reliquiæ,
& plurimi abusus corrigendi; magna
quoque prudentia opus fuit, ut exorien-
tis hæresis progressus sisteret. Macarius *Orat. 1. in*
Episcopus Jerosolymitanus Hermoni an- *Arian. p. 291*
no

Sæculum IV. A. C. 321.

no 314 succeſſerat, quem S. Athanaſius inter maxima ſæculi ſui decora numeravit.

§. XXXV.

Epiſtola Euſebii Nicomedienſis ad Paulinum Tyrienſem.

Euſebius Nicomedienſis, accepta Arii Epiſtola, ſcripſit ad Paulinum Tyrienſem, Euſebii Cæſarienſis pro defendenda veritate zelum laudibus extollens (nempe pro veritate ipſi erat Arii hæreſis) & noxium Paulini ſilentium reprehendens, quem excitat, ut deinceps pro eorum cauſa calamum ſtringat. Suam de fide Doctrinam in hunc modum exponit: *Nunquam audivimus, duas ſubſtantias dari ingenitas, neque unam, corporum more in duas partes diviſam; Nihil ejusmodi accepimus. Sed credimus, dari Ens non genitum, & alterum ab ingenito vere productum, at non ex ejus ſubſtantia deſumptum, quod nullatenus naturæ ingenitæ particeps eſt, ſed natura, & potentia prorſus diſtinctum; & nihilominus productum in perfectam naturæ, & potentiæ ſimilitudinem illius, a quo factum eſt. Credimus ejus initium nec oratione exprimi, imo nec intellectu non hominum modo, ſed eorum omnium, quæ ſupra homines ſunt, concipi poſſe; dum vero hæc aſſerimus, non*

in

Sæculum IV. A. C. 321.

in humanis argutiis fundamur, sed in Scriptura, docente, ipsum esse creatum, fundatum, & genitum in substantia sua, in sua natura immutabili, & in similitudine illius, qui ipsum fecit, sicut ipse Dominus dicit: Ab initio viarum suarum creavit me Deus, & ante Sæculum fundavit, & ante omnes colles generavit me. Si ens hoc ex Deo extractum esset, tanquam pars, aut effluxus, non diceretur creatum, aut fundatum; esset ingenitum ab initio, sicut ille, ex quo procedebat. Si ex eo, quod genitus dicatur, etiam ex substantia Patris productus dici vellet, & propterea natura idem; scimus, quod non de ipso solo Scriptura dicat, fuisse genitum, sed etiam de talibus, quorum natura plane dissimilis est; dicit enim de hominibus: Genui filios, & educavi, & ipsi spreverunt me. Et iterum: *Dereliquisti Deum, qui te genuit.* Et alibi: *Qui guttas roris genuit, quod non sic accipiendum, ac si una substantia ex altera educta sit, sed quod omnia sua voluntate produxerit, nihil autem ex ejus substantia extractum. Deus est; reliqua secundum ejus beneplacitum facta sunt per Verbum ejus, ut ei simile evaderet; Deus per ipsum omnia fecit, sed omnia a Deo proveniunt. Cape ista, & utere juxta gratiam a Deo tibi datam. Perscribe hæc*

Prov. 8. 22. sec. 70.

Isa. 1. 2. sec. 70.

Deut. 32. 18.

Job. 38. 28.

Sæculum IV. A. C. 321.

hæc sine mora ad Dominum Alexandrum; nam, ut confido, persuadebis. Hucusque Eusebii epistola ad Paulinum.

§. XXXVI.

Epistola Arii ad S. Alexandrum.

Athan. de Synod. p. 88. *Epiph. hær.* 69. *n.* 7. 8.

Ipse Arius ex urbe Nicomedia scripsit ad S. Alexandrum in hunc modum: *Beatissimo Patri Alexandro, Episcopo nostro, Presbyteris, & Diaconis in Domino nostro salutem. Fides, a majoribus nostris accepta, quam ex te didici, Beatissime Pater! hæc est: agnoscimus unum Deum solum ingenitum, solum æternum, solum sine Principio, solum verum, solum esse immortalem, solum sapientem, solum bonum, solum potentem, solum omnium Judicem, qui regit, & gubernat omnia, immobilem, immutabilem, justum, & bonum, eundem Deum Legis, Prophetarum, & Novi Testamenti; qui genuit Filium suum unicum ante sæculorum tempora, per quem fecit ipsa sæcula, & reliqua omnia. Genuit eum non apparenter, sed in veritate; dedit ei esse per voluntatem suam, immobilem, immutabilem fecit; creaturam Dei perfectam, non sicut creaturarum unam; Filium, non sicut filiorum unum. Non exivit ex Patre, sicut Valentinus docuit; non est, sicut Manes finxit, pars consubstantialis Patris, neque talis, qualem*

1. *Tim.* 6. 16.

2. *Tim.* 1. 9.

Hebr. 1. 2.

lem Sabellius voluit, qui, dividens unitatem, dixit, Filium simul esse, & Patrem; neque juxta opinionem Hieracæ lumen accensum de lumine, aut facem bifidam. Neque hoc est verum, illum, qui antea existebat, postea fuisse genitum, aut creatum Filium. Tu ipse, Beatissime Papa! sæpe in medio Ecclesiæ, & in Presbyterorum cœtu illos damnasti, qui ejusmodi errores introducebant.

Nos autem dicimus, Filium per voluntatem Dei fuisse creatum ante tempora, & ante sæcula; dicimus, a Patre accepisse vitam, esse, & gloriam, simul a Patre sibi collatam; namque Pater, cum rerum omnium possessionem ipsi daret, illo bono, quod sibi tanquam Ingenito proprium est, se non exuit. Ipse est omnium fons, & origo, ita ut tres sint hypostases. Deus, cum sit omnium causa, absque Principio est, & solus. Filius, extra tempus a Patre genitus, creatus, & positus ante sæcula, antequam genitus esset, non erat, sed per Patrem subsistit, solus extra tempus, ante reliqua omnia genitus; non enim est æternus, neque Patri coæternus, aut, sicut Pater, ingenitus. Non habet esse suum simul cum Patre, sicut quidam dicunt de rebus relativis, ponentes duo principia ingenita. Cum autem unitas rerum omnium Principium sit, ita Deus ante omnia est. Hinc est etiam ante

Sæculum IV. A. C 321.

te Filium, ſicut in medio Eccleſiæ prædi-cans, nos docuiſti. Ergo cum a Deo ha-beat eſſe, Gloriam, & vitam, & omnia in hoc ſenſu Deus ipſius Principium eſt, cumque ſit Deus ejus, & ante ipſum ex-titerit, ipſo excellentior eſt. Si quidam has verborum expreſſiones; ex ipſo eſt, & ex Sinu ejus; ex Patre exivi, & venio, ita accipiant, ac ſi eſſet pars conſubſtan-tialis, vel aliqua projectio, ſequetur, Pa-trem eſſe compoſitum, diviſibilem, mobi-lem, corporeum, & omnibus conjunctis, quæ ex natura corporea originem trahunt, obnoxium; hæc inquam juxta eos ſequen-tur, cum tamen Deus corpus non habeat. Huc usque Arii epiſtola, unde errorum ejus ſubſtantia deprehendi poteſt, & in qua ſingularis proterviæ ſpecimen nemo non mirari cogitur, dum Epiſcopo ſuo audet affirmare, quod idem de Filio De ſecum ſentiat, ipſe, inquam: Arius, qui in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum ſuum reprehendit, eo quod doceat, Filium Patri eſſe coæternum.

Sup. §. 33. *Athan. in Ar. or.* 2. *p.* 108. 310. *& de Sym. p.* 883. *Sup. l. III. c.* 51.

Circa idem tempus Arius ſuam Tha-liam compoſuiſſe creditur; nempe can-ticum ejusdem metri, & ariæ, ac canti-lenæ obſcœniſſimæ, quas olim Sotades exhilarandis conviviis, & profanis ſalta-tionibus idoneas ediderat; vel hoc ſo-lum omnibus honeſtis auditoribus ſtoma-chum movebat, at præterea Arius præ-cipuos

cipuos suæ hæresis errores inseruerat. Plura ejus generis cantica sparsit, quibus doctrinæ suæ venenum hominum etiam simpliciſſimorum mentibus suaviter insinuaret; quippe alia itinerantibus, alia navigantibus, alia molam vertentibus erant accommodata. Philostorg. l. II. c. 2.

Sæculum IV. A. C. 321.

§. XXXVII.

Concilium Bithyniæ pro Ario.

Eusebium Nicomediensem, ejusque factionis socios non parum offendit, quod Alexander Alexandrinus iteratas preces suas, quibus, ut Arium reciperet, rogaverant, rejeciſſet, atque hinc majori fervore ejusdem errores propugnabant. Jam tunc mortale odium conceperunt in Athanasium Alexandri Diaconum, namque, curiosius in ejus vitam inquirentibus, referebatur, eum ab Episcopi latere non discedere, a quo maximi haberetur. Concilio in Bithynia congregato, ad omnes orbis Episcopos scripserunt, eosque ad communionem cum Arianis, utpote orthodoxe sentientibus, invitabant, optabantque, ut, ipsis hortantibus, Alexander ad suam communionem rediret. Alexandro in sententia perdurante, Arius ad Paulinum Tyriensem, Eusebium Cæsariensem, & Patrophilum Scythopolitanum misit, qui pro se suisque licentiam congregandi populi, se sequen-

Sozom. l. I. c. 15. Conc. Alexan. Ath. 2. Apol. pag. 725.

Sæculum IV. A. C. 321.

tis, peterent, cum in Presbyteros essen ordinati, & mos Alexandriæ vigeret, u Presbyteri Ecclesiarum particularium p pulos congregarent, salva Episcopi i omnes auctoritate. Tunc temporis pl rumque in singulis urbibus una tantu erat Fidelium Ecclesia, cui Episcopus pra sidebat, & verosimiliter non nisi insoli urbis Alexandrinæ magnitudo in cau erat, cur ibi plures haberentur. Hi tr Episcopi, cum aliis suis Palæstinæ Coll gis congregati, Arium voti compote fecerunt, atque ei, & aliis suæ opinion Presbyteris, sectatores suos sicut ant

A. C. 323. congregare permiserunt, jubebant t men, ne obedientiam Alexandro deb tam, excuterent, sed ut sibi pacem suam & communionem reddere vellet, roga perseverarent. Ita in Palæstina conve tus particulares sub Arianis his Presb teris visebantur, qui, Episcopo Alexa driæ invito, Alexandrinæ Ecclesiæ mem bra se dicebant.

§. XXXVIII.

Alterum Licinii Bellum.

Socr. 1. *hist.* 6. *Eus. II. vit. c.* 3.

Plurimum auctoritatis accessit Eusebi Nicomediensi, cum Constantinus de bellato Licinio in ea urbe degeret; quip pe is haud diu persecutionem, qua Col lega suus Christianos vexabat, æquo ani mo tulit, sed & alia erant, quibus ad in

digna-

Sæculum IV. A. C. 323.

dignationem provocabatur. Constantino Thessalonicæ morante, Gothi, seu verius Sarmatæ, cum Imperii fines negligentius custodirentur, captata occasione, in Thraciam, & Mœsiam irruentes, agros depopulati sunt; hos Constantinus solito vigore, & terrore sui Nominis cohibuit, & ad reddendos captivos adegit. Licinius querulari, quod Constantinus terrarum suarum defensionem non rogatus suscepisset, violata pactorum fide; & modo supplici, modo minanti similis tandem, Constantini lassata patientia, eum coegit, ut bellum sibi diceret. Aliunde Licinius avaritia, crudelitate & effrena libidine odium suorum incurrerat; aliis vitam eripiebat, ut occisorum bonis potiretur, aliorum uxoribus illudebat.

Anon. Val. post. Amm. Mart. V. Pagi ann. 318. n. 3. Zosim. l. 2. p. 680.

Hujus belli occasione Romani sacrificia agebant, quæ apud ipsos Lustra dicebantur, ut quasi expiati, Deorum favorem sibi conciliarent; ad has cæremonias Christianos quoque, imo & Clericos cogebant; hinc Constantinus legem tulit, ne quis ad hæc induceret nolentes, qui id facerent fustigatione, aut gravi mulcta in ære solvenda pro transgressoris conditione punirentur. Hæc lex data est Sirmii octava Calendas Junii, Severo, & Rufino Consulibus, id est, 25. Maji. anno 323. hujus belli initio.

Cod. Theod. l. XVI. l. 5. tit. 2. de Episc. V. ibi Gothof.

Pagi. an. 323. n. 3.

Sæculum IV. A. C. 323.

Ingens belli apparatus fuit terra, mari-
que. Constantino ducentæ triremes,
quæ singulæ triginta remigibus agebantur, & ultra duo minorum navigiorum millia erant; centum viginti peditum millia, & decem millia virorum, quorum pars navibus imposita, altera in equis militatura erat. Huic classi, in Portu Piræo collectæ prope Athenas, filius ejus Crispus, quem eodem anno Cæsarem creaverat, imperabat. Licinii ex parte stabant trecentæ quinquaginta triremes Ægyptiis, Phœnicibus, Afris, Græcis, & Asianis repletæ, centum quinquaginta peditum, & quindecim equitum millia classi, in Hellesponto paratæ, Amandus præfectus erat. Constantinus, ne quis esset, qui ignoraret, a quo ipse victoriam exspectaret, profectionis comites habebat Episcopos, & ante prima signa vexillum cruce ornatum portabatur, id est Labarum, quod deinde in tabernaculo castris remoto servabatur; & si dies conflictus instarent, cum paucis ad orandum se illuc Constantinus conferebat, corporis puritate, jejuniis aliisque pietatis Christianæ operibus Dei auxilium solicitans.

Zosim. ibid.

Licinii Bellum.

Hanc Constantini pietatem Licinius cavillabatur, ipse Ægyptiis præstigiatoribus, magis, veneficis, sacrificulis, & falsorum Deorum aruspicibus stipatus; Idolis enim sacrificabat, & futurum belli exi-

Euf. vit. II c. 3. 4. c. 12. 14.

tum

tum expiscaturum se sperabat; illi victo- Sæculum IV.
riam certam promittebant longis oracu- A. C. 324.
lis magnifico carmine concinnatis; somniorum Interpretes, Augures, Aruspices eadem pollicebantur, vana spe Principem An. 324
inflantes. Prætorianorum Ducum, & *Ibid. c. 5.*
amicorum præcipuis in luco præsentibus Idolis sacro convocatis, postquam cereos accendissent, & solita perfeciſſet sacrificia, circumstantibus, *ecce amici mei!* inquit: *hi sunt Dii Patrum nostrorum! quos colimus, sicut a majoribus accepimus; hos Adversarius noster Dei, nescio cujus, peregrini amore deliquit, ubi in conspectum venerimus, aspicietis Dei illius infame signum, Romani militis dedecus. At instantis prælii eventus aperiet, uter nostrum in Deorum cultu erraverit. Si ignotus ille Deus, quem hodie videmus, Constantino, ut ut copiarum numero inferiori victoriam tribuat, colendus erit, si vero nos vicerimus, sicut nullus dubitandi locus esse potest, nostris prostratis hostibus, arma in impios Deorum contemptores vertemus.* Eusebius Cæsarienſis hunc sermonem, ab iis, qui suis auribus hauserant, sibi relatum, narrat.

Licinius in monte prope Andrinopolim commodum castris locum elegerat, *Zos. p. 681. Anonym.*
sed Constantinus, in rebus gerendis solertior, & fidelioribus adjutus copiis, nihil tale cogitantes obruit, instat perculsis,

Sæculum IV. A. C. 324.

sis, eo successu, ut ferme triginta quatuor hostium millia illo impetu prostrata fuerint; castris exuti sunt; fugiens Licinius in urbe Byzantina refugium quæsiit. Hoc accidit quinto Nonas Julii, Prisco, & Constantino juniore tertio Consulibus, id est tertia Julii anno 324. Constantinus recedentem Licinium persecutus, Byzantium obsedit; interim Duce Crispo Classis ejus Gallipolim attigit, ubi navali prælio ita hostes fudit, ut Amandus Licinii Thalassiarcha non sine gravi periculo effugerit. Tum Licinius terra obsessus, timensque ne etiam mari includeretur, Calcedonem cum rerum pretiosissimis se recepit; instans fugienti Constantinus, oras Bithyniæ sibi subjicit; hic rursus cum exercitu occurrit Licinius, haud procul Calcedone pugna committitur, deletur, strages enim melius, quam prælium dixeris, quippe ex centum triginta virorum millibus vix tria millia salutem in fuga invenire potuere. Tum Byzantium, & Calcedo Constantino portas aperuerunt. Licinius Nicomediam ingressus, iterum a Constantino includitur; hic vero, abjecta evadendi spe, supplicis habitu victori se sistit, Purpuram reddit, Dominum suum, & Imperatorem appellans; factorum veniam, & vitam rogat, quam ipse saltem in charissimæ uxoris gratiam se accepturum speraret, & Constantinus

Idatius in fast.

An. 324.

An. 324.

soro-

sororis amori daret. Quod petebat, a victoris clementia impetravit, a quo Thessalonicam missus, cum quiescere non posset, ejusdem jussu anno sequenti interfectus est. Sæculum IV. A. C. 324.

§. XXXIX.

Constantinus a Deo protegitur.

In hoc bello Constantinum, Deo singulariter favente, pugnare, non unum indicium fuit. In urbibus, Licinio subjectis, Constantini copiæ, quamvis adhuc remotæ, tanquam parta jam victoria ovantes, multis transire visæ sunt. In ipsis præliis quocunque Labarum inferebatur, fugiebant hostes, labantes Constantini milites novo robore firmabantur. Quinquaginta viri ex protectoribus, id est, Corporis Custodia delecti Labarum suis humeris alternatim sustentabant. Unus eorum, in pugna timidus, alteri hoc signum portandum tradiderat, ut paratior ad fugam esset, protinus telo in ilia recepto occubuit; illum vero, qui de manibus fugientis Signum acceperat, plures emissæ sagittæ, a Labari stipite exceptæ, intactum reliquerunt. Eusebius hoc prodigium ipso Imperatore narrante didicit. Licinius, hujus Signi virtutem advertens, suos in pugna, quantum possent, ab eo divertere jusserat. *Eus. vit. II. c. 6.* *c. 4.* *c. 8.* An. 324. *c. 9.* *c. 16.*

Sæculum IV. A. C. 324. Constantinum urbem Byzantinam intrantem Philosophi accedunt, conquerentes, quod spreta Romanorum, Græcorumque consuetudine, quam Majores ejus servaverant, novam Religionem induceret, petebantque, ut cum Alexandro urbis Episcopo de Religionis veritate publice disputare liceret; Alexander injubente Imperatore in pugnam hanc Theologicam consentit, vir in arte Dialecticæ quidem parum versatus, at virtutibus clarus. Cum Philosophi convenissent, simul omnes loqui cœperunt. S. Alexander rogabat, ut unum eligerent, qui solus loqueretur; cum ergo uni loquenti provinciam imposuissent, ait hunc Alexander: *in Nomine JEsu Christi præcipio tibi ut taceas.* Subito homo ore quasi vi externa compresso obmutuit. Omnibus prodigium eo majus, & insolentius visum, quod Philosophos, gentem loquacissimam, ad silendum adegisset.

Sozom. I. hist. c. 18.

§. XL.

Alia Constantini Edicta pro Ecclesia.

Euf. II. vit. c. 30. Victoria de Licinio reportata, non pax modo, sed & securitas ab hostibus externis Ecclesiæ reddita, quam Constantinus novis legibus firmavit. Omnes fidei causa proscriptos revocari jussit, eos, qui injuria ad ministeria publica obeunda coacti fuissent, rursus eximi, atque

Sæculum IV. A. C. 324.

atque nomina eorum ex urbis tabulis, ubi prius non fuerant, deleri; bona Christianis erepta restitui; in Insulas relegatos, ad fodinas, aliave opera publica damnatos, inter alios, tanquam Principis servos lineis, vel panneis opificiis adscriptos libertate donavit. Christianis, propter fidem gradu militari dejectis, optionem fecit, ad signa sua redeundi, vel petendi honestam missionem. Et hæ quidem leges Christianorum Personas tangebant; aliæ ad bona spectabant. Patrimonia Martyrum, Confessorum, in exilium missorum, spoliatorum hæredibus eorum restituit, si non supererent hæredes, illa bona Ecclesiis attribuebat; Donationes Martyrum, & Confessorum confirmavit. Omnes talium fundorum possessores ad restitutionem sine fructibus, si sponte restituerent, damnavit. Eadem restitutio, si quæ ad fiscum tracta fuissent, imperata. Jussit, ut ad Ecclesias redirent, ablata immobilia, domus, fundi, horti, præsertim vero loca sepultorum ibi Martyrum honori dicata. Illis, qui talia bona titulo emptionis, donationis, aut quocunque alio modo a fisco accepissent, indemnitatem promisit.

c. 33. *c.* 34. *c.* 35. *c.* 36. *c.* 37. *c.* 39. *c.* 40.

Edictum istud in Oriente promulgatum, procurante Imperatore ad litteram executioni mandatum. Quos mittebat, Provinciarum Rectores ut plurimum

c. 44.

Sæculum IV. A. C. 324.

mum Christiani erant, & si qui Pagani essent, Diis sacrificare vetabat. Eodem modo cum præcipuis aulæ Præfectis, ut erant Prætorianorum Dux, ejusque vicarii, agebat. Eodem tempore alias duas leges tulit, quarum una Idolis sacrificare sive in urbibus, sive ruri prohibebatur; præterea Idola erigere, sortilegiis, aliisve superstitionibus incumbere vetabatur. Lege altera Ecclesiæ, majores quam ante fuissent, suscitari jubebantur, ac si omnes homines fidem Christianam amplexuri essent, cujus rei tunc quidem nulla spes affulgebat. Hæ leges ad Provinciarum Rectores dirigebantur, atque ne sumptibus parcerent, quos Imperator ex suis thesauris liberaliter suppeditabat, monebantur. His similes epistolæ ad Episcopos, saltem majorum urbium, datæ, quibus Imperator singulos excitabat, ut alios Episcopos Confratres suos, Presbyteros, Diaconos ad veteres Ecclesias renovandas, aut ampliandas, imo novas extruendas hortarentur, & a Rectoribus Provinciarum omnia, his operibus necessaria, peterent. Aliud quoque Edictum valde amplum ad Provincias Orientis scripsit, quo omnibus Imperio suo subditis suadebat, ut Idololatriæ renuntiarent, & veram Religionem amplecterentur. Se vero neminem coacturum promittit, sed plenam voluntatis suæ libertatem cuique relicturum. Privatis

c. 45.
c. 46.
c. 47.
c. 48.
c. 56.

tis prohibet, ne quis alterum ob diver- Sæculum IV.
sam in Religione opinionem vexet, nec A. C. 324.
sibi illorum impetum probari, ajebat, qui c. 62.
diruenda Deorum fana, inclamabant.

§. XLI.

Arianorum progressus.

Constantino, ita Ecclesiæ Bonum totis c. 61.
viribus promoventi, nuntiatur, quanto dissensionum æstu Ægyptus, vicinæque Provinciæ super Arii dogmate ferverent, non Episcopi solum, aut Presbyteri disputabant, integri populi in partes ibant, ingenti Religionis probro, & Gentilium scandalo, quibus, in Theatris suis ludentibus, Christianorum contentiones fabulam præbebant. Ipsæ Imperatoris statuæ contumelioſe habitæ; ad hoc tempus referendum creditur illud placide a Constantino dictum, cum ad vindictam se animantium impetum joco elusit, quippe *Chrysost.*
cum fremitu narrantibus, seditioſos sta- *stat. orat.*
tuam Cæsaris lapidibus impetiisse, vultum 20.
manu tangens, respondit, nullius se vulneris notam, vel dolorem sentire. Jam epistolarum utrinque scriptarum magnus erat numerus; Arius omnes, in rem suam facientes collegit, S. Alexander Alexandrinus illas omnes, quibus Doctrina Ca- *Socr. 1. c. 6.*
tholica stabiliebatur, quas inter ab ipso solo scriptæ ad septuaginta numerabantur. *Epiph. hær.*
Hæ epistolæ deinceps Catholicis, & 69. *n.* 4.

varia-

Sæculum IV. A. C. 324.

variarum Sectarum Arianis quasi armamentarium fuere. Has animorum divisiones Constantinus bona fide dolebat, cujus necdum baptizati, nec fidei Mysteriis satis edocti animum Eusebius Nicomediensis iis, quibus voluit, opinionibus imbuere, facile potuit; magna Constantino erga Episcopos erat reverentia, Eusebio autem eidem familiariter colloquendi quotidiana occasio, nam devicto Licinio Nicomediæ moratus est; a Diocletiani temporibus Imperatorum sede in Oriente. Eusebius Constantino insinuabat, Divisionis Ecclesiarum, & dissensionis non aliud esse fundamentum, quam vanas, & subtiles de vocabulis lites, quæ Religionis substantiam non afficerent; maximum in toto negotio malum esse animorum acerbitatem, & nominatim Episcopi Alexandri ab Ario Presbytero aversationem; omnes ab Imperatoris pietate exspectare, ut sua auctoritate viro silentium imponeret.

Euſ. II. c. 63. Socr. I. c. 7.

§. XLII.

Epistola Constantini ad Alexandrum, & Arium.

Constantinus igitur Osium Episcopum Cordubensem, in quo, ut vidimus, plurimum confidebat, Alexandriam misit. Vir iste ferme sexaginta septem ætatis annos numerabat, & Episcopalis Regi-

Sup. n. 2. n. 20. Sup. l. VIII. n. 46. Euſ. II. vit. c. 69.

Regiminis triginta, ob Christi Confessio- Sæculum IV.
nem in Maximiani persecutione per uni- A. C. 324.
versam Ecclesiam clarissimus. Huic Imperator epistolam ferendam tradidit, ad Alexandrum, & Arium conjunctim datam, ubi Ideam de eorum controversia, sicut animo ejus indita fuerat, in hunc modum manifestat: *Relatum mihi est, hanc dissensionis vestræ originem fuisse: Tu Alexander! ex Presbyteris interrogabas, quisnam eorum esset sensus super aliquo legis textu, seu potius vana quæstione. Tu Ari! imprudenter effatus es, quod nunquam cogitare debueras, aut æterno silentio premere. Non inovenda fuit hæc quæstio, aut saltem non respondendum. Hujus generis quæstiones, non necessariæ, otiosorum hominum partus, forte exercitandis ingeniis formari possunt, sed ad vulgi aures pervenire non debent; quis enim altissimas res, & captu difficiles aut satis intelliget, aut digne explicabit? in his materiis reprimendus est loquendi pruritus, ne populo vel blasphemandi, vel ab Ecclesia dissentiendi periculum creetur.*

Ergo ignoscite vobis reciproce, quod unus sine discretione quæsivit, & alter parum prudenter respondit, cum de Summa Religionis non agatur; nam novam introducere non vultis, idem in rei substantia sentitis, hinc facillima ad reconciliationem vestram est via. Cum levissima sit divisionis

nis

Sæculum IV. A. C. 324.

nis vestræ causa, æquum non est, ut su quisque arbitrio tantam populi Dei multi tudinem regatis. Vilis est iste, & pueri lis agendi modus, Presbyteris, & viris in dignus. Eandem tenetis fidem, lex ad opi nionum conformitatem vos obligat, quo igitur inter vos vix alicujus ponderis dis ceptationem excitavit, vos non dividat. Non cogo vos super hac quæstione frivola qualiscunque demum sit, omnino idem sen tire, si unionem in privata opinionum di versitate servetis, & sibi oppositæ tales ar gutiæ in secreto cordis lateant. Epistolam sic claudit: *ut autem sciatis, quantum hu rixæ me afflixerint; cum nuper Nicome diam venissem, in Orientem, id est, versu Syriam, & Ægyptum proficisci animu erat, sed allato dissidiorum vestrorum nun tio, mutavi propositum, ne videre cogar, quod vel audire stomachum movet. Ergo unione vestra viam mihi in Orientem aper rite, quam clausistis discordia.* Ita Impe rator Constantinus loquebatur, aut ve rius, qui ipsi erat ab epistolis, Cæsaris jussu hæc scribens; imo pronissimum est, ut eam ab ipso Eusebio concinnatam, suspi cemur. Interim in ista quæstione, quæ hic ineptissima dicitur, non sane de nugis, sed de re gravissima agebatur, an scilicet JEsus Christus Deus esset, vel creatura, & ex consequenti, an tot Sancti Martyres, & Confessores, qui JEsum a tempore pro-

mul-

mulgati Evangelii, adoraverant, fuerint Idololatræ, quod adoraſſent creaturam, aut duos Deos adoraverint, ex ſuppoſitione, quod cum Patre non eſſet idem Deus. Sæculum IV. A. C. 324.

§. XLIII.

Concilium Alexandrinum Præſide Oſio.

Oſius ubi cum epiſtola Conſtantini Alexandriam pervenit, copioſam Synodum convocavit, (*) in qua Presbyter Colluthus, ſchismaticus, qui Presbyteros ordinare præſumpſerat, in ordinem ſimplicis Sacerdotis redactus eſt, ordinationes ejus nullæ declaratæ, &, quos ordinaverat, in ſtatum laicalem reciderunt. Ita ſchisma illud ſublatum, cujus tamen poſtea *Ap. Athan. ap. 2. 794. D. 731. C.*

(*) Hier ſchwätzet der Ueberſetzer in ſeiner Nota daher, Baronius habe dieſes Concilium fälſchlich für ein allgemeines ausgegeben. Man weiß in der Römiſchkatholiſchen Kirche von keiner allgemeinen Kirchen-Verſammlung vor der Nicäniſchen. Daß doch unſer Ueberſetzer ſo viel Vernunft hätte, und erkennete, was für ein unendlicher Raum zwiſchen ihm, der ſich nicht getrauet, dieſer Ueberſetzung ſeinen Namen vorzuſetzen, und dem Cardinal Baronius ſey!

Cardinalis Baronii verba ad annum Chriſti 319. Numero mihi XXII. hæc ſunt: *Conſtat quidem Athanaſii teſtificatione, Eum* (Oſium) *in Ægyptum profectum eſſe, & ibi Generale Concilium celebraſſe; ſic namque illud Athanaſius nominat, quod*

Sæculum IV. A. C. 324.

Euſ. II. vit. c. ult.

Socr. III. hiſt. c. 7. Sozom. I. hiſt. c. 16. Euſ. III. vit. c. 5.

poſtea nonnulla adhuc deprehenduntur veſtigia. Hæc omnia ſunt, quæ in Concilio iſto ab Oſio perfecta legimus. Litem, quam Arius moverat, dirimere non potuit, videmus tamen, eum vocibus Subſtantia, & hypoſtaſi uſum fuiſſe, ut errorem Sabellii eliminaret. Oſius quæſtionem quoque de Paſchate celebrando quæ partim ejus Legationis cauſa fuerat componere non valuit; Multi enim in Oriente adhucdum hoc feſtum 14. Lunæ more Judaico zeloſe celebrabant, quod omnium oculis magnam Diſciplinæ diverſitatem exponebat, dum Chriſtianorum aliqui, aliis mœrentibus & jejunantibus feſtos dies agebant, & lætitiam palam profitebantur.

§. XLIV

quod præſente Apoſtolicæ Sedis Legato, omnes Epiſcopi illarum Provinciarum, quæ parebant Antiſtiti Alexandrino, fuerint ad Synodum convocati. Et inferius: N. XXXIII. *ne quis putet, cum Generalem Synodum dicit, Nicænam intelligere, idem ipſe Athanaſius celebratam eam eſſe Alexandriæ demonſtrat &c.* Ex his verbis patet, Cardinalem Baronium nullatenus dicere, fuiſſe illud Concilium Generale totius Eccleſiæ Catholicæ, ſed Interpretem Proteſtantem de Eminentiſſimo Viro impudenter mentiri. Ceterum ex ipſo Fleurio didiciſſe poterat Interpres, Africanos Concilia ex omnibus Africæ Provinciis congregata, ſolitos fuiſſe appellare Generalia.

Sæculum IV.
A C. 324.

§. XLIV.

Audius Schismaticus.

Jam tum in Mesopotamia quorumdam Schismaticorum Secta visebatur, cujus error maxime notus, erat illa cum Judæis celebrandi Pascha pertinacia; Audientes, seu Odientes ab Auctoris sui nomine dicebantur, qui eodem tempore in lucem emersit, quo Concilium ad deponendum Arium conveniebat. Audii Patria Mesopotamia erat, bonis moribus, & zelo inter suos notissimus. Illam Philosophiæ partem palam profitebatur, quæ, abjecto Personarum respectu, omnibus nudam veritatem ingerere docet; Episcopis, & Presbyteris in faciem resistebat, si quid contra leges facerent; nunquam, si quid peccatum esset, ab eo sperandum silentium; præsertim dum Clericos avaros, aut luxu, & deliciis diffluentes videbat. Sic omnibus, quorum vita aliquatenus reprehensibilis erat, importunus, eorum convicia, odium, injurias in se concitavit; multo tempore contemptus, & insultus tolerans, conventus Ecclesiasticos frequentabat, nec etiam ab inimicis ejectus, veritatem dicere cessavit, servato unitatis vinculo, & ab Ecclesia Catholica se non separans. Tandem ad verbera ventum, quibus ipse, suique affecti, eoque compulsus, ut ab Ecclesia emaneret, quem

Theod. fab. IV. c. 10. Epiph. hær. 70.

Sæculum IV. A. C. 324. multi secuti sunt. Initio simplex schi ma fuit, severam in moribus disciplina profitentium, & in fide non errantium labore manuum suarum Laici, Presbyt ri, Episcopi vivebant, quippe Audius quodam Episcopo, qui ob similes quoqu dissensiones ab Ecclesia secesserat, in Epi copum fuit ordinatus.

Epiph. ib. n. 9. 10. At paulopost in Quartodecimanorum & Anthropomorphitarum hæresin la sunt. Pascha decima quarta Lunæ, sic Judæi, celebrabant, dicentes, hunc usu ab antiquitate probatum, quod ut demo strarent, librum Constitutionum Apost licarum, sed ab eo, quem hoc nomine h bemus, diversum, allegabant. Anthr pomorphitis accensebantur, quia rud ter illud secundum litteram accipiebar quod de homine dicitur, ipsum ad im ginem Dei factum, non distinguentes, hæc similitudo in anima, vel in corpor refulgeat; sed textus adducentes, quibu Deo vultus, oculi, manus aliaque huma ni corporis attribui videntur, sibi ipsi Deum corporeum, & figura humana exi stentem fingebant. Cœterum vita eorum erat pura, & innocens, saltem in his exor diis, & multa habebant Monasteria; cum aliis vero quam suæ Sectæ hominibus, quamvis vita eorum culpa vacaret, ora re, aut communicare recusabant.

v. Petav. hic Epiph. n. 2. 3. &c.

Epiph. n. 15.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XI.

S. SYLVESTER, PAPA. CONSTANTINUS M. IMPERATOR.

§. I.

Concilium Niccænum convocatur.

Imperator Conſtantinus poſt reditum Oſii modicum Epiſtolæ ſuæ fructum, & ingraveſcentia Eccleſiæ mala, quæ potentiori remedio indigebant, perpendens, ſuadentibus Epiſcopis, ad convocandum Concilium Oecumenicum, id eſt, univerſi terrarum orbis, animum adjecit. Res tunc temporis exemplo carebat;

Sæculum IV. A. C. 325.

Euſ. III. vit. c. 6. Ruf. 1. hiſt. c. 1. Sozom. 1. c. 17.

Sæculum IV. A. C. 325.

bat; tam amplos conventus agere sul Gentilibus Imperatoribus Ecclesiæ press non licuerat, & opportune tunc primu acciderat, ut, oppresso Licinio, univer sum Romanorum Imperium uni Constan tino pareret. Conventus locum elegi urbem Nicæam inter potissimas Bithy niæ, & Nicomediæ, ubi ipse resideba vicinam. Undiqueversum Epistolas mi sit, reverentiæ notis plenas, quibus Epi copos invitabat, ut sine mora illuc s conferrent. Vecturas ipse suppeditaba sive equis, sive illis vehiculis uteren quæ Romani cursum publicum dice bant, illisque, qui Principis mandato it faciebant, ministrabantur.

sup. l. V. §. 56.

§. II.

SS. Paphnutius, & Spiridion.

Ruf. 1. c. 5. Socr. 1. c. 8. Athan. apol. 2. p. 770.

Episcopi Nicææ trecenti octodecim non numeratis Presbyteris, Diaconis & Acolythis, congregati sunt. His, eo rumque comitatui omnia victui necessa ria jussu Imperatoris præbebantur. Inter eos illustrissimi fuere Alexander Episco pus Alexandrinus cum socio Athanasio Diacono, adhuc juvene, Alexandriæ na- An. 325. to, & Adjutore utilissimo. Inter Epis copos Ægypti duo aderant valde cele- *Cyrill. ep. 5. ad Monach. n. 4.* bres Potammon Heracleensis ad Nilum, & Paphnutius ex superiore Thebaide;

huic

huic tempore persecutionis dexter oculus effossus, & siniſter poples succisus, quod pluribus aliis Confessoribus, ad fodinas damnatis, factum; Monasticam vitam duxerat, in Monasterio, quod Pisper dicebatur, & S. Antonii discipulus fuerat; Dæmones suo imperio ejiciebat, & ægrotos oratione curabat; insuper, cœcis visum reddidisse, dicebatur. Tempore Concilii Imperator sæpius ad Palatium vocatum, familiariter amplexu stringebat, oculumque, propter fidem amissum, osculabatur. Sæculum IV. A. C. 325. *Ruf.* 1. *c.* 4. *Sozom.* 1. *c.* 10. *Ruf.* 1. *c.* 5.

Spiridionis Episcopi Trimithontini in Insula Cypro sanctitas non minori admiratione digna. Ipse oves, nec id Episcopo probrosum reputabat, ruri pascebat, cum aliquando noctu fures in ovile ejus desuper intrassent, vi invisibili suspensi hæserunt; mane superveniens S. Senecio, ut educeret gregem, pendentes vidit, & cognita portenti causa, suo alloquio liberos fecit, & addidit: *Accipite arietem, ne operam omnem perdideritis, melius autem feciſſetis, ſi quod vobis neceſſarium erat, petiiſſetis.* Filiam habebat, nomine Irenen, quæ ei inserviens, Virgo deinde defuncta est; venit quidam privatus, depositum reposcens, quod filiæ antea insscio Patre crediderat, Spiridion omnes domus angulos inspicit, & nihil invenit; depositor insistere, flere, *Sozom.* 1. *c.* 11.

Sæculum IV. A. C. 325.

urgere, desperare, & minari sibi ipsi vio-
lentas manus illaturum; Spiridion ad
sepulchrum filiæ accedens, vocat eam no-
mine suo: *Irene!* quæ illico respondit:
Quid vis? Pater mi! ipse: *ubi depositum
istius hominis recondidisti?* Ipsa: *In illo
loco terra defossum invenies.* Quæsivit
Pater in dicto loco, invenit, & reddidit.
Plura alia ejusmodi miracula de S. Spiri-
dione narrabantur.

Sozom. ibid. In Traditionibus Ecclesiasticis mini-
ma quæque exactissime observari vole-
bat; Episcopis Cypriis quadam die con-
gregatis, Tryphyllo Episcopo Ledren-
munus ad populum dicendi sub celebra-
tione Mysteriorum delatum est, viro fa-
cundo, & admodum literato; cum illum
Joan. 5. 8. locum Evangelii citare debuisset: *Tol-
grabatum tuum, & ambula!* aliam vo-
cem græcam adhibuit, ac si quis diceret:
Tolle lectum, pro grabato; hanc voci
mutationem Spiridion patienter non fe-
rens, ait: *Nunquid tu melior es illo, qui
dixit: grabatum, ut te eandem vocem u-
surpare pudeat?* Et inspectante populo de
Cathedra surrexit; tantam ei gravita-
tem, & auctoritatem notæ virtutes, &
senilis ætas pepererant. Ecce! hospita-
litatis ejus specimen! quondam in qua-
dragesima, illo tempore, quo cum fami-
lia aliquot diebus continuis nihil cibi ca-
pere solebat (verosimiliter fuerit hebdo-

mada

mada major) peregrinus de via ad eum divertit, oppido fatigatus; dixit ad filiam ſuam tunc temporis viventem: *Lava pedes ejus, & para cœnam.* Illa: *Nec panis in domo eſt, nec farina, quoniam tempore jejunii non indigemus.* Spiridion peracta ad Deum oratione, penuriam panis hoſpiti excuſans, filiæ præcipit, ut ſuillam ſale conditam, quam domi habebat, lixaret; ubi caro parata fuit, accubuit cum hoſpite, & prior comedit, invitans, ut & ipſe reficeretur; ille abnuere, & dicere, ſe eſſe Chriſtianum; *Ideo*, inquit Spiridion: *multo magis ſine ſcrupulo comedas, quia ſcriptum eſt: Omnia munda mundis*, ſermone, & exemplo docens, quantum Chriſtianos Judæorum ſuperſtitiones averſari oporteat.

Sæculum IV. A C 325

Tit. 1. 15.

§. III.

S. Jacobus Niſibitanus.

Sanctus Jacobus Niſibi in Meſopotamia Epiſcopus, miraculis clarus, in ipſa hac urbe, quæ Græce Antiochia Migdoniæ dicebatur, cunas ſortitus erat. Vitam ſolitariam amplexus, primo in arduis montium jugis habitabat; in hyeme caverna eum ab aeris injuriis tutabatur, cœteris anni temporibus nullo tecto in ſylvis morabatur; arbores incultæ fructibus, ſponte naſcentibus, alimenta præbebant,

Theod. 1. *hiſt. c.* 7.

Idem Philoth. c. 1.

Sæculum IV. A. C. 325.

bebant, addebat olera, quæ comedi poterant; ignem vero nunquam excitabat; tunica aspera, & pallio operiebatur, pilis caprinis texto. Prophetiæ, & miraculorum dono a Deo præditus, quædam edidisse legitur in profectione ad visitanda novellas Ecclesias, quæ in Persia nascebantur, susceptа; his consentit quod inter Synodi Nicænæ Patres aliquis Episcopus Persiæ, nomine Joannes, inveniatur. Jacobus ob merita, & sanctitatis famam Episcopus in urbe Nisibi, patria sua, electus est. Episcopus in civitate eandem vitæ rationem, cui in sylvis assueverat, servavit, sed jejuniis, & rigoribus curam pauperum, peccantium correctionem, aliosque labores pastorales junxit. Aliquando per quemdam locum transeunti occurrerunt pauperes, eleemosinam petentes, ut haberent, quo defuncti sodalis, cadaveris instar ibi jacentis, funus curarent; Vir sanctus lubenter dedit, quod rogabant, oravitque pro defuncto, ut ei Deus peccata remitteret, & admitteret ad Sanctorum societatem; (*) tum ve-

Gelas. l. II. c. 27. 35.

ro

(*) Si Sanctus Jacobus cum modernis Protestantibus credidisset, animam hujus defuncti corpore egressam, statim & certissime vel in Cœlo esse, vel in Inferno, & post mortem tolerandæ pœnæ spatium non dari, quomodo prudenter pro

ro miser ille, qui mortuum simulaverat, revera exspiravit; cum Sanctus praeteriisset, socii ejus monentes, ut surgeret, summo stupore obriguere, cum viderent mortuum; recurrunt ad Sanctum, prostrati ad ejus pedes, dolum fatentur, & suam paupertatem obtendunt; audiit ille benigne, & similibus ad Deum precibus, quibus vitam ademerat vivo, reddidit mortuo. Talis erat illustris Jacobus Nisibitanus. Sæculum IV. A. C. 325.

§. IV.

Alii Episcopi celebres.

Paulus Episcopus Neocæsariensis ad Euphratem ambarum manuum usu privatus erat, quarum nervos Persecutores ei sub Licinio ferro candenti adusserant. *Theod. l. c. 7.*

Eustathius Episcopus Antiochenus quoque in Concilio adfuit; natus erat Sidæ in Pamphilia, & postquam Episcopus Berææ in Syria fuisset, ad Sedem Antiochenam, defuncto S. Philogono, vocatus est. Eustathius gloriose Nomen JEsu Christi confessus fuerat, vir vitæ sanctitate, & Doctrinæ fama præcipuus. Contra Arianos plura opera scripsit, quæ hodie desiderantur, supereſt autem Tractatus de *Hier. in Cat. & epist. 126. ad Evagr. Sozo. l. c. 2.*

pro hoc Defuncto orare potuisset? ergo stolida est Interpretis Protestantis exclamatio: Die lieben Alten haben nichts gewußt von einem Fegfeuer!

Sæculum IV. A. C. 325.

Pythoniſſa, in quo contra Origenis opinionem docet, hujus mulieris opera neutiquam ipſum Samuelem, ab inferis reductum, apparuiſſe, ſed Dæmonis arte tam in Saulis, quam mulieris cerebro hujus viri, quaſi præſentis, ſpecies fuiſſe excitatas.

ſup. l. X. §. 16. 17.

In Concilio Nicæno viſus quoque eſt Macarius Epiſcopus Jeroſolymitanus, Leontius Cæſareæ, quæ eſt Cappadociæ Metropolis; is Concilio Ancyrano, & Neo-Cæſarienſi interfuerat, ſicut etiam Amphion Epiſcopus Epiphaniæ in Cilicia. Ex eadem Provincia advenit Macedonius Mopſueſtanus, tunc adhucdum Catholicus, exinde Arianus. Leontius multos labores pro fide ſubierat, pluresque ad Martyrium inſtituerat, atque inter cœteros S. Gregorium Armeniæ; ad Concilium veniens in fide informavit Gregorium, poſtmodum Epiſcopum Nazianzenum, S. Gregorii Theologi Patrem. Ex eadem Cappadociæ Provincia venit Eupſicus Thianæus, ex vicinis autem Provinciis, Longianus Neo-Cæſarienſis, Baſilius Amaſeenſis, Meletius Sebaſtopolitanus, Hypatius Gangrenſis in Paphlagonia, quem in reditu a Concilio lapidibus a Novatianis obrutum dicunt. Marcellus Epiſcopus Ancyranus Galatiæ Metropolitanus, notiſſimus poſtea propter errores, quorum fuit incuſatus, Arianis vero

Patres Concilii Nicæni.

Greg. Naz. orat. 19.

Martyr. R. 14. Nov. ex Monol.

Epiſt. Jul. ap. Athan. apol. 2. p. 750.

Sæculum IV. A. C. 325.

vero ſemper maxime contrarius; hujus fides in Concilio, ut orthodoxa, approbata eſt.

Præterea inter Patres, qui in Concilio conſederunt, recenſentur Theonas Cyzicenus, Marinus Troadenſis, Eutychus Smyrnenſis, Nunechius Laodicenus ex Phrygia. Ex Thracia Phedria, Pedorus, aut Pederotus Epiſcopus Heracleæ, illius Provinciæ Metropoli, quem S. Athanaſius viris apoſtolicis accenſet. Metrophanes Epiſcopus Byzantinus, extrema ſenectute gravis, miſit Vicarios Presbyteros, atque inter hos Alexandrum, futurum in Epiſcopatu ſuo ſucceſſorem. Ex Macedonia aderant Alexander Theſſalonicenſis, qui S. Athanaſium, etiam poſt ſuſceptum Epiſcopatum Alexandrinum filium ſuum appellare ſolebat, tanta ejus erat auctoritas. Ex Græcia Piſtus Epiſcopus Athenienſis, Ariſteus alterius urbis; alter Piſtus Epiſcopus Marcionopolitanus in Mœſia. Ex Dacia Protogenes Epiſcopus Sardicenſis, jam tum fama clarus; Sylveſter alterius urbis, Theophilus Epiſcopus Gothorum. Ex Sicilia Capiton. Ex Africa Cæcilianus Epiſcopus Carthaginenſis. Ex Donatiſtarum parte nemo comparuiſſe invenitur. Hi captata occaſione magnos tumultus in Africa excitaverant, dum interim Conſtantinus in bello Liciniano procul detineretur; parta

Gel. l. 2. c. 35. or. 1. in Ar. p. 291.

Gel. Cyzicenus. l. 2. c. 6. & 35.

v. Pagi. an. 307 n. 6. Athan. apol. 2. p. 783. & 799.

Socr. II. hiſt. c. 4. Euſ. III. vit. c. 7. & ibi Valeſ.

Sæculum IV. A. C. 325.

parta victoria, Constantinus quosdam ex Oriente illuc mittere decreverat, qui pacem reducere adlaborarent, postquam, qui ex Occidente missi fuerant, nihil effeciſſent; at dum de disceptatione super opinione Arii nuntiatum est, facile intellexit Orientales dare aliis non posse, quod ipsi non habebant, nempe unionem, & pacem.

Const. ap. Eus. II. vit. c. 66.67.68.

§. V.

Legati Summi Pontificis.

Theodor. 1. hist. c. 8.

Cum S. Sylvester Papa ad Concilium iter longissimum suscipere per ætatem non posset, duos Presbyteros Vitum, & Vincentium misit, quibus mandatum, in ea, quæ agerentur, consentire. Vitus iste non nunquam etiam Viton, vel Victor dicitur. Osius Episcopus Cordubensis, potestate delegata, SS. Pontificis vices in hoc Concilio obiisse creditur. Certe Concilio præfuisse videtur, cum in omnium subscriptionum capite ejus Nomen legatur. S. Athanasius de eo dicit, quod omnia Concilia rexerit, & eum quidem exinde post viginti duos annos Concilio Sardicensi præsediſſe constat. Profecto non dispicitur, quare Osius Cordubensis ex vulgari Episcoporum ordine, Alexandrino, & Antiocheno præsentibus, suo nomine omnibus mundi Episcopis præsediſſet. Gelasius Cyzicenus claris

Apol. p. 703.

Gelas. l. II. c. 5.

claris verbis testatur, Osium Sylvestri E- Sæculum IV.
piscopi Magnæ Romæ cum Presbyteris A. C. 325.
Vitone, & Vincentio locum tenuisse; Is, dum hoc asserit, suspectus esse non debet, ipse Græcus, atque ex actis, & notatis Græcorum excerpens. Tandem, quod ipse scripsit, sequentium temporum usus confirmavit; in fronte Conciliorum Oecumenicorum, quorum acta habemus, Legati Papæ conspiciuntur, ut plurimum aliquis Episcopus, & duo Presbyteri. (*) A. 325.
Hi

(*) Omnia hæc argumenta, clarissimo Gelasii Cyziceni testimonio conjuncta, certitudinem pariunt.

Der deutsche Uebersetzer hat in seiner Anmerkung viel darwider einzuwenden, daß Osius im Namen des Pabstes dieser allgemeinen Versammlung soll vorgestanden seyn. Es ist ein Vorurtheil, sagt er: des Herrn *Fleury*, und anderer päbstischen Scribenten. Indessen kann er diejenigen Gründe, welche der Herr Fleury hier zur Behauptung dieser Meynung bringet, nicht widerlegen. Zweytens, sagt er: *Gelasius* hat dieses zu erst in die Welt hinein geschrieben. Allein er weiß nicht das geringste beyzusetzen, warum das Zeugniß dieses sonst glaubwürdigen Schriftstellers in diesem Stücke sollte verdächtig seyn. Drittens: Die wahre Ursachen, warum er den Vorsitz gehabt, waren seine besondere Verdienste um die Kirche, das Zutrauen, welches der Kayser *Constantinus* auf ihn setzete, und weil er die Sachen,

so

Sæculum IV. A. C. 325. Hi ergo fuere Episcopi cœteris memorat digniores, inter eos, qui in Concilio Ni cæno assederunt.

§. VI

so vorkommen sollten, schon auf dem Concili zu Alexandrien abgehandelt hatte. Dieses abe alles sind blosse Muthmassungen, welche, wenn nicht anders wäre, durch das Zeugniß des Gelasius al lein zernichtet werden. Endlich lobet er die Au richtigkeit des Tillemont, welcher dieses Vorge ben bestritten. Ja die Herren Protestanten lobe alles, was sie vermeynen, daß es in ihre Kram tauge; Herr Gruber, welcher unsers Herrn Fleu ry. Institutions au Droit Ecclesiastique, ins Le tein übersetzet, (denn er, und nicht Bœhmerus, wo ich in einer Anmerkung des ersten Bandes erro calami geschrieben, ist der Uebersetzer) hat ihr auch wegen seiner Aufrichtigkeit ungemein gross Lob beygeleget, er sagt in der Vorrede: *De c tero nihil est, quod verear, ne diversa Sacra quibus Auctor addictus fuit, pretium libelli mi nuant. . . . Nam & de Primatu Papæ tam ambigue loquitur, ut eum magis destruere, quam adstruere videatur. . . . Nec dissimulat propria vulnera Ecclesiæ. . . . haud dubie a Nostratibus inter Testes Veritatis, qui nostra ætate vixere, maximos referendus.* Wir nehmen das Zeugniß des Herrn Grubers an, daß Herr Fleury ein vortrefflicher Zeug der Wahrheit zu unsern Zeiten sey; nur ist es nothwendig, daß wir die Worte: *De Primatu Papæ tam ambigue loquitur*, prüfen. Herr Gruber übersetzet des Herrn Fleury Worte auf der 59. Seite also: *Papæ nomen, quod*

§. VI.

Sæculum IV.
A. C. 325.

Episcopi Ariani.

Episcoporum cum Ario sentientium, & in Concilio præsentium viginti duo recensentur, quos inter notissimi sunt, Euse-

sup. l. X. §. 34

---

quod olim Episcopis occidentalibus commune fuit, Romani Pontificis proprium mansit, quia hic de jure Divino omnibus Episcopis major est habitus, Apostolorum Principis Successor, & visibile Caput Ecclesiæ. Und auf der 554. Seite: *Et quia (Christus) Petrum in primis gregis sui Ducem constituit, voluitque, ut is Fratres confirmaret; pie credimus, Papæ jure divino competere jurisdictionem in omnes Episcopos, & per omnem Ecclesiam, ne qua Fidei depravatio gliscat, neve Canones vilipendantur.* Herr Gruber! soll das zweydeutig geredet seyn? Aus den Kirchengeschichten des Herrn Fleury erhellet, daß in den allgemeinen Kirchenversammlungen, allwo die Glaubensfragen entschieden werden, dem Römischen Bischofe gebühre vorzustehen. Hier sehen wir aus seinen Worten daß sich des Pabstes Gerichtsbarkeit über alle Bischöfe der Welt, und in der ganzen Kirche erstrecke; daß auch die Päbste diesen Gewalt ausgeübet, lieset man tausendmal in seinen Geschichten. Es steht dem Pabste zu, als dem sichtbaren Oberhaupt der Kirche zu sorgen: *Ne qua fidei depravatio gliscat, neve Canones vilipendantur.* Das ist; Damit nicht nur

Sæculum IV. A. C. 325. Eusebii duo, Nicomediensis, & Cæsarien-sis, Theodotus Laodicenus, Paulinus Ty-rien-sis

nur allein der Glaube, sondern auch die Ge-sätze, und die *Disciplin* in der ganzen Kirch erhalten werden; und dieses: *Jure Divino* weil es uns JEsus Christus in der heil. Schr durch die Worte, welche er zum heil. Petrus g sprochen, also gelehret hat. Soll das zweydeut seyn? Herr Fleury sagt in der Vorrede des e sten Bandes seiner Kirchengeschichte, und leget als eine Grundregel, daß nur allein diejenig welche in der Gemeinschaft der allgemeinen, u zuförderst der Römischen Kirche, folglich auch d Römischen Bischofes, gelebet haben, als Rech glaubige, zu allen Zeiten seyen angesehen word Soll das auch wohl zweydeutig seyn? Ja vi mehr drücket sich der Herr Fleury in eben dies Vorrede so klar, und deutlich aus, da er sage *Econtra Societates Hæreticorum ex eo digno cuntur, quod si ad prima tempora reducas seriu aut citius certum tempus deprehendatur, qu se ab Ecclesia, ex qua ortum traxerant, sepa rarunt;* Daß der protestantische Uebersetzer i dieser Noth sich nicht anders als mit der verme genen Kritic zu helfen gewußt; er hat die Wort des Herrn Fleury verfälschet, und hinein geflicket in welcher Zeit sie sich von dem Worte GOttes... getrennet haben. Nun welche Parthey sich von dem Worte GOttes getrennet habe, ist die Frage welche der Herr Fleury auflöset durch die Regel daß

rienſis, Athanaſius Anazarbanus, Grego- Sæculum IV.
rius Berytenſis, Aetius Liddenſis. Hos A. C. 325.
ipſe *Socr.* 1. *hiſt.* c. 8.

daß diejenigen Ketzer wären, und folglich von dem Worte GOttes abgewichen, welchen man erweiſen kann, um welche Zeit ſie ſich von der allgemeinen Kirche getrennet. Wir Katholicken ſind alle Stunde im Stande zu zeigen, wann ſich die Herren Proteſtanten von der Römiſchen, und allgemeinen Kirche, in welcher ſie geboren waren, abgeſöndert, wann aber, in was für einem Jahre, oder nur in was für einem Jahrhundert die heutige Katholicken ſich von der Römiſchen, und allgemeinen Mutterkirche getrennet haben ſollen, iſt eine Frage, auf welche man von unſerem Ueberſetzer keine zureichende Antwort erwarten darf. Es redet alſo der Herr Fleury in Anſehung des Römiſchen Pabſtes, und ſeines Gewalts ganz und gar nicht zweydeutig, ſondern die Herren Proteſtanten ſuchen ſich mit ſolchen kahlen Entſchuldigungen zu rechtfertigen, daß ſie Kirchengeſchichte, und Kirchenrechte von Katholiſchen Schriftſtellern entlehnen, überſetzen, und neu auflegen laſſen, ſie verrathen hiermit die Schwäche, Jugend, und Armuth ihrer eigenen Kirche, denn wo über fünfzehn Jahrhundert keine Kirchengeſchichte, und keine Kirchenrechte zu finden, da kann auch keine Kirche geweſen ſeyn. In der That würde einem ehrlichen Proteſtanten übel zu Muth werden, wenn man von ihm fodern ſollte, er ſoll die Kirchenrechte, von Chriſti des HErrn Zeiten an bis auf das fünfzehende Sæculum,

Sæculum IV. A. C. 325. ipse Arius inter addictos sibi numerabat quibus alii septem adjungendi, Mari Calcedonensis, Theognis Nicænus, Me nophantes Ephesinus, Narcissus Neroniadenus ex Cilicia, Patrophilus Scytho politanus ex Palæstina, Secundus Ptole maidenus ex Lybia, & Theonas ex Ma marica. Posteriores duo in Concilio se

sup. l. X. §. 37 cundo Alexandrino, quod S. Alexande

Theod. 1. *hist. c.* 7. egit, depositi fuerant. Pauci erant A riani, cum Catholicis comparati, quorum numerus ad ferme trecentos excreve rat, & ex paucis etiam plerique errorem

Socr. 1. *c.* 8. callide dissimulabant. Aderant etiam in Concilio Laici, in arte Dialecticæ ex ercitati, quorum opera utriusque parti Episcopi uterentur, horum enim pleri

Socr. l. 1. *c.* 17. que in SS. Scripturis magis, quam scien tiis profanis erant versati.

§. VII

---

zusammen tragen, diejenigen Gesätze aber, welche von der Römischen Kirche, und von solchen, welche mit der Römischen in Gemeinschaft gelebet weg lassen, oder Kirchengeschichte verfertigen, aber die bereits tausend siebenhundert Jahre alte Gewohnheit, welcher sich die Protestanten sowohl als Katholicken bedienen, die Römischen Päbste dazu zum Grund, und Zusammenhang zu setzen fahren lassen, und eine andere Methode einführen.

§. VII.

Sæculum IV.
A. C. 325.

Converſio Philoſophi.

Non nulli Gentiles Philoſophi, Epiſcoporum cœtui ſe immiſcentes, ſuper Religione diſputare avebant; aliqui, quænam hæc noſtra eſſet Doctrina, curioſe perquirebant, alii ineluctabilem collabentis Deorum cultus ruinam dolentes, Chriſtianorum animos diſſenſionibus dividere conabantur. Ajunt ſenem, quondam Confeſſorem, ſimplicem Laicum, & litterarum rudem, cum unius ex his ſuperbis Philoſophis faſtum non ferret, eidem Chriſtianæ Religionis veritatem perſuadere omni anniſu contendiſſe; iratiſſimi eorum, quibus nota erat viri ignorantia, loquentem ridebant, prudentiores rei eventum metuebant; tamen ſenis reverentia effecit, ut diſputantem non turbarent; hæc autem fuere ejus verba: *In Nomine JEſu Chriſti, audi me, Philoſophe! unus eſt DEus, Creator cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium, qui omnia Verbi ſui virtute fecit, & Spiritus ſui ſanctitate confirmavit; Verbum hoc, quod Filium Dei appellamus, cum hominum, brutorum more viventium, ſortem miſeraretur, ex muliere naſci voluit, cum hominibus converſari, & pro eis mori. Veniet ſecundo, ut uniuscujusque vitam judicet. Hæc* An. 325.

Ibid. c. 18.
Ruf. 1. c. 2.
Socr. 1. c. 8.

Sæculum IV. A C. 325.

sine vana curiositate credimus. Ne igi
tur inveniendis contra fidem rationib
frustra cerebrum torqueas, aut, quomo
hæc fieri potuerint, quæras, sed respon
mihi, an credas! Philosophus ille, atto
nitus, respondit: *Credo.* Et, gratia
S. Seni agens, quod suam contumacian
fregisset, Christianum se professus est
cœterisque suadebat, ut exemplum se
querentur, se enim, quod jurejurandi
affirmabat, occulta, sed divina vi com
pulsum, ut crederet.

§. VIII.

Libelli contra Episcopos.

A. 325. *L. 3. Cod. Theod. de divers. rescr. v. Pagi. an. 325. Ruff. 1. c. 2. Sozom. 1. c. 17. Theod. 1. c. 11.*

Cum Imperator vigesima tertia Maji N
cæ esset, quidam Episcopi occasio
nem favere rati, ut privatis suis commodis
invigilarent, libellos contra Confratres
suos ei tradiderunt; hos potissimum ex
Arianis fuisse crediderunt. Imperator
libellos acceptavit, simul omnes convo
lutos, & bene obsignatos in præfixam s
se diem servari jubet; interim dissiden
tes componere laborabat, atque destina
ta die ubi libellorum volumen allatum
est, ad Episcopos, *Æquum non est*, inquit:
ut ab hominibus judicemini, cum vobis not
ipsos omnes judicandi potestatem dederit
Deus; ergo causas vestras ipsi relinquite
judicandas, & unitis animis quæstiones fi

dei

dei definite. (*) Tum, ipsis cernentibus, omnes libellos flammis tradidit, jurans, nec unicum apicem a se lectum, quod Episcoporum peccata latere oporteret, ne populis pessimo exemplo essent. Ajunt, illud quoque memoria dignissimum addidisse; se vero, si Episcopum suis oculis in adulterio deprehenderet, detracta sibi purpura contecturum. Sæculum IV. A. C. 325.

§. IX.

Episcoporum Colloquia.

Episcopi ante primam sessionem publicam ad privata colloquia, advocato etiam Ario, convenerunt. Ipse omnes suos errores explicavit, sicut antea in ejus Epistolis retulimus; Deum non semper fuisse Patrem, & tempus fuisse, quo Filius non erat; hunc esse ex nihilo productum, creaturam, & ad modum cœterorum omnium divinæ potentiæ opus. Esse natura mutabilem, libero suo arbitrio bonum mansisse, & quando voluerit, *Sozom.* I. c. 17. *Athan. or. in Ar. p.* 294.

(*) Testimonium invictum! quo duo, unum Fidei, alterum Disciplinæ Ecclesiasticæ, Capita demonstrantur; Primum, solis Episcopis Potestatem esse de Fide judicare, secundum, Clericos a Jurisdictione Laica oportere esse exemptos, Imperatorem sapientissimum in ipso Ecclesiasticæ libertatis exordio credidisse.

Sæculum IV. A. C. 325.

sicut creaturas alias, mutari posse; quamobrem, cum Deus prævidisset, ipsum in bono perseveraturum, eidem anticipando illam Gloriam contulisse, quam sua virtute erat meriturus, ita ut non aliter, quam ob prævisa opera tantus evaserit. Ajebat; Jesum Christum non esse verum Deum, sed tantum per participationem, sicut omnes alii, quibus Deorum nomen tribuitur. Addebat; non esse Verbum substantiale Patris, & propriam ejus Sapientiam, per quam omnia fecit, sed per ejus Sapientiam æternam factum esse; in omnibus a Patris substantia esse distinctum; nos non propter ipsum factos esse, sed ipsum propter nos, quando Deus, qui antea solus fuit, nos creare decrevit. Per voluntatem Dei factum fuisse, sicut reliqua omnia, cum antea non fuisset. Non esse propriam, & naturalem Patris productionem, sed gratiæ ejus effectum. Non esse virtutem Dei veram, & naturalem, sed ei in Scriptura nomen virtutis dari, illa ratione, qua erucis tribuitur, aut stridulis scarabeis. Dicebat præterea; Patrem esse Filio invisibilem, nec posse ab eo perfecte cognosci, sed tantum pro capacitate suæ essentiæ, quæ initium habuit. Tandem Christo propriam suam substantiam esse ignotam. Tales fuere Arii blasphemiæ, quæ audiri sine fastidio non possunt.

Episco-

Episcopi e diversis orbis partibus col- Sæculum IV.
lecti, aures occludebant, atque hanc Do- A. C. 325.
ctrinam ut peregrinam, & a fide Eccle- *Ibid. p. 205.*
siæ remotissimam, rejiciebant; aliqui- *Sozom. l.*
bus, omnem novam Doctrinam, nullo *c. 17.*
præmisso examine, damnandam esse, videbatur, fidemque, quam per traditionem ab initio acceperant, servandam; hæc illorum potissimum erat opinio, quos morum simplicitas ab omni in rebus fidei curiositate avertebat; alii contendebant, antiquis opinionibus non sine examine esse inhærendum. In istis colloquiis multis Episcoporum, & Clericorum, qui eos secuti fuerant, occasio non defuit, qua egregia darent specimina, quantum Dialectica, & disputandi arte valerent; sicque Imperatori, & Purpuratis innotescerent, inter illos Athanasius Diaconus Alexandrinus emicuit.

§. X.

Sessio Publica.

Dies Sessioni publicæ Concilii destinata *Socr. l. 1.*
erat juxta Romanos decima tertia *c. 13.*
Calendas Julii, Paulino, & Juliano Consulibus; juxta Macedones decima nona
Desii anno Alexandri 636. juxta nos de- *v. Pagi. an.*
cima nona Junii anno J. C. 325. Cum il- *325. n. 3. 5.*
luxisset hæc dies, omnes, quos Concilio *Eus. III. vita c. 10.*
adesse oportebat, in aulam, quæ in me- *Conc. Calch.*
dio *p. 40.*

Sæculum IV. A. C. 325. dio Palatii erat ampliſſima, ſe conferunt, ubi in ſcamnis utraque ex parte diſpoſitis, conſidentes, in ſilentio exſpectabant; tunc primi ex Imperatoris comitatu intrant, iique non Prætoriani, aut viri armati, ſed ejus amici, & Chriſtiani; ad hoc advenientis Imperatoris indicium omnes aſſurgunt; intrat ille, purpura conſpicuus, & auro, gemmis late fulgorem ſpargentibus; qua reverentia in Religionem eſſet, vultu exprimebat, modeſtiam ſuffuſus rubor teſtabatur, & demiſſis oculis inceſſus; cæterum vir erat inſigni ſpecie, viribus corporis valens, omnibus adſtantibus medio vertice major, quibus dotibus ingens pretium addebant pietas, & humilitas. Ubi ad ſuperiorem triclinii partem pervenit, conſtitit proximus ſellæ aureæ, ſibi præparatæ, nec prius conſedit, quam ſignis ab Epiſcopis rogatus; quo ſedente, omnes in ſuis ſcamnis acquieverunt.

Ibid. c. 2. *Theod. l. c. 7.* Epiſcoporum primus a dextris ſedens (Euſtathius Antiochenus fuiſſe creditur) ſurrexit, & Imperatorem compellans, cujus nomine Gratias Deo egit, iterumque conſedit, omnibus ſilentibus, & defixis in Conſtantinum oculis. Ipſe vultu ſereno in Epiſcopos intuens, cum paululum mentem collegiſſet, leniter, & tranquille loqui cœpit, ſummum gaudium teſtatus, quod eos collectos in unum videret,

Euſ. c. 12.

&

& ingens desiderium, quo optabat, ut sicut in hoc loco corpore conjuncti, ita in quæstionibus fidei animis, & sententia uniti essent. Latine loquebatur, nempe sua, & Romani Imperii lingua, sed erant, qui ea, quæ diceret, græco sermone interpretabantur, quod hæc lingua, utpote Oriente usitatissima, plerisque Patrum familiarior esset. Imperator deinde his, qui Concilio præerant, locum loquendi dedit, & plenissimam Episcopis Doctrinam fidei examinandi libertatem fecit. Sæculum IV. A. C. 325. *Socr. 1. c. 8. Athan. or. 1. in Ar. p. 296.*

§. XI.

Arii opiniones examinantur.

Initio Arii dogmata ad examen vocata. Ipsum loquentem audire sustinuerunt, & easdem, quas prius, blasphemias coram Imperatore evomentem. Eusebiani, denfendendo Ario intenti, nil nisi verba impia proferebant; alii Episcopi, ipsis numero plurimum superiores, mansuete petebant, ut suæ Doctrinæ rationem redderent, & ex fidei principiis argumenta afferrent, sed Ariani in ipso dicendi ingressu unus alterum oppugnabant, iterumque, hæresis suæ absurditatem stupentes, tacebant, & quod omnium oculis eorum superbia pateret, pudorem silentio fatebantur. Episcopi, refutatis eorum figmentis, Sanctam Ecclesiæ Doctrinam *Ep. Synod. ap. Socr. 3. c. 9. Thod. 1. c. 6. Athan. de decr. pag. 251.*

Sæculum IV. A. C. 325.

trinam explicarunt. Imperator fervid
pisputantes patienter auscultabat, maxi
ma attentione, quæ utrinque proferebat
tur, pensabat, eaque, sermone repetens,
paulatim dissidentium opiniones conci
liare satagebat. Quemque eorum, qu
contentiosissimi videbantur, leni allo
quio mitigabat, græca lingua, quam no
ignorabat, usus; tandem rationes, pre
ces, laudes adhibuit, ut omnes ad unio
nem reduceret.

Euſ. III. vit. c. 13.

Lecta est in Concilio epistola Eusebii
Nicomediensis, manifeste hæresin conti
nens, quæ præterea factionis clandestin
molimina prodebat; hujus lectio tanta
indignatione excepta, ut confestim in
omnium oculis, maxima Eusebii confu
sione, laceraretur. Inter alia in ea affir
mabat; si Filius Dei increatus diceretur
necessario etiam consubstantialem Patri
dicendum. Ex quo colligi possit, illam
fuisse epistolam, quam ad Paulinum Ty
rienſem dederat, ubi aliis verbis hæc as
sertio reperitur. Ariani etiam professio
nem fidei, a se conscriptam, Concilio ob
tulerunt, quæ vix perlecta, tanquam falsa
& hæretica lacerata est, magnusque exor
tus tumultus accusantium eos esse veri
tatis proditores.

Euſt. apud Theod. l. c. 8.

Amb. 3. de fide c. 7. alias 1. n. 125. ap. Theod. c. 6.

Sup. lib. X. §. 43.

Theod. l. c. 7.

Concilium, ut impias, quibus Ariani
utebantur, voces exterminaret, easque,
quæ Scripturæ auctoritate fulciuntur, ad
hibe-

Athan. Decr. p. 267. & ep. ad Afric. p. 963. & ap.

hiberet, dixit: *Filium esse Deum.* Aria- Sæculum IV.
ni contendebant, *nomen Filii nobis omni-* A. C. 325.
bus cum ipso esse commune, quia scriptum *Theod. 1. hist.*
est; unus est Deus, ex quo sunt omnia. *c. 8. 1. Cor. 8.*
Et iterum: *omnia facio nova, & omnia* 6. 2. *Cor.* 5.
ex Deo sunt. Patres, videntes eorum 17.
astutiam, clarius explicare coacti sunt, quomodo Filius ex Deo sit, & dicere, quod ex substantia Dei sit; verum enim est dicere, Creaturas esse ex Deo, cum earum Auctor sit, estque ita dicere necessarium, ut probetur, creaturas non extitisse casu fortuito contra Philosophos, somniantes, hunc Mundum temerario atomorum concursu coaluisse, & contra quosdam hæreticos demonstretur, Mundum neque ab Angelis neque ab alio Auctore, quam vero Deo conditum. Deus igitur, qui erat, per Verbum suum res omnes condidit, quæ non erant antea, Solum Verbum ex Patre est, quod ut melius exprimatur, dicitur, ex substantia Patris esse, quod nulli alteri creaturarum convenit. Ideo vox substantia usurpata, de qua postmodum tam diu multumque disputatum.

Episcopi ab exiguo Arianorum numero quærebant, an dicturi essent, Filium esse virtutem Patris, unicam ejus Sapientiam, imaginem æternam, ei per omnia similem, immutabilem, semper in eo subsistentem, denique verum Deum? non respon-

Sæculum IV. A. C. 325.

respondebant Eusebiani, nec aperte negare audebant, ne convincerentur, sed submisse colloqui conspiciebantur, atque oculis annuere, voces has: similem, semper, in eo, & virtutis nomen etiam nos homines cum Filio participare. *Possumus*, inquiebant: *has voces sine periculo admittere, vocem: similem, quia scriptum est, hominem esse imaginem, & gloriam Dei. Semper, quia scriptum est; nos enim, qui vivimus, semper sumus. In eo, quia legitur: in ipso sumus, movemur, & vivimus. Immutabilem, quia Scriptura dicit: nihil nos a Charitate JEsu Christi separat. Virtutem, quia de pluribus virtutibus Scriptura memorat, & alibi eruca, & scarabeus nominantur virtus, & quidem magna virtus. Sæpe dum Scriptura de populo loquitur, dicit; magnam Dei virtutem ex Ægypto egressam. Sunt & aliæ virtutes cælestes, quia legitur: Dominus virtutum nobiscum est. Tandem si dicant, Filium Dei esse verum Deum, non repugnabimus, est enim Deus, quia Deus factus est.*

Arianorum fallaciæ.

1. Cor. 11. 7.

2. Cor. 4. 11.

Act. 17. 18.

Rom. 8. 35.

1. Cor. 12. 10.

Joel 2. 25.

Psalm. 45. 12.

§. XII.

Necessitas vocis hujus Consubstantialis.

Tunc Episcopi, eorum dissimulatione & mala fide cognita, clarius loqui adacti, in unica voce sensum Scripturarum inclu-

Sæculum IV. A. C. 325.

inclusérunt, dicentes, Filium esse Patri consubstantialem, usi vocabulo græco *homoousios*, ex hac die notissimo; hac voce exprimitur, Filium non vulgariter similem esse Patri, sed ita similem, ut etiam idem sit, & ostenditur, similitudinem, & immutabilitatem Filii longe diversam esse ab ea, quæ nobis tribuitur, quamque exercendo virtutes, & mandata Divina observando acquirimus. Aliunde corpora similia separari possunt, & amoveri, quemadmodum in humanis Pater, & Filius, quantumcunque similes sint, at Generatio Filii Dei nimium quantum ab humana differt. Filius non tantum similis est, sed etiam a substantia Patris inseparabilis; Pater, & ipse unum sunt, sicut ipse dixit. Verbum semper in Patre est, & Pater in Verbo, sicut splendor se habet respectu Luminis. Hinc Patribus Concilii Nicæni vox: consubstantialis, adeo placuit; quod referente S. Athanasio didicimus, præsente, & qui ipse pars magna hujus Concilii fuit. Aliunde quoque scimus, Patres non ignorasse, hanc vocem Arianis esse terribilem. Ex epistola Eusebii Nicomediensis vidimus, ab ipso tanquam grande malum pertimesci, ne, si Filium increatum agnoscerent, eundem quoque ex Patris substantia esse, fateri cogerentur.

Jo. 10. 30.

S. Amb. III. de fide c. 15. *n.* 125.

Aria-

Sæculum IV. A. C. 325.

Ariani, alii murmure, alii risu vocem: consubstantialis, exceperunt, quod dicerent, eam in Scriptura non inveniri, & pessimum de Divinis sensum involvere. *Nam, quod aliquid,* inquiebant: *cum alia ejusdem substantiæ esse dicatur, tribus modis contingit, videlicet divisione, effluxu, aut productione; productione, sicut planta ejusdem cum radice sua substantiæ esse dicitur. Effluxu, sicut liberi cum parentibus, & divisione, sicut duo vel tria poculæ ex eadem auri massa efformata.* Catholici vocem: Consubstantialis, ita scite explicarunt, ut ipse Imperator caperet, nullam in illa Ideam rei corporeæ involvi, nec ullam significari divisionem substantiæ Patris, utpote simpliciter immaterialis, & spiritualis, sed hanc consubstantialitatem modo Divinitati congruo, & ineffabili debere intelligi. Ostenderunt etiam, quam inique agerent Ariani, dum hanc vocem rejiciebant vano obtentu, quod in Scriptura non legeretur, ipsi, qui multas voces, SS. Scriptoribus ignotas, usurparent, ut cum dicerent, Filium Dei ex nihilo extractum, & non semper extitisse. Addebant, vocem: consubstantialis non esse novam, sed hac ipsa, illustrissimos Episcopos Romanum, & Alexandrinum (erant hi duo SS. Dionysii) usos fuisse ad eos condemnandos, qui dicebant, Filium esse creatu-

Socr. 1. hist. c. 8.

Basil. epist. 300.

Euf. Cæsar. ap. Theod. 1. hist. c. 12.

Athan. ad Afric.

Sup. l. VII. §. 54.

creaturam, & Patri non consubstantialem. Eusebius Cæsariensis hujus rei veritatem non agnoscere non potuit. Sæculum IV. A. C 325.

Non nulli in voce consubstantialis rejicienda persistebant, quod in Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum acto, fuisset damnata; id autem ibi ideo factum, quia Paulus hanc vocem materiali modo accipiebat, & aliquam divisionem indicantem, sicut plures nummi ex eodem metallo esse dicuntur; contra Paulum in eo disputationis cardo vertebatur, ut demonstraretur, Filium ante omnia alia extitisse, &, cum esset Verbum, carnem fuisse factum; Ariani vero admittebant, Filium ante tempus extitisse; nempe ante tempus fuisse factum asseverabant, & ad creaturarum censum esse referendum; ajebant ejus similitudinem, & unionem cum Patre non esse secundum substantiam, aut naturam, sed secundum conformitatem Doctrinæ. Ergo Patribus, ad occludendas omnibus eorum argutiis rimas, nulla vox visa est magis idonea, quam: consubstantialis, in hanc usque diem Arianorum terror.

Sup. l. VIII. §. 1. Basil. ep. 300.

Athan. de Synod. pag. 920. 921. &c.

§. XIII.

Synodi Nicænæ Symbolum.

Postquam de hac voce, aliisque expri- *Athan. ad*
mendæ fidei Catholicæ aptissimis in- *Sol. p. 837.*
ter

Sæculum IV. A. C. 325.

ter Patres convenit, Osius formulam concepit, & Hermogenes, exinde Episcopus Cæsareæ in Cappadocia, descripsit. Erat autem ejusmodi: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem rerum omnium, visibilium, & invisibilium; & in unum Dominum JEsum Christum, Filium Dei unicum, ex Patre, id est, ex substantia Patris genitum. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt in cœlo, & in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, incarnatus, & homo factus est. Passus est, & resurrexit tertia die, ascendit ad Cœlos, & venturus est judicare vivos, & mortuos. Credimus etiam in Spiritum Sanctum. Illis vero, qui dicunt, tempus fuisse, quo Filius non erat, & non extitisse, antequam genitus esset, sed fuisse ex nihilo productum; aut qui dicunt Filium Dei esse in alia hypostasi, aut alterius substantiæ, mobilem, mutabilem, Sancta Ecclesia Catholica, & Apostolica anathema dicit.*

Basil. ep. 319.
Eus. Cæs. ap. Theod. 1. c. 12.
Socr. 1. c. 8.
Basil. ep. 78.
Ruf. 1. c. 5.

Omnes Episcopi hoc Symbolum approbarunt, & subscripserunt, si modicum Arianorum numerum excipias. Primum septendecim erant, qui signare recusabant, postmodum tantum quinque, Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, Maris Calcedonensis, Theonas, & Secundus

Ruf. 1. c. 5.
Socr. 1. c. 8.

dus ex Lybia. Euſebius Cæſarienſis vocem: Conſubſtantialis approbavit, quam priori die impugnaverat. Rurſus ex iſtis quinque tres depoſitionis, & proſcriptionis metu ceſſerunt, namque Imperator minatus fuerat, in exilium ejiciendos, qui ſubſcribere nollent. Solos Theonam, & Secundum, pertinaciter Ario inhærentes, Concilium unacum eo condemnavit. Tres illi, qui tempori ceſſerant, fuere Euſebius Nicomedienſis, Theognis, & Maris. Euſebius nullum non movit lapidem, ut ſibi faventem Conſtantinum redderet, miſſis, qui clam omnibus Principi loquerentur, eumque a depoſitionis timore ſecurum præſtarent. Tandem Conſtantiæ Imperatoris Sororis monitis obtemperavit, & cum ſubſcriptionem declinare non poſſet, ſaltem fidei profeſſionem ab anathemate, quod in calce appoſitum erat, diſtinxit, & ſubſcripſit quidem fidei, non vero anathemati, quia ajebat, ſibi perſuaſum habere, talem non eſſe Arium, qualem Patres crederent, aliud ſibi partim ex ejus epiſtolis, partim familiaribus colloquiis conſtare. Eſt etiam non nemo, qui dicat, ſcilicet Philoſtorgius Scriptor Arianus, Euſebium, & Theognim ſuis ſubſcriptionibus, quæ erant ſimillimæ, fraudem inſeruiſſe, dum in vocabulo *homoouſios* unum *jota* poſuerunt, ita ut *homoiouſios* legeretur, quod po-

Sæculum IV. A. C. 325.

Athan. in Decret. p. 251. *Euſtat. ap. Theod. c.* 8. *Epiſt. Syn. ap. Socr.* 1. *c.* 9.

Ep. Conſt. ad Theod. 1. *hiſt. c.* 20. *Libell. Euſ. ap. Socr.* 1. *hiſt. cap.* 14. *& ap. Soz.* 11. *c.* 6.

Philoſt. l. 1. *c.* 9.

Sæculum IV. A. C. 325.

sterius dicit similem in substantia, prius vero substantia eundem significat. Cum Ario etiam ejus scripta, & nominatim Thalia ejus, damnata sunt; nec non omnes illi, quos jam Concilium Alexandrinum cum eo damnaverat, atque inter alios Diaconus Euzoius, postmodum Episcopus Arianus Antiochenus, & Pistus postmodum Episcopus Arianus Alexandrinus.

§. XIV.

Decretum de Paschate.

Sup. l. III. §. 43. Lit. IV. §. 43. Athan. de Synod. p. 872. Ad Afric. p. 933. Const. ap. Eus. III. vit. c. 18. 19.

Quæstio de Paschate S. Aniceti Papæ & S. Polycarpi, exinde etiam S. Victoris temporibus agitata, necdum satis decisa, convocandi Concilii Nicæni potissimum Arii hæresin causa secunda fuerat; quippe Ecclesiæ Syriæ, & Mesopotamiæ adhucdum Judæorum morem servabant Paschа decima quarta Lunæ, nulla habita diei Dominicæ ratione, celebrantes. Reliquæ Ecclesiæ omnes Paschа die Dominica celebrabant, nempe Roma, Italia, Africa, Lybia, Ægyptus, Hispania, Gallia, Britannia; universa Græcia, Asia, & Pontus. Certe ista diversitas scandalo non vacabat, cum Christianorum aliqui jejunio affligi conspicerentur, eodem tempore, quo alii ejusdem Religionis festos dies agerent.

Hæc

Hac quæstione examinata, Patres sta- Sæculum IV.
tuerunt, in tota Ecclesia eadem die Pascha A. C. 325.
esse celebrandum, promiseruntque Orientales, se Ecclesias suas ad usum Romanum, Ægypti, totiusque Occidentis conformaturos. At aliis verbis in hac ma- *Epist. Syn. ap. Theod.* 1. c. 9.
teria, quam in quæstionibus fidei pronuntiatum, quam diversitatem S. Athanasius adnotavit. In materia fidei dicunt: *Hæc est fides Ecclesiæ Catholicæ: credimus. Et reliqua*, ut ostenderent, non novam legem ferri, sed traditionem Apostolicam declarari; nec illi decreto dies, vel annus appositus. In quæstione Paschatis *Athan. de Syn. p.* 873.
dicunt: statuimus, quod sequitur; ut innuerent, omnibus esse obediendum. Paschatis celebrationi dies fixa, Dominica immediate sequens decimam quartam Lunæ, post æquinoctium vernale illucescentis, quia exploratum est, Dominum Nostrum illa Dominica resurrexisse, quæ Quæstio de
post Judæorum Pascha prima fuit. Ut fa- Paschate.
cilius prima dies Lunæ, & ex consequenti decima quarta inveniretur, statutum, *Amb. ep.* 22. *ad Episc. Æmil.*
novemdecim annorum Cyclo esse utendum, quo expleto novilunia in eosdem ferme, quo antea, anni solaris dies incidunt. Cyclus iste, græce *Enneadecæteride* dictus, ferme ante septingentos quin- *Petav. rat.* 1. *p. l. III.* c. 8. *&c.* 2. *p. l.* 1. *c.* 2.
quaginta annos a quodam Athenienſi, Nomine Meton, inventus fuerat, & exinde aureus numerus nominatus est, quia mos

Sæculum IV. A C. 325.

invaluit in Calendariis dies Noviluniorum aureis litteris distinguendi. Hujus Cycli conficiendi provincia demandata fuisse creditur Eusebio Cæsariensi; illum certe constat, ipsum canonem Paschalem composuisse novemdecim annorum, atque originem, & statum quæstionis explicasse in dissertatione Imperatori Constantino dedicata, qui, pergratum sibi id accidisse, per litteras ad Eusebium datas fassus est.

Hieron. de Script. in Hippolyto Euseb. IV. vit. c. 34. 35.

Non obstante Concilii decisione, Quartodecimani superfuere, obstinatissime Pascha die decima quarta celebrantes, & inter alios Audiani schismatici in Mesopotamia, de quibus superius sermo fuit; imo ex ipso Concilio occasionem nacti sunt, Ecclesiam calumniandi, dicendo, tunc primum Patres, ut Constantino Imperatori assentarentur, a veteri traditione recessisse. Cum Episcopi Senem Audium Constantino detulissent, ut schismatis caput, populosque ab Ecclesiæ unitate avertentem, eum Imperator in Scythiam relegavit. Ibi pluribus annis moratus, ad interiores Gothorum Provincias penetravit, multos in Christiana Religione informavit, Virgines, Ascetas, Monachos ad exactum Disciplinæ rigorem instituit; magnum profecto bonum! nisi illud schismatis contumacia corrupisset.

Sup. X. §. 44. Epiph. hær. 70. n. 9. 14.

§. XV.

Sæculum IV.
A. C. 325.

§. XV.

Decretum in cauſa Meletianorum.

Concilium ſchisma etiam Meletii tollere maxime cupiebat, quo Ægyptus a viginti quatuor annis dividebatur, & Arianorum factio non parum firmabatur. Meletius indulgenter habitus, quamvis in Diſciplinæ rigore nullam gratiam mereretur. In urbe Lycopoli manere ei permiſſum, ſine poteſtate tamen vel eligendi, vel ordinandi, neque alicujus Sacerdotalis functionis cauſa vel ruri, vel in alia civitate comparendi, ita ut ſimplex Epiſcopi nomen retineret. Quantum ad eos ſpectabat, quos ipſe ordinaverat, ſtatutum, ut ordinationis defectus ſanctiori manuum impoſitione ſupplereturtur, & ad communionem, functionumque ordinis ſui honorem admitterentur, conditione adjecta, ut in quacunque Diœceſi, aut Eccleſia illis, qui antea ab Episcopo Alexandro ordinati fuiſſent, cederent, quod maxime de ordinatione Episcoporum intelligendum, quippe Meletius multos ordinare præſumpſerat, quales viginti octo, plerique in ſuperiori Ægypto, numerantur. Horum certe ordinatio erat illegitima, quia ſine conſenſu Episcopi Alexandrini contra antiquam Provinciæ conſuetudinem facta. Præcipit etiam Concilium, ut illis, qui a Meletio ordinati

Sup. l. VIII. §. 24.

Synod. ap. Theod. l. 1. c. 9. & ap. Socr. 1. c. 9.

Athan. ap. 2. p. 789.

Sæculum IV. A. C. 325.

dinati erant, jus non competat, quos vellent, eligendi, aut eligendos nominandi absque Episcopi Catholici Alexandrini subjecti consensu, quod præcipere ideo erat necessarium, ne his suffragiis suam factionem augerent, econtra aliis, schismati nunquam implicitis, sed semper Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem secutis potestas eligendi, aut eligendorum nomina proponendi, si Clericali ordine dignos præsentent, integra conservatur & jus faciendi omnia, quæcunque leges Ecclesiasticæ fieri non prohibent. Si quis eorum decedat, ex iis quisquam, qui modo ad Ecclesiæ communionem recipiuntur, in defuncti locum promoveri poterit, si isto honore dignus inveniatur, a populo electus sit, & Episcopus Alexandrinus Electionem confirmet. Hæc omnia Meletianis concessa; ipse vero Meletius ab omni auctoritate, & jurisdictione remotus, ne, cum esset inflexibilis, & inquieti ingenii, nova molimina tentaret. Experientia deinde docuit, nimiam fuisse in ejus Sectatores indulgentiam, & Patres Ecclesiæ bono melius consulturos fuisse, si Meletianos non recepissent.

v. Vales. ad Eus. III. vit. c. 62. 63.

Athan. ap. 2. p. 788.

§. XVI.

Synodi Nicænæ canones.

tom. 2. Conc. p. 8.

Concilium Nicænum Canones etiam, seu

seu Regulas generales Disciplinæ edi- Sæculum IV.
dit, non ut novam instituëret, sed anti- A. C. 325.
quam, quæ relaxari cœperat, conserva- *Justel. bibl. to. 1.*
ret. Viginti omnino canones sunt, quos omnis antiquitas venerabatur. Primus hujus est tenoris: *Si quis Evnuchus factus est a Chirurgis morbi causa, aut a Barbaris, inter Clericos remaneat, si seipsum bona fruentem valetudine mutilaverit, si Clericus sit, suspendatur, si Laicus, ad ordines promoveri nequeat.* Cum autem evidens sit, hanc legem solum contra eos ferri, qui plena deliberatione mutilare se ausi sunt, ad ordines admittuntur, a Barbaris vel Dominis suis castrati, si aliunde digni judicentur. Ex hoc canone cognoscimus, quod zelus imprudens servandæ castitatis non nullos ad sequendum Origenis exemplum impulerit; imo aliquam Sectam, quamvis obscuram, novimus, eo potissimum crudelitatis genere ab omnibus aliis distinctam; Valesiani dicebantur, & omnes erant *Epiph. hær.* Evnuchi, nihil, quod vitam habuissent, 40. suos Discipulos comedere sinebant, antequam fuissent castrati; postquam vero ipsis virilia exsecuerant, tanquam satis contra omnes tentationes munitis omnia permittebant. Non solum Discipulos mutilabant, sed hospites quoque, &, quod maxime abominandum, etiam, vi illata, invitos. Hujus Sectæ homines

Sæculum IV. A. C. 325.

mines trans Jordanem in ingressu Arabiæ visebantur.

Secundus Concilii Nicæni canon ordinationes Neophytorum his verbis prohibet: *Cum multa contra Ecclesiæ legem vel ob necessitatem, vel hominum importunitatem facta, & aliqui recentissime a Paganismo ad fidem conversi, brevi temporis spatio tantum necessaria edocti, baptizati, & ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoti sint, visum est, ne deinceps ejusmodi aliquid committatur; tempore enim opus est ad instruendum Catechumenum, & longiori mora, ut post Baptismum probetur. Clarissime dixit Apostolus:* 1. *Timoth.* 3. 6. *Neophytum, ne, superbia elatus, in condemnationem incidat, & in laqueos Diaboli. Si postmodum talis reus peccati carnalis inveniatur, & duobus, vel tribus testibus convincatur, Ministerio clericali dejiciatur. Si quis hunc canonem violaverit, ipse depositionis periculum incurrat, quod Magno Concilio resistere ausus fuerit.* Credibile est, Arianos, sicut & alios hæreticos hanc legem contempsisse. Concilium hic utitur voce: peccatum animale, quod interpretatus sum peccatum carnis, Concilium Neocæsarienſe, & ante illud Concilium Illiberitanum circa id genus peccati idem statuerat.

v. Tertull. præscr. c. 49. *Conc. Neoc. c.* 9. 10. *Elib. c.* 5.

§. XVII.

Sæculum IV.
A. C. 325.

§. XVII.

Cælibatus. S. Paphnutii ſententia.

Canon tertius Eccleſiaſticorum puritati ulterius conſulit, his verbis: *Magnum Concilium prohibet generatim, ne cui Epiſcopo, Presbytero, Diacono, aut cuicunque Clerico fæminas ſubintroductas domi habere liceat, niſi Matrem, ſororem, amitam, materteram, aut tales, in quas nulla ſuſpicio cadere poteſt.* Fæminæ ſubintroductæ, præſertim Antiochiæ, dicebantur illæ, quæ in domo Clerici habitabant conſuetudine, ab Eccleſia ſemper damnata, ob quam culpam Paulus Samoſatenus fuerat reprehenſus; nam quamvis charitatis, & amicitiæ ſpiritualis obtentu id fieret, rem tamen eſſe periculo plenam, putabant, certe aliorum ſcandalum vix unquam abeſſe. Idem jam ante in Concilio Eliberitano ſtatutum. His majora præcipere Patribus Concilii Nicæni animus erat, & legem univerſalem condere, qua omnes in SS. ordinibus exiſtentes, videlicet, ut Socrates explicat, Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi cum mulieribus habitare, quas adhuc Laici uxores acceperant, prohiberentur; Sozomenus addit & Subdiaconos. Tunc vero Paphnutius Confeſſor, & in ſuperiore Thebaide Epiſcopus in medio conventu ſurrexit, & alta voce ſuam mentem edixit;

Sup. l. VII §. 4.
Conc. Illib. c. 27.
Socr. l. 1. c. 11.
Sozom. 1. c. 13.

Sæculum IV. A. C. 325.

xit; Clericis Sacris tam grave jugum non esse imponendum. Matrimonium esse irreprehensibile, & thorum nuptialem honore dignum. Hunc forte rigoris excessum Ecclesiæ nociturum. Non omnibus datum, tantum continentiæ gradum servare; timendum certe, ne deinde ipsa castitas, fidesque conjugalis sæpius violetur; Sufficere, si illi, qui in Clericum ordinatus est, imposterum nubendi libertas juxta antiquam Ecclesiæ traditionem adimatur, a muliere autem, quam laicus duxisset, non esse separandum. (*) Ita locutus est S. Paphnutius, qui

Hebr. 13. 4.

(*) Nach diesem Abschnitt kömmt eine Anmerkung des Protestantischen Uebersetzers; Er hebt so an: Die Verordnung wegen des Ehelosen Lebens der Geistlichen ist keine Apostolische Tradition, sondern eine blosse Menschensatzung, mit welcher nach dem Ausspruch Christi GOtt nicht gedienet werden kann. Und so weiter ꝛc. Diese Worte, und die ganze Anmerkung, sind so dumm, als unverschämt hingeschrieben. Er beziehet sich auf das Zeugniß des Bischofs Paphnutius, da solcher jedoch nichts anders saget, als, es sey genug, daß derjenige so einmal zum geistlichen Amt eingeweyhet worden, keine Freyheit mehr habe, sich zu verheyrathen, vermöge der alten Satzung der Kirche; allein von der Frau, so ein solcher

qui semper virginitatem servaverat, a puero in monasterio educatus, & purissimæ vitæ laude, si quis alius, insignis. Omnes Patres in suam traxit sententiam, nec ulla lex nova lata est, sed quælibet Ecclesia usum suum, & libertatem retinuit. Sæculum IV. A. C. 325.

Diversæ erant hac in materia Ecclesiarum consuetudines. Socrates historicus, qui ea, quæ modo retulimus, scripsit, alibi *L. V. c. 22.*

---

cher in seinem vorigen Layenstande geheyrathet, müsse man ihn nicht trennen. Nun ist es zwar wahr, daß man heut zu Tag keinen Ehemann mehr ordinire, allein, daß man Eheloſen, wenn sie sich weyhen lassen, nicht mehr zu heyrathen erlaube, ist eine, nach dem Zeugnisse Paphnutii, schon in der Nicänischen ersten Kirchen-Versammlung alt gewordene Kirchensatzung. Und was kann dieses anders seyn, als eine Tradition, die von den Aposteln herrühret. Aber der Nebel des Vorurtheils lässet den Uebersetzer nicht sehen, daß er sich selbst mit seinen übersetzeten Worten widerlege. Er redet auch von elenden Ausflüchten Baronii und Bellarmini; Ach GOtt! wenn dieser Mensch, dessen Namen niemand weiß, nur erkennete, wie weit er von einem Baronius, oder Bellarminus entfernet sey! Aber weiter. Unser Uebersetzer sagt: Wir finden im sechsten Jahrhundert noch einen Pabst, Namens *Hormisdas*, der im Ehestande gelebet, und einen Sohn, Namens *Sylverius*, erzeuget, der auch Pabst gewor-

Sæculum IV. A. C. 325.

alibi testatur, in Thessalia Clericos fuisse excommunicatos, si cum uxoribus, ante ordinationem acceptis, habitassent, eundem morem in Macedonia, & Græcia observari; in Oriente eandem consuetudinem vigere, quamvis Clerici voluntarie, & nulla lege adstricti, ne quidem Episcopi, se continerent, aliqui enim ex uxoribus legitimis post susceptum Episcopatum liberos genuerant. At a S. Hieronymo,

geworden. Pabst Hormisdas ist im Jahr 514. erwählet worden, und Sylverius im Jahre 536. wenn also dieser, nach dem Jahre 514. wäre gebohren worden, so hätte er nicht älter seyn können, als ungefehr 20. Jahre, da er zum Pabstthume gelanget, welches so wenig als der Ehestand Hormisdæ nebst der Päbstlichen Würde einigen Schein der Wahrheit hat. Endlich findet er eine Verwandniß zwischen der Katholischen Geistlichkeit, und den Priestern der Cybele, und den Hierophanten, weil auch diese ohne Frauen lebeten. Dieser unsinnige Mensch spottet des geistlichen Standes, dem er schuldig ist, daß er von Christlichen Eltern gebohren worden; denn hätten ein H. Bonifacius, Rupertus, Corbinianus, Kilianus, Wilibaldus Frauen und Kinder gehabt, würden sie die Reise nach Deutschland schwerlich über sich genommen haben, um solches zum Christlichen Glauben zu bekehren. Dieser Uebersetzer gehöret zu der Zahl derjenigen, für die man beten muß: *Domine! ignosce illis, quia nesciunt, quid faciant.*

ronymo, & S. Epiphanio Socrate antiquioribus clarius harum consuetudinum diversitatem discimus. S. Hieronymus ait; Ecclesias Orientis, Ægypti, & Sacram sedem Apostolicam in Clericos ordinasse aut virgines, aut continentes, aut, si uxores haberent, eos jure maritali abstinuisse. Hic habemus tres magnos Patriarchatus Romam, Alexandriam, & Antiochiam, hanc enim Sedem nomine Orientis indicat. S. Epiphanius ait; in Ecclesia exacte observari, ne ordinentur bigami, quamvis uxorem secundam non nisi post mortem primæ duxerint, ipsum quoque, qui unius uxoris est, ad Diaconatum, Presbyteratum, Episcopatum, aut Subdiaconatum non promoveri, vivente ejus uxore, nisi ab commercio conjugali velit abstinere, in illis præsertim locis, ubi Canones stricte observantur, fatetur enim in quibusdam locis Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos inventos fuisse, qui matrimonii jure uterentur. Subdit deinde hæc verba: *iste usus non est conformis regulæ, sed hominum infirmitati, data occasione laxiora sequentium; & ut consulatur Fidelium multitudini, quibus si Canonum rigor servaretur, forte ministri deessent.* (*) Non igitur verita-

Sæculum IV. A. C. 325.

Hier. adv. Vigil. c. 1.

Epiph. hær. 59. Catha. n. 4.

(*) Ex his S. Epiphanii verbis rursus Interpretis Protestantis insania confunditur.

Sæculum IV. A. C. 325.

ritatem læderet, qui diceret, tunc temporis a Clericis continentiam magis servatam, quam hodie, cum jam a pluribus Sæculis Græcia, & totus Oriens ab hoc rigore remiserit. Cum autem hæc continentia Clericorum non in tota Ecclesia observaretur, noluit Concilium Nicænum Legem universalem statuere. Illis temporibus non condebantur Canones ad inducendos usus novos, cum periculo, ne deinde male observarentur, sed ad veteres Traditionis Apostolicæ consuetudines confirmandas.

§. XVIII.

Alii Canones de Clericis.

Canon nonus iterum de vitæ puritate in ordinandis requisita agit, in hunc modum: *Si quis in Presbyterum sine examine ordinatus fuit, aut si in examine peccata, ante commissa confessus est, & post confessionem nihilominus contra Canones ei manus imposuerunt, non eum recipimus*; Nam Ecclesia Catholica requirit, ut ordinandus sit irreprehensibilis; id est, Regulæ a S. Paulo traditæ insistit. Ad illa usque tempora, & multo posteriora crimen commissum pro irregularitate habebatur, nempe quicunque crimen commiserat post Baptismum, ad ordines non admittebatur, quantumvis rigidam egisset

1. *Timo.* 3. 2.

vide distinct. 50. c. 55. &c.

Sæculum IV. A. C. 325.

set pœnitentiam, quia delicti commissi memoria ejus famæ semper officit, & est suspicioni locus, illos, qui semel lapsi sunt, ad crimen proniores esse, quam eos, quorum vita semper fuit integra. Canone decimo hæc regula illis particulariter applicatur, qui tempore persecutionis in Idololatriam ceciderant, & dicitur: *Qui in Persecutione lapsi, deinde ex ignorantia ordinantium promoti sunt, aut etiam cum ordinantium scientia, canonibus non præjudicant, nam ubi de rei veritate compertum fuerit, deponuntur.* Canon decimus septimus etiam de moribus Clericorum agit, & usuram prohibet, his verbis: *Quia multi Clerici avaritiæ, & lucro sordido intenti divinæ Scripturæ obliviscuntur, dicentis: Pecuniam suam non dedit ad usuram; sed ultra decimam partem centenarii a debitoribus usuram accipiunt, Sanctum, & magnum Concilium jubet, ut si post hæc aliquis inveniatur, qui ex mutuo usuras accipiat, aut contractum usurario similem ineat, qui mediam partem, ultra sortem exigat, aut quibuscunque malis artibus sibi vile lucellum comparet, deponatur, & Clericatu dejiciatur.* Cum usuræ legibus Romanis essent permissæ, magni moliminis res erat, eas velle abolere, hinc Ecclesia dum primo

Psalm. 14. 5.

usuras

Sæculum IV. A. C. 325.

usuras in Clericis damnavit, in Laicis non approbavit.

Canon decimus octavus Diaconum respicit, ubi dicitur: *Ad Magnum Concilium relatum est, quod in quibusdam locis Diaconi Eucharistiam præbeant Presbyteris. At vero nec per leges, nec per consuetudinem licitum est, ut ii qui offerendi potestatem non habent, corpus JEsu Christi porrigant illis, qui offerunt. Rursus relatum est, quosdam Diaconos Eucharistiam sumere ante ipsos Episcopos. Ejusmodi abusus omnes tollantur. Diaconi in suis se cancellis contineant, sciantque, se Episcoporum ministros esse, & Presbyteris inferiores. Eucharistiam in suo ordine post Presbyteros de manu Episcopi, aut Presbyteri accipiant. Diaconis non liceat considere inter Presbyteros, quod Canonibus, & ordini adversatur. Si quis huic canoni obedire detrectet, ordine Diaconatus amoveatur.* Diaconi primitus instituti fuerant, ut servirent ad mensam, id est, præcipue ad mensam sacram. Ipsos panem, & vinum omnibus assistentibus Fidelibus distribuisse, S. Justinus testatum facit. Exinde solam communionem calicis præbebant, postquam Episcopus, aut Presbyter officiator speciem panis distribuisset, namque tunc temporis ut plurimum unicum Sacrificium pro toto

Act. 6.

Justin. ap. 2. *in fine.*

toto Clero, & populo celebrabatur; (*) cœterum administratio oblationum, & omnium temporalium, ad Ecclesias pertinentium Diaconis demandata erat, ex eorum manibus pauperes suas eleemosinas, & Clerici suas pensiones, & retributiones accipiebant. Porro hoc dispensandi munus Diaconis honorem, & auctoritatem supra Presbyteros, nullius lucri cupidos, conferre videbatur. Jam antea Concilium Arelatense, reprimendis Diaconorum conatibus intentum, prohibuerat, ne ea, quæ Presbyteris competunt, sibi arrogarent.

Sæculum IV. A. C. 325.

Conc. Arel. can. 18.

§. XIX.

Ordinatio, & Jurisdictio Episcoporum.

Canon quartus in ordinatione Episcoporum servanda statuit, & dicitur: *Ad Episcopi institutionem, quantum fieri potest, omnes illius Provinciæ Episcopi præsentes adsint; si hoc propter urgentem neces-*

(*) Hier hat der Uebersetzer: *Speciem Panis*, nur das Brod genennet, und: *Unicum Sacrificium*, das Hochamt. Ey! hätte er alte Schuhe geflicket, würde er es vor der ehrlichen Welt besser haben verantworten können, als daß er den Fleury so häßlich verstümmelt.

Sæculum IV. A. C. 325.

necessitatem, aut locorum distantiam dif-cile sit, saltem tres conveniant, qui suf-fragio, & consensu absentium per Epi-stolas expresso, neo-electum ordinent. Metropolitani autem, cujusque Provinciæ erit, quod factum fuerit, confirmare. Hic videmus, jam tunc introductam Provinciarum divisionem, & nomen Metropolitani illi Episcopo datum, qui in urbe Provinciæ principali sedebat, hanc Graeci vocabant Metropolim, ac si diceret urbem Matricem; porro hæ Provinciæ secundum Romani Imperii divisionem erant distributæ. Idem jam statuerat Concilium Arelatense contra quosdam Episcopos, nullis convocatis confratribus auctoritatem alios Episcopos ordinandi sibi præsumentes. Huic canoni propinquus est canon decimus quintus, qui translationes prohibet his verbis: *Ob magnos tumultus, & seditiones, quæ exstiterunt, statutum est, consuetudinem in quibusdam locis contra jura inductam penitus abolere, & præcipere, ne imposterum Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ex una urbe in aliam transferatur. Si quis post S. Concilii definitionem aliquid simile præsumpserit, aut, ut fiat, consenserit, factum irritabitur, & translatus ad Ecclesiam, in qua Episcopus, vel Presbyter ordinatus est, remittetur.* Eusebii exemplum, Beryto Nicomediam translat

Conc. Arel. I. c. 20.

lati, huic condendo canoni occasionem dederit. Sed Eusebius non erat solus, quippe iste abusus in consuetudinem paulatim vertebatur. Cœterum notatu dignum est, canonem hunc etiam de Presbyteris, & Diaconis loqui, quibus non minus ac Episcopis stabilitas præcipitur. Canon decimus sextus hanc legem ad omnes Clericos extendit, dicitque: *Qui ausu temerario, contempto Dei timore, contra Canones ab Ecclesia, cujus Presbyteri, Diaconi, aut cujuscunque ordinis Clerici sunt, discesserint, in alia Ecclesia nullatenus suscipiantur, sed ad suas Diœceses redire cogantur, necesse est, aut si remanserint, excommunicentur.* Si quis ab alio Episcopo dependentem ausus fuerit seducere, & in sua Ecclesia absque proprii Episcopi, a quo fugit, consensu ordinare, ordinatio effectu careat. Sæculum IV. A. C. 325.

§. XX.

Majorum Cathedrarum Privilegia.

Canone sexto jurisdictionis limites præcipue ad ordinandos Episcopos ponuntur, ut sequitur: *Antiquæ consuetudines, quæ in Ægypto, Lybia, & Pentapoli vigent, observentur, ita ut Episcopus Alexandrinus in omnes has Provincias auctoritate polleat, cum Episcopus Romanus eadem gaudeat Prærogativa;* Concilium Nicænum.

Sæculum IV. A. C. 325.

tiva; Antiochiæ quoque, & in alii Provinciis unicuique Ecclesiæ salva sint sua privilegia. Generatim omnibus no tum sit, si quis Episcopus constituatur si ne Metropolitani consensu, a Sancto Con cilio declarari, talem non esse Episcopum si autem Electio fuerit rationi, & Cano nibus conformis, quamvis duo, tres v privata pertinacia se opponant, majori numero vota prævaleant. In ultima hujus Canonis parte, illa, quæ in quart de Metropolitani auctoritate in electio nibus dicta sunt, confirmantur, in prim vero, quæ est majoris momenti, altiori in Hierarchia gradus, quam sit Metropoli tani deprehenditur, nempe jurisdictio in plures Provincias certis quibusdam E piscopis attributa, qui exinde Patriar chæ, seu Primates dicti sunt, sicut Me tropolitani, abhinc Archi-Episcopi, hæc enim nomina necdum usus invexerat.

Igitur videmus, ea jam tempestate primarum mundi Cathedrarum Episco pis Romano, Alexandrino, & Antioche no in Provincias vicinas jurisdictionem fuisse, & aliis Ecclesiis sua quoque jura; Tres Episcopi exinde Exarchæ dicti sunt, nimirum Episcopus Ephesinus, Asiæ, pro prie dictæ, Metropolitanus, Episcopus Cæsarienſis in Cappadocia, & Heracle ensis in Thracia. Archi-Episcopo quo que Carthaginensi non modica in omnes

Conc. 1. *Const.c.*2.

Afri-

Africæ Provincias erat auctoritas. Hæc jura clarius in decursu historiæ appare- bunt; nemo autem credat, ea tunc primum exorta, quando eorum monumenta, quæ habemus, scripta sunt. Rufinus, Concilio Nicæno coævus, potestatem explicat, in isto Canone Papæ tributam, dum dicitur, sub ejus cura fuisse Ecclesias suburbicarias, quo certus tractus Provinciarum, Romæ specialiter subjectarum, significatur; quidquid vero sub hoc obscuro vocabulo intellectum fuerit, non aliter Romanum Episcopum respicit, quam ut Patriarcham in Occidente, salvo jure, quo Ecclesiæ universalis caput est, superioribus sæculis irrefragabiliter stabilito. (*) Cæterum Meletianorum molimina contra Episcopi Alexandrini jurisdictionem huic Canoni

Sæculum IV. A. C. 325. *Ruf. l. 1. c. 6.*

(*) His Fleurii verbis Anonymus II. & P. Balduinus refelluntur. At Fleurius SS. Pontificem verbis dicit esse Caput Ecclesiæ, & revera jura Capiti Ecclesiæ competentia detrahit. Parcius ista. Fleurius dicit Summi Pontificis esse Conciliis œcumenicis præsidere, primarum Cathedrarum Episcopos deponere, omnes causas majores judicare, & omnia alia concedit, quæ Capiti Ecclesiæ conveniunt. Si autem Fleurius singulis opinionibus, quas P. Balduinus Discipulis suis tradidit, non subscripsit, ideo factum fuerit, quod ad id non obligaretur.

Sæculum IV. A. C. 325.

edendo anſam dediſſe non levis conj
ctura eſt.

Septimus Canon Eccleſiam Jeroſoly
mitanam reſpicit in hunc modum: Cu
*more, & traditione antiqua Epiſcopus Æ
liæ ſingulariter fuerit honoratus, iſto h
nore etiam impoſterum coletur, illæſa t
men Metropolitani Dignitate.* Jeroſoly
ma a Tito deſtructa, ab Hadriano repa
rata, nomen Æliæ, ut diximus, ſortita erat
urbs novella, ignobilis, & Cæſareæ Pa
læſtinæ Metropoli ſuæ ſubjecta; apud
Chriſtianos tamen antiqui ſplendoris, &
Myſteriorum ibi conſummatorum memo
ria deleri non potuit, & illius præcipua
prærogativæ, quod Regnum JEſu Chriſti
ſpirituale, ibi exortum, per univerſam
terram fuerit dilatatum. Quomodo E
piſcopus Jeroſolymitanus præ aliis hono
ratus fuerit, non ſatis liquet, niſi quod
Epiſcopos ſuæ Provinciæ ordine præce
ſerit; legimus quippe Concilia Palæſti
næ acta, ubi Epiſcopus Jeroſolymitanus
cum Cæſarienſi præſidebat, ipſo Euſebio
Cæſarienſi id litteris conſignante, qui ſe
riem quoque Epiſcoporum Jeroſolymita
norum, ſicut & aliarum Cathedrarum
Apoſtolicarum ſuis in libris poſteritati
notam fecit.

Canones Concilii Nicæni.

v. hiſt. c. 12. c. 23. l. 1. c. 8.

Quintus Canon iterum jurisdictio
nem Epiſcoporum reſpicit, & ſic ſonat:
Sententia excommunicationis, ſive in Cle-

ricos

Sæculum IV. A. C. 325.

ricos, sive in Laicos lata, ab omnibus cujusque Provinciæ Episcopis observetur, secundum Canonem, quo ejecti a suo Episcopo ab alio suscipi prohibentur. Prius tamen ipsa excommunicatio examini subjiciatur, an non forte Episcopus levitate animi, iracundia, aut pravo affectu impulsus quosquam excommunicaverit; utque ordinate omnia pensentur, visum est, duo Concilia in omnibus Provinciis singulis annis agenda esse, ubi Episcopi communi opera de istiusmodi quæstionibus deliberent, & ab omnibus legitime excommunicati declarentur, qui suum Episcopum offenderint, donec toti Concilio aliquid de lato judicio remittere placuerit. Ad hæc Concilia convenient primo ante quadragesimam, ut, sopita omni contentione, Deo Sacrificium purum offeratur; secundo ad tempus autumnale. Huic canoni causam dedisse videtur, quod Eusebius Nicomediensis, aliique suæ factionis excommunicationem a S. Alexandro contra Arium latam contempserint, de qua injuria in suis Epistolis conqueritur. Antiquus Canon in isto citatus in Epistola S. Alexandri ad Episcopum Byzantinum Apostolicus nominatur, atque in Concilio Arelatensi fuerat confirmatus. Hic videmus frequentem celebrationem Conciliorum Provincialium præceptam, quæ tempore

sup. L. X. §. 31.

Sæculum IV. A. C. 325.

persecutionis cogi non potuerant, at quamprimum Ecclesia in libertatem asserta est, necessariam consuetudinem inducere voluit, cum Concilia Provincialia essent illa tribunalia, ubi omnes gravioris momenti causæ Ecclesiasticæ judicandæ. Videmus etiam de quadragesima mentionem fieri, jam tum per universam Ecclesiam observata, ad eum ferme modum, quo hodie fit. Vocabulum Græcum *Tessaracoste* quadraginta dierum tempus significat, sicut latinum, quadragesima, quia plerique quadraginta diebus jejunabant, quamvis in quibusdam Ecclesiis diversus usus observaretur; in quadragesima autem Episcopis, instructione populi, præsertim Catechumenorum, & pœnitentium occupatis, Concilia agere non vacabat.

Socr. L. V. c. 2. p. 234.

§. XXI.

Canones Pœnitentiales.

Post decimum Canonem, quo Ordinationes Apostatarum damnantur, undecimus ad Laicos extenditur, ubi dicunt: *Qui a nemine coacti apostatarunt, absque bonorum jactura, aut similis mali periculo, sicut sub Licinii Tyrannide contigit, visum est Concilio cum illis clementer agere, quamvis indigni sint; ergo, qui sincere dolebunt, tribus annis, licet*

Fide-

Fideles, inter Auditores erunt ; annis septem inter proſtratos, & duobus annis in orationibus cum populo absque oblatione participabunt. Eosdem hic invenimus pœnitentiæ gradus, quos jam in aliis Canonibus adſtructos vidimus. Primus erat gradus, ut pœnitentes aliquot annis ante Eccleſiæ januam inter flentes conſiſterent, a quo tamen Concilium Apoſtatas liberat, cum hujus nullam faciat mentionem. Hic Canon undecimus ſolummodo Fideles tangit, hinc alius pro Catechumenis numero decimo quarto ponitur, hujus tenoris: *Circa Catechumenos lapſos magnum Concilium ſtatuit, ut tribus annis Auditores ſint, deinde cum Catechumenis orent, id eſt competentibus ;* duo quippe erant gradus Catechumenorum, primo Auditores, qui auſcultando inſtructiones, quaſi a longe ad recipiendam fidem præparabantur, & ſecundo, qui Baptiſmum poſtulabant, dicebanturque competentes, quia plures in eadem poſtulatione concurrebant; hi ad preces, quæ Sacrificium præcedebant, admittebantur.

Sæculum IV. A.C. 325.

Sup. L. VI. §. 57.

Canon duodecimus alium Apoſtaſiæ modum reſpicit, & ſic ſtatuit: *Illi, qui per gratiam vocati, in primo converſionis fervore ſuis ſe officiis abdicarunt, & deinde ad vomitum redierunt, ut canes, ita ut datis muneribus, & pecunia priſtina*

Sæculum IV. A. C. 325.

v. l. XVIII. §. 34.

Canones Pœnitentiales.

c. 3.

stina officia repetierint, postquam tribus annis auditores fuerint, tribus annis erunt prostrati; sollicite autem considerandum, quo pœnitentes sint animo, & quanto fervore; quos pius timor agit, qui in lacrymis, patientia, & bonis operibus exspectant, & signa conversionis dant non specie externa, sed ipso effectu, tales, completo auditorum tempore, in precibus communicare poterunt, & libertas sit Episcopo amplius indulgendi. Quibus vero pœnitentia adeo cordi non est, & conversionem in exteriori reditu ad Ecclesiam putant consistere, integrum pœnitentiæ tempus durabunt. Præsens Canon non sic accipiendus, ac si belli, aut Curiæ officia damnaret, cum econtra Concilium Arelatense illos reprehendat, qui in Ecclesiæ pace officia sua dimittebant; sed de illis intelligi potest, qui, officiis dimissis, ut securos se a persecutoribus præstarent, durante adhuc persecutione in eadem denuo restitui petierant, & sic de novo in Idololatriam labendi periculo se exposuerant. Notandum in hoc Canone, facultatem indulgendi Episcopo datam.

Canone decimo tertio dicitur: *Quantum pertinet ad moribundos Lex antiqua, & Canonica semper observetur, ita, ut, si quis sit in mortis periculo, ultimo Viatico tam necessario non privetur.* Si quis

quis in periculo Communionem acceperit, & convaleſcat, inter illos, qui tantum in precibus participant, erunt. Univerſaliter omnibus morientibus, participationem Evchariſtiæ petentibus, Epiſcopus, præmiſſo examine tamen, concedet. Hic videmus Viaticum nihil aliud eſſe, quam Communionem, & Evchariſtiam. Videmus ejus antiquitatem, & neceſſitatem. Sæculum IV. A. C. 325.

§. XXII.

Canones de Novatianis, & Paulianiſtis.

Duo Concilii Nicæni Canones inveniuntur, qui de quibusdam hæreticis diſponunt. Octavus de Novatianis agit his verbis: *Qui Puritanos ſe dicunt, ſi ad Eccleſiam redeant, Magnum Concilium judicat, ut accepta manuum impoſitione in Clericatu remaneant; dummodo ante omnia ſcripto declarent, ſe Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Decreta approbaturos, & ſecuturos, ſcilicet cum bigamis communicaturos, ac cum iis, quibus, in Perſecutione lapſis, pœnitentiæ tempus præfixum. Igitur in illis locis, ubi alii Clerici non ſunt, ſive in urbibus, ſive in pagis, ordinem, quem habent, ſervent; at ſi aliqui Puritanorum ad locum deveniant, ubi ſit Epiſcopus, aut Presbyter Catholicus, abſque controverſia Catholico dignitas*

Sæculum IV. A. C. 325.

gnitas Episcopalis competit, &, qui nomen Episcopi apud sic dictos Puritanos habebat, in ordine Presbyterorum stabit, nisi forte Episcopus Catholicus ei nomen Episcopi benigne concedat; alias dabit ei locum Corepiscopi, aut Presbyteri, ut & ipse inter Clericos non nudum Nomen, sed functiones habeat, & in una urbe duo Episcopi non sint.

Sup. L. VI. §. 53. Novatiani, qui se græce *Catharoi*, id est, puros dicebant, pœnitentiam, ab Ecclesia Apostatis concedi solitam, & secundas nuptias damnabant. Manuum impositio intelligenda videtur, sicut respectu Meletianorum, nempe talis, qualis hæreticis concedebatur, cum Ecclesiæ reconciliarentur, non vero tanquam nova ordinatio. Notari meretur, pacis, & unitatis amore clericali honore non privari eos, quos hæretici ordinaverant; ultima autem verba maxime attendenda, dum magni momenti regulam ponunt, in una urbe duos Episcopos nunquam esse debere. Imperator, spe, & desiderio ardens omnes Ecclesias uniendi, quemdam Episcopum Novatianum, nomine Acesium, ad Concilium vocaverat; postquam fidei Decretum fuisset conscriptum, & omnes Patres sua signassent manu, Imperator Acesium interrogat, an in fidei confessionem, & Decretum de Paschate consentiat? Ipse respondit: *Domine! Conci-*

Socr. c. 10.
Sozom. 1. *c.* 22.

Concilium nihil novi ſtatuit, hæc enim accepi, hæc a principio, & a temporibus Apoſtolorum tam de fidei dogmate, quam de celebratione Paſchatis tradita ſunt. Quare ergo, repoſuit Imperator: *ab aliorum communione te ſeparas?* Aceſius cœpit ea narrare, quæ ſub perſecutione Decii contigerant, & explicare illius Canonis ſeveritatem, quo, ut Novatiani quidem volebant, a participatione SS. Myſteriorum arcebantur, eorum criminum rei, quæ in S. Scriptura morte digna pronuntiantur; hos quidem ad pœnitentiam excitandos, ſed ſine ſpe veniæ per Miniſterium Presbyterorum obtinendæ; ſolius Dei Bonitati confidant, omnia peccata remittere potentis. Cum ita fuiſſet locutus, dixit Imperator: *Aceſi: ſume tibi ſcalam, & ſolus in Cœlum aſcende.*

Sæculum IV. A. C. 325.

1. Joan. 5. 16

Alter Canon Concilii Nicæni de quibusdam hæreticis eſt numero decimus octavus, hujus tenoris: *Paulianiſtæ, qui ad ſinum Matris Eccleſiæ Catholicæ redeunt, ſicut deciſum eſt, neceſſario rebaptizantur. Si qui antea Clerici fuerunt, & irreprehenſibiles inveniantur, ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ ordinentur, ſi autem in examine apparuerit, indignos eſſe, deponantur. Eadem Regula pro Diaconiſſis eſto, & univerſaliter pro omnibus illis, qui Clericis accenſentur; hic ſermo eſt*

Canones Concilii Nicæni.

Sæculum IV. A. C. 325.

est de Diaconissis, quæ habitum gestant, sed quæ nullam manuum impositionem acceperint, simpliciter Laicis annumerantur. Paulianistæ erant Pauli Samosateni Sectatores, qui JEsum Christum purum esse hominem credebant, nec in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizabant; hinc Concilium jubet eos rebaptizari, non autem Novatianos, nec in fide Trinitatis, nec in forma Baptismi errantes. In calce Concilii Ephesini invenimus Confessionem fidei contra Paulum Samosatenum, quæ Concilio Nicæno attribuitur, & ubi sæpius, Filium esse consubstantialem Patri, repetitur; aliunde vero tam sollicite Mysterium incarnationis explicatur, & distinctio duarum naturarum in una Persona unitarum, ut hæc definitio magis alicui Concilio, in Sæculo quinto celebrato, convenire videatur.

Innoc. I. Ep. 22. c. 5.

Conc. Ephes. part. 3. c. 5. p. 979.

Conc. Calced. can. 15.

Diaconissis manus imponebantur, habitum sibi proprium gestabant, & inter Personas Deo consecratas numerabantur. At Diaconissas Paulianistarum Concilium in censum Laicorum refert, quia solum habitum portabant, sine manuum impositione; cœterum Diaconissæ omnia fœminis exhibebant officia, quæ Diaconi viris, nempe quantum earum conditio permittebat; maxime ipsis incumbebat pauperes fœminas invisere, & Catechumenas

Const. ap. L. 15. c. II. 57. III.

menas instruere; portas ipsæ obsidebant ex illa Ecclesiæ parte, qua mulieres stabant, a viris separatæ; ad ipsum Baptismum in deponendis, & resumendis vestibus mulieres adjuvabant, ut omnia decenter fierent. Sæculum IV. A. C. 325. *Epiph. expos.*

Ultimus Canon de simplici cæremonia agit his verbis: *Quia sunt, qui die Dominica tempore Paschali genua flectunt, ut omnia in omnibus Diœcesibus uniformiter fiant, S. Concilium jussit, ut his diebus Christiani stantes ad Deum orent.* Ex his videtur, quam sollicite Patres etiam minoris momenti traditiones retinuerint, si fuerint antiquæ, hujus autem jam Tertullianus meminerat. Hi sunt viginti Concilii Nicæni Canones. Tanta hujus Concilii fuit reverentia, ut ejus Nomine multi Canones, quos non condidit, fuerint acceptati. Christiani Orientales novissimi temporis totam antiquam Ecclesiæ Disciplinam eidem adscripserunt, estque illud, quod Canones Arabicos Concilii Nicæni vocant. *Tertull. de Cor. c. 3.*

§. XXIII.

Epistola Synodalis.

Patres, antequam separarentur, Epistolam Synodalem scripserunt, præcipue ad Ecclesiam Alexandrinam directam, utpote quam omnia in Concilio acta maxime

Sæculum IV. A. C. 325.

xime respiciebant; dirigitur quoque ad omnes Fideles Ægypti, Pentapolis, Lybiæ, & omnes Ecclesias, quæ sub cœlo sunt. Exordio Episcopi se Dei Gratia, & Constantini Imperatoris ex diversis Provinciis collectos esse agnoscunt. Tum subjungunt: *Ante omnia Arii, & Sectatorum ejus impietas Imperatore præsente examini subjecta est, atque una voce omnes statuerunt, ipsum, Doctrinam ipsius impiam, verba & cogitationes anathematizare; blasphemabat enim in Filium Dei, dicens; esse ex nihilo productum, non fuisse, antequam generaretur, & fuisse tempus, quo non extiterit. Suo libero arbitrio vitii capacem esse, aut virtutis, denique esse creaturam. S. Concilium hæc omnia anathematizavit, cum vel tantum pronuntiari haud patienter tulisset. Quid ipso Ario factum, aut jam scitis, aut satis audietis; nolumus videri insultare homini, dignam suo crimine pœnam ferenti.* Hoc de Arii exilio intelligendum, quo eum Imperator statim mulctavit, non enim nisi post aliquot abhinc annos mortuus est. Tum in Epistola Synodali hæc sequuntur: *Impietatis ejus venenum Theonam quoque ex Marmarica, & Secundum ex urbe Ptolemaide infecit, quos eadem pœna se-*

Sup. §. 15. *cuta est.* Deinde, quæ de Meletianis acta fuerant, enarrant, sicut superius relatum est,

est, reliqua Episcopo Alexandro com- Sæculum IV.
mittentes, cujus participatione, & au- A. C. 325.
ctoritate omnia facta. Tum etiam Decretum de Paschate referunt, & addunt: *Igitur gaudium sit omnibus vobis, quod Pax, & unio in Ecclesia restituta, & cunctæ hæreses extirpatæ; summo honore, & charitate Alexandrum Collegam nostrum, Episcopum vestrum recipite, cujus præsentia omnes lætati sumus, qui tam provecta ætate tot labores suscepit, ut vobis pacem procuraret.* Ultimo se precibus eorum commendant.

§. XXIV.

Epistola Imperatoris pro Decretorum Observatione.

Imperator Constantinus simul duas scripsit Epistolas, ut Decreta Concilii publicaret, & absentibus nota faceret. Prima ad omnes Ecclesias dirigitur, & multis explicat, quæ paucis damus; Quæstionem fidei fuisse examinatam, & ita discussam, ut nulla difficultas, nullum dubium supereresse possit. Unanimiter statutum, Pascha ubique eadem die celebrandum, ne aliquid Christianis in hac cæremonia cum Judæis commune esset. Omnes, ut debitam Concilii statutis obedientiam præstent, exhortatur, adjectis verbis notatu dignis: *Quæcunque in Sa-*

Ap. Eus. III. vit. c. 17. Theod. I. c. 10. Socr. I. c. 9. Ibid. c. 18. c. 19. c. 20.

Sæculum IV. A. C. 325.

cris Episcoporum Conciliis decernuntur, tanquam divina voluntate profecta, accipienda. Hujus Epistolæ exemplum ad omnes Provincias missa. Epistola alteri particulariter ad Alexandrinam Ecclesiam data est, ubi postquam de unione in fide disseruit, ait: *Ut hanc unionem procurarem, ex voluntate Dei plerosque Episcoporum Nicæam convocavi, quibuscum ego ipse, sicut unus ex vobis, investigandæ veritati incubui; quippe eidem vobiscum Domino servire unica sunt meæ deliciæ. Omnia igitur accurate pensata, quæ divisioni occasionem præbere posse videbantur, & vero, parcat nobis Deus! quam horribiles blasphemias proferre ausi sunt in Salvatorem nostrum, spem, & vitam nostram! Opinionem propugnantes divinis Scripturis, & sanctæ nostræ fidei contrariam! plusquam trecenti Episcopi piissimi, sapientissimi in eadem fide conveniunt, quæ Lege divina præcipitur. Solus Arius Doctrinam hanc impiam primo inter vos, & deinde alibi opera Dæmonis disseminasse convictus est. Ergo fidem, quam nos Deus omnipotens docuit, recipiamus, redeamus ad fratres nostros, a quibus nos impudens Diaboli minister avulserat; nam quod a trecentis Episcopis statutum, ipsius unigeniti Filii Dei voluntas est, & imperium;*

Socr. l. c. 9. p. 15.

Socr. l. c. 9. p. 27.

Spiri-

Spiritus Sanctus magnorum virorum, quibus veritatem inspiravit, ministerio, quæ nobis credenda essent, declaravit. Nemo ergo dubitet! nemo differat! sed omnes bona fide, & corde perfecto in viam veritatis revertimini! Ita Decreta Concilii Fidelibus proponebantur, tanquam divina Oracula, quæ in dubium revocare nefas; non est dubitandi causa, quin hæ Epistolæ Imperatoris dictantibus Episcopis fuerint scriptæ, aut saltem juxta eorum instructiones concinnatæ. Sæculum IV. A. C. 325.

Aliam Epistolam, seu potius Edictum, dedit, quo Arium, & scripta ejus in hunc modum damnat: *Constantinus, Victor, Magnus, Augustus Episcopis, populisque. Cum Arius impios imitatus sit, impiorum infamia, & ignominia oppleatur. Porphyrius, quod scripta impia in Religionem ediderit, factus est posteritatis probrum, & scripta ejus suppressa; ita volo, Arium, & Sectatores ejus Porphyrianos appellari, ut eorum infamia notentur, quorum impietatem imitati sunt. Si quæ scripta ab Ario inveniantur, flammis tradantur, ne ullum hujus probri superstit monumentum. Notum facio omnibus, si quis scripta Arii abscondisse convincatur, eaque non tradiderit, aut combusserit, quamprimum deprehensus fuerit, proterviam capite luiturum.* Imperatoris Epistola.

Sæculum IV. A. C. 325.

rum. Hic videmus Imperatoris auctoritatem adhiberi, quo facilius Concilii Decreta executioni mandentur. Ideo Porphyrianorum nomen Arianis impositum fuisse creditur, quod & ipsi Idololatriam reducere niterentur; nam, cum Filium, quem Deum genitum vocabant, ipsis esset creatura, præter Creatorem utique creaturam adorabant, hoc solo ab Idololatris aliis distincti, quod non pluribus, sed uni tantum creaturæ cultum, soli Deo debitum, exhiberent. His Constantinus Arium, & duos Episcopos, ei contumaciter adhærentes, Secundum, & Theonam in exilium expulit.

Athan. IV. in Ar. p. 468. 469.

Socr. l. c. 9. p. 31. & ibi Valef. Gelaf. Cyzi. L. III. c. 1.

Sed adhuc alia jussu Constantini in Arium, & Sectatores ejus publicata est Epistola, atque in omnibus civitatibus prælecta, quæ hodiedum extat. Longissima est, stilo Oratoris, seu verius Declamatoris, quem iracundiæ æstus absstulit; eratque hic modus illis jam temporibus, cum artium liberalium occasus immineret, non infrequens. Auctor contra Arium disputat, conviciis onerat, irridet, speciem viri, vestitumque, ad severitatem, & modestiam, compositum, facere ridiculum satagit. Quoddam Sybillæ Erythrææ vaticinium, de ipso dictum, jocatur. Id maxime notari meretur, quod in hoc Edicto Arii Sectatoribus in pœnam imponatur, ut præter censum,

censum, ab omnibus viritim dari soli- Sæculum IV.
tum, etiam decuplum pendere teneantur. A. C. 325.
Exemplum, quod hujus Edicti habemus, duobus officialibus Syncletio, & Gaudentio ferentibus, in Ægyptum pervenit, Paterio tunc temporis Præfecto, atque in Palatio omnibus prælectum.

§. XXV.

Conclusio Concilii.

Concilii finis in illud tempus incidit, quo initium anni vigesimi Imperii Constantini agebatur, id est, in vigesimam quintam Augusti anno 325. Ipse quidem anniversarius erat vigesima quinta Julii, hac enim Imperium auspicatus fuerat anno 306; at hæc solemnitas, quæ magno splendore toto Imperio celebrabatur, commodius ad conclusionem Concilii dilata fuisse creditur. In illa lætitia publica Eusebius Cæsariensis Panegyrin in laudes Imperatoris, ipso præsente, in medio Episcoporum cœtu peroravit; Episcopos vero omnes, antequam discederent, Constantinus ad lautissimum convivium invitavit. Omnes ergo in Cæsaris Palatium convenere; eratque tam novum, quam jucundum spectaculum, Christianorum Episcopos per milites Prætorianos, nudis ensibus aditum custodien-

Euf. III. vit. c. 15. Sozom. l. c. ult. Sup. l. IX. §. 23. Pagi. a. 235. n. 3. Euf. vit. c. 1. ibid. c. 15. Theod. l. c. 11.

Sæculum IV. A. C. 325.

tes, ſecure tranſire. In intima concla-
via ingreſſi, accumbunt alii cum Imper-
tore, alii in lectulis ex utroque late-
diſpoſitis. Regnum JEſu Chriſti viden-
ſe credebant, timebantque interdum, ne
ſuavi ſomnio luderentur. Sublatis men-
ſis, Imperator eorum ſingulos ſalutans,
munera, prout cujusque Dignitati con-
veniebat, liberalitate vere Cæſarea diſtri-
buit. Tandem, abituros ad pacem, &
concordiam hortatus, utque alter alteri
obſequioſe concederent, valedixit, & ſui
memoriam in eorum ad Deum precibus
petiit. Ita finitum eſt Concilium Nicæ-
num, cujus memoriam Græci, & Orien-
tales hodieque inter feſta Sanctorum
agunt. Imperator hoc vigeſimo Impe-
rii ſui anniverſario magnis largitionibus
urbium, & agrorum populos recreavit;
Epiſcopis epiſtolas dedit, Provinciarum
Rectoribus reddendas, quibus pecuniam
annuatim Virginibus, Viduis, Clericis
erogandam, liberalitate eorum indigen-
tia majori, at Cæſariæ Munificentiæ pa-
ri conſtituebat; hæc beneficia usque ad
Juliani Apoſtatæ tempora durarunt, quia
univerſa abſtulit.

Euſ. III. vit. c. 16
ibid. c. 21.
Euſ. III. vit. c. 22.
Theod. I. c. 11.

Epiſcoporum præcipuis Decreta Con-
cilii in ſuas Provincias deferre commis-
ſum, & ubique promulgare; Horum ſe-
ries, quam habemus, talis eſt; Oſius per

Pres-

Presbyteros Vitonem, & Vincentium Synodi Decreta misit Romam, in Italiam, Hispaniam, & ad omnes alias nationes usque ad Oceanum, nempe Galliam, Germaniam, & Britanniam. Alexander Alexandrinus cum Athanasio suo Archi-Diacono misit ea in universam Ægyptum, Lybiam, Pentapolim, vicinasque Provincias. Macarius Jerosolymitanus, & Eusebius Cæsariensis in Palæstinam, Arabiam, & Phœnicen. Eustatius Antiochenus in Celesyriam, Mesopotamiam, & Ciliciam. Joannes, Episcopus ex Persia, in omnem Persiam, & magnas Indias. Leontius Cæsariensis in Cappadociam, Galatiam, Pontum, Paphlagoniam, majorem, & minorem Armeniam. Theonas Cyzicenus in Asiam, Hellespontum, Lydiam, & Cariam per manus Episcoporum, quos sibi habebat subjectos, Eutychii Smirnensis, & Marini Troadensis dimisit. Nunechius Laodicenus in primam, & secundam Phrygiam. Alexander Thessalonicensis per illos, qui sibi suberant, in primam, & secundam Macedoniam, in Græciam quoque, Thessaliam, Achaiam, Illyricum, & utramque Scythiam. Alexander Byzantinus tunc Presbyter postea Episcopus cum Paulo Lectore, Notario suo hæc in omnes Insulas Cyclades misit. Protogenes Sardicensis in

Sæculum IV. A. C. 325.

Gelas. l. 12. c. 35.

Sæculum IV. A. C. 325.

Daciam, Dardaniam, & vicinas Regiones. Pistus Marcianopolitanus in Mœsiam, & ad nationes propinquas. Cæcilianus Carthaginensis in omnes Provincias Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ. Hanc enumerationem non inutilem judicamus, ut Ecclesiarum subordinatio & Geographia Ecclesiastica memoriæ imprimatur.

§. XXVI.

Epistola Eusebii Cæsariensis.

Theod. de decret. pag. 15. & de Syn. p. 882.

Eusebius Cæsariensis privatam epistolam scripsit ad suam Ecclesiam, ubi, quod Sectatorum suorum causam prodidisset, a quibusdam fuisse incusatum, verosimile est. In hac epistola, quæ in Concilio circa fidem acta fuissent, fama ad eos delatum, non dubitat; ut autem plenius essent instructi, mittit formulam a se propositam, & deinde formulam Concilii. In sua profitetur; JEsum Christum esse Verbum Dei, Deum de Deo, Lumen de Lumine, vitam de vita, Filium unicum. Primogenitum ex omni creatura, ex Patre genitum ante omnia sæcula. (*)

Dicit-

(*) Der Deutsche Uebersetzer hat: *ante omnia Sæcula*, gegeben: Vor aller Ewigkeit. Das ist ungeschickt genug.

Sæculum IV
A. C. 325.

Dicitque: *Hoc ab Episcopis, Prædecessoribus nostris, accepimus, hoc didicimus in fidei Rudimentis, & quando Baptismum suscepimus, hoc habemus ex SS. Scripturarum lectione, hoc credidimus, & docuimus in Presbyteratu, & in Episcopatu.* In fine adjicit: *Testamur, nos ita credere, semper credidisse, & usque ad mortem in hac fide perseveraturos, omnem hæresin anathematizantes. Protestamur coram Deo omnipotente, & Domino nostro JEsu Christo hanc fuisse sententiam cordis, & animæ nostræ, ex quo usum rationis habemus, adhuc ita sentire, & in veritate affirmare; quod tempore præterito ita crediderimus, certis argumentis possumus demonstrare.*

Subjungit; postquam ipse hanc formulam in medium attulisset, neminem potuisse contradicere, Imperatorem, hanc sibi esse fidem, fassum fuisse, &, ut omnes subscriberent, præcepisse, unico addito vocabulo *Consubstantialis. Imperator*, inquit: *ipse hanc vocem explicavit, dicens; non debere intelligi consubstantialem modo materiali per divisionem, aut abscissionem, sed modo Divino, Mystico, & Naturæ Spirituali congruo.* Tum Concilii Symbolum refert, & ait: *denuo petii, ut mihi explicaretur, quomodo dicerent, Filium esse de substantia Patris, &*

Sæculum IV. A. C. 325.

Athan. ad Afric. pag. 397.

Consubstantialem, & tandem pacis caus hoc vocabulum posse admitti existimav cum viderem, illud in sensu bono accip & ab omni Idea corporali remoto, atqu præterea hanc vocem ab aliquibus antiqu Episcopis, eruditis, & illustribus Script ribus fuisse usurpatam. Hic præcipu S. Dionysium Alexandrinum denotat. E prosequitur; omnes in formulam fidei Concilii post maturum examen consensisse, sicut etiam in Anathema ad calcem appositum, quod prohiberet voces adhiberi, in Scriptura non occurrentes, quæ tamen litis & totius tumultus causa fuissent. In hunc modum Eusebius Cæsarienſis ea, quæ in Concilio egerat, excusabat.

§. XXVII.

Exilium Eusebii Nicomediensis.

Sozom. II. c. 21.

At brevi apparuit subscriptionibus Eusebii Nicomediensis, & Theognis Nicæni sinceritatem defuisse, quas corrupto custode, cui Imperator acta Concilii servanda dederat, iterum deleviſſe feruntur, ausosque publice docere, Filium consubstantialem esse Patri credere non oportere. Narrant etiam, cum apud Imperatorem fuisset accusatus, audacter, digito in vestem, qua tegebatur, intento, respon-

Sæculum IV. A. C 325.

ſpondiſſe: *ſi in mea præſentia hoc pallium ſcinderetur, nunquam induci poſſem, ut dicerem, duas partes ejusdem eſſe ſubſtantiæ.* Iſtud exploratum, quosdam Arianos, qui adhucdum turbabant, Alexandria juſſu Imperatoris advenientes, Euſebium, & Theognin excepiſſe, in tuto collocaſſe, & cum eis communicaſſe. Coacto igitur Concilio ab Epiſcopatu depoſiti ſunt, aliique in eorum locum ſubrogati, nempe Nicomediæ Amphion, & Nicææ Chreſtus. Euſebium, & Theognin iratus Imperator in Galliis exulare juſſit tribus poſt Concilium Nicænum menſibus. Illi tribus annis ibi hæſerunt.

ep. ad Hie. ap. Theod. l. c. 20. Synod. ad apol. p. 727. C. V. Socr. l. c. 14. Philoſtorg. l. 1. c. ult.

Simul his Conſtantinus ad Eccleſiam Nicomedienſem perlongam epiſtolam ſcripſit, cujus pars prima eſt Diſcurſus Theologicus de Divinitate Verbi ſatis obſcurus, pars ultima eſt oratio in Euſebium vehementer invectiva; Euſebium incuſat, quod omnium conſcius fuiſſet, quæ Tyrannus, id eſt, Licinius, crudeliter egiſſet, dum ejus juſſu Chriſtiani diriſſime vexati, & Epiſcopi trucidati. *Ipſe*, proſequitur Imperator: *turbidis temporibus emiſit in me exploratores, & tantum non arma publice pro Tyranno geſſit; hujus perfidiæ ex teſtimoniis Presbyterorum, & Diaconorum ipſum ſequentium, quos cepi, certiſſima argumenta teneo.*

Gelaſ. l. III. c. 2. Theod. l. c. 20.

Sæculum IV. A. C. 325.

neo. Et inferius: *in Concilio autem Nicæno quam præfervide, & impudenter contra propriam conscientiam errorem, ab omnibus damnatum, ipse defendit? jam quosdam ad me mittens nuntios, qui me in ejus sententiam flecterent, jam timens, ne tanti criminis convictus, dignitate exueretur. Fefellit, & turpiter me decepit, quæcunque voluit malis artibus effecit. Quæ vero nuperrime cum socio suo Theogni deliquerit, audite! ab Alexandria quosdam fidei nostræ Desertores, discordiæ facem præferentes, adduci jusseram, hos præclari isti Episcopi, quos Concilium, ut pœnitentiæ tempus esset, servaverat, receperunt, tutati sunt, & cum iis communicarunt. Hinc homines ingratos in remotissimas terras exulatum misi.* Tum populos, ad quos scribit exhortatur; in vera fide constantes sint, Episcopos fideles, puros, & sinceros, nempe Amphionem, & Chrestum recipiant; illos vero, qui ad seductores illos respicere, & laudare ausi fuerint, minis coercet. Scripsit quoque Imperator ad Theodotum Laodicenum, leniter admonens, ut alieno periculo, & exemplo sapere discat, & pessimas in Doctrina fidei Ideas, quas ex conversatione cum Eusebio, & Theogni concipere potuit, extinguat.

Gelas. l. II. c. 3.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sæculum IV. A. C. 325.

Quid S. Alexander cum Meletio egerit.

Sanctus Alexander Alexandrinus, ubi in Ægyptum rediit, cum ipsi callidissimum Meletii ingenium esset perbene cognitum, petiit abipso, ut mitteret scriptum indicem omnium Episcoporum, quos sibi in Ægypto subesse diceret, atque Presbyterorum, & Diaconorum, si quos Alexandriæ, vel in suburbanis huc pertinentibus, sorte haberet; quod eo consilio exigebat, ne Meletius, libertate, sibi a Concilio concessa, abutens, Institutiones venderet, aut fraudulenter, quotiescunque liberet, falsas substitueret. Meletius Episcoporum numero viginti novem, quorum ipse primus erat, indicem petitum tradidit, qui ultimus inter eos erat positus Joannes Memphites, jussu Imperatoris apud Archiepiscopum esse tenebatur, verosimiliter ideo, ut facilius observari posset. Clerici Alexandrini erant Presbyteri quatuor, & Diaconi quinque. Nomen Archiepiscopi, hic Episcopo Alexandrino datum, notari meretur. Meletius, dum Catalogum Alexandro tradidit, omnes quoque nominatos præsentes produxit; reddidit etiam Ecclesias, in quas sibi jurisdictionem usurpaverat, & Lycopoli exinde manens, haud multo post tem-

Athan. ap. p. 788.

Sozom. 2. c. 21.

Sæculum IV. A. C. 325.

tempore diem clausit, postquam mort proximus, quod ne faceret Concilium Nicænum prohibuerat, Discipulorum suorum unum, nomine Joannem, fort eundem Joannem Memphitem, sibi Suc cessorem nominavit. Itaque renovatum est Schisma, & Meletiani conventus se paratos agere continuarunt; fuere tamen, qui bona fide ad unitatem Ecclesiæ redierunt. Schismatici autem Legationem ad Imperatorem miserunt, ut de Alexandro quererentur; Legatorum Principes erant Paphnucius Anachoreta, cujus Mater fidem confessa fuerat, Joannes totius factionis Dux, & Callinicus Episcopus Pelusinus. Recepti sunt ab Imperatore honore Episcopis congruo; at datis litteris mandata renovavit, ut Decreta Concilii observarentur, hortatusque est ad concordiam.

Epiph. hær. 68. n. 5. Athan. apol. 764.

Eus. III. vit. c. 23.

§. XXIX.

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus.

Pagi ann. 226. n. 3. Theodor. c. 26.

Sanctus Alexander Alexandrinus quinto mense, ex quo a Concilio domum redierat, mortem oppetiit die lunæ vigesima secunda mensis Ægyptii Bermouda, id est, decima septima Aprilis anno 326. Athanasium suum sibi Successorem designavit, quod inspiratione Divina feciss credi-

creditus est; namque, in extremis constitutus, eum nomine suo compellavit; Athanasius prævidens, quod futurum erat, auffugiens, se occultaverat; alius, ejusdem cum Athanasio nominis, morituro præsens, respondit, at S. Alexander tacuit, innuens, non istum se compellasse; rursus Athanasium vocavit, sæpius hoc nomen repetens; qui hoc nomine præsens erat, tacebat, & omnes cognoverunt, de quo S. Episcopus loqueretur, qui Spiritu Prophetico addidit: Athanasi! fugiendo evasurum te speras, sed frustra. Quod prædixit, factum est, quippe, Alexandro defuncto, Episcopis Provinciæ, & toto populo Catholico collectis, multitudo exclamavit, Athanasium Episcopum postulans, virum virtute præstantem, pium, verum Christianum, vitam asceticam ducentem! Hunc sibi publice a JEsu Christo deposcebant, obtestantes Episcopos, ut eum ordinarent; imo aliquot dierum spatio ex Ecclesia pedem non eferentes, nec Episcopos exire patiebantur. Igitur ordinatus est Episcopus Alexandrinus in totius civitatis, & totius Provinciæ conspectu. Nihilominus exinde Ariani dicere non erubuerunt, a sex, vel septem Episcopis clanculo fuisse ordinatum. S. Athanasii ordinatio demum 27. Dec. hujus anni 326. contigit, diu enim latuit, atque tempus requirebatur,

Sæculum IV. A. C. 326.

Synodica ap. Athan. 2. Apol. p. 726.

Pagi ann. 326. n. 3.

Sæculum IV. A. C. 326.

tur, ut Episcopi ex omnibus Provinciis Sede Alexandrina dependentibus, convenirent. Hanc Sedem quadraginta ser annis integris tenuit, si enim ætatem ejus spectes, necdum tantæ Dignitatis fastigio maturus videri poterat.

§. XXX.

S. Gregorius Nazianzenus Pater.

Sup. §. 4. Greg. Naz. orat. 19. p. 289.

Diximus superius a Leontio Episcopo Cæsareæ in Cappadocia, cum ad Concilium Nicænum proficisceretur, Gregorium, exinde Episcopum Nazianzenum, Theologi Patrem, veram fidem fuisse edoctum. Gregorius profitebatur sectam Hypsistariorum, ita dictorum, quod Deum altissimum adorarent, græce *Hypsistos;* præterea vero ignem, & faces colebant, atque sabbatum, distinctionem carnium comedendarum cum Judæis observabant. Gregorius moribus vivebat optimis, justitiæ amans, castitatem conjugii cum uxore sua Nonna, raræ virtutis Christiana muliere, servans, cujus maxime pietas ad convertendum maritum occasioni fuit. Cum igitur suscipiendæ fidei desiderio teneretur, id ipsum Episcopis ad magnum Concilium per locum ejus domicilii migrantibus, præsertim autem S. Leontio Cæsariensi manifestum fecit. Cum eum docerent, incogitantes

tantes jusserunt genua flectere, quamvis catechumeni stantes instrui solerent, quod, casu factum, in futuri ejus Episcopatus omen traxerunt, quia jam tunc Episcopus ordinandus genua flectebat. Non multo abhinc tempore baptizatus, & balneo sacro egrediens, tam insolita, & visibili luce circumdatus est, ut Episcopus Nazianzenus, qui ipsum baptizabat, exclamaret, hunc aliquando suum fore successorem. Sæculum IV. C. A. 326. *ibid. p.* 294.

Dictum eventus probavit; elapsis quibusdam annis, satis examinatus Gregorius ad Episcopatum ejusdem urbis evectus est. Id factum creditur circa annum 328. Tunc forte annos natus quinquaginta, tamen & alios ultra quadraginta quinque supervixit, ita ut centenario non multum minor obierit. Quamvis tarde ad studium SS. Scripturæ se impenderit, modico tamen tempore, ita profecit, & gregem suum informavit, ut ab erroribus Arianorum, per Orientem omnia turbantium, immunes præstiterit, morumque feritatem populi sui temperaverit; hactenus quippe urbs Nazianzum parva, ignobilis fuerat, in Cappadocia Cæsareæ vicina. *ibid. p.* 296.

Ex Gregorii, & Nonnæ connubio tres liberi suscepti sunt, duo filii, Gregorius, & Cæsarius, & filia una, nomine Gorgonia, quam natu maximam fuisse credunt.

Sæculum IV. A. C. 326. Gregorius precum maternarum fructus fuit, quibus Deum instantissime deprecabatur, ut sibi prolem masculam concederet, quem etiam, ubi lucem aspexerat, statim Deo obtulit, manusque ejus Sacris libris admovendo eorum contactu consecravit; ab infantia libros sacros cœpit legere, animumque exhibuit virtutis apprime studiosum. In puerilibus annis adhuc agentem somnium Mysticum ad virtutum amorem excitavit; conspicere sibi videbatur puellas duas, ætate pares, in paucis venustas, vestitu candido splendentes, sed sine cultu quæsito; utramque vivam modestiæ effigiem credebat. Hæ puerum, tanquam Filium oculis, & blanditiis mulcebant. Ipse tenerrimo gaudii sensu abreptus, quænam essent, & quo nomine interrogare? respondit una: *ego vocor castitas*, & altera: *ego temperantia; ante Thronum JEsu Christi stamus, permixtæ choris cœlestibus, junge te nobis, fili mi! usque ad lucem immortalis Trinitatis te evehemus.* Hæc elocutæ in cœlum avolarunt, & ipse oculis eas secutus, evigilavit. Ex tunc, amore Virginitatis correptus, nuptiis renunciavit. Talia fuere juvenis Gregorii initia.

Carm. 1. *p.* 39.

Carm. 4. *p.* 71.

§. XXXI.

§. XXXI.

Sæculum IV.
A. C. 326.

Leges Conſtantini.

Non nullas leges a Conſtantino latas invenimus in cauſis Eccleſiaſticis, datas anno 326. ipſo ſeptimo, & filio ejus Conſtantino primo Conſulibus. Earum prima directa eſt ad Ablavium prima die Junii, eosque, qui ad præſtationes publicas in urbibus tenentur, Clericalis ordinis obtentu eximi prohibet; nullum Clericum ordinandum, niſi ut in alterius defuncti locum ſuccedat, tales non eligendos, qui ſublimiore loco nati, aut pinguiori fortuna beati ad portanda onera civilia obligantur, quia, inquit lex: divites oportet pendere Sæculi exactiones, pauperes autem Eccleſiarum bonis nutriri. Clericorum numerus erat determinatus, quia nullæ fiebant ordinationes vagæ; ſinguli certæ Eccleſiæ erant addicti; a communibus oneribus exempti, ſed ne exemptionis occaſione abuſus naſceretur, lege cavebatur. *Lib. 6. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler. lib. 16.*

Duæ aliæ leges ad hæreticos pertinent; una data eſt prima Septembris, jubetque, privilegia, in favorem Religionis conceſſa, ſolis Catholicis proſint, non vero hæreticis, vel ſchismaticis, quos aliis magis gravari oporteret. Lege ultima Novatianis quieta poſſeſſio domuum ſuarum, Eccleſiæ, & Cœmeterii conſervabatur, *Lib. 1. Cod. Theod. de hær. lib. 16.* *Lib. 2. ibid.*

Sæculum IV. A. C. 326.

tur, quæ legitimo titulo acquisierant aliunde, quam ex iis, quæ ante eorum separationem Ecclesiæ Catholicæ fuerant propria. Minus invidiosum erat Novatianorum, quam aliorum illius temporis hæreticorum schisma, atque Imperator Acesium eorum Episcopum propter morum probitatem magni faciebat.

Sozom. l. c. 23.

§. XXXII.

S. Helena S. Crucem invenit.

Sup. l. III. §. 25. Euf. III. vit. c. 26. 27. &c. Ruf. 1. hist. c. 7.

Inter Cæsareæ liberalitatis monumenta, quibus condendis annus Imperii ejus vigesimus occasioni fuit, magnificæ Ecclesiarum structuræ, præsertim in Terra Sancta, sunt accensendæ. Gentiles, ut memoriam Resurrectionis JEsu Christi delerent, specum S. Sepulchri repleverant, & multam superinjectam terram pavimento lapideo straverant, cui templum Veneris superstruxerunt, ubi consueta huic Deæ sacrificia offerebantur, hæc omnia eo consilio, ut si Christiani JEsum Christum adoraturi venirent, Veneri cultum exhibere viderentur. Constantinus mandata dedit, ut ibi Ecclesia singulari magnificentia ædificaretur; scripsitque Episcopo Macario epistolam, qua velle se dicit, ut hæc structura non reliquas Ecclesias solum, sed etiam omnia urbium ædificia operis elegantia superaret. *Jussa dedi,*

dedi, subjungit Constantinus: *ut Dracilianus, Præfectorum Prætorii Vicarius, & Provinciæ Rector, ad nutum tuum necessarios operarios educendis muris adhibeat. Quale marmoris, & columnarum genus magis convenire judicaveris, mihi perscribas velim, & procurabo illuc deduci. Gratum quoque facies, si rescripseris, an expediat, ut Ecclesiæ fornix laquearibus, aut alio opere ornetur, si laquearia sint, hæc auro obduci oportebit.* Sæculum IV. A. C. 326.

Quod faciendum jusserat filius, mater exequi in se suscepit; Helena tunc agebat annum ferme octogesimum, a pluribus jam annis pietatis, & charitatis operibus unice intenta. Imperator ejus filius matrem ad veræ Religionis cognitionem perduxit, quam antea ignorabat, titulo Augustæ decoravit, ejusque effigiem in nummis aureis exprimi voluit. Ipsa thesauros suos liberalissime in eleemosinas impendebat, assidue Ecclesias frequentans, & variis ornamentis ditans; oratoria quoque urbis minora infra ejus curam non erant. Sæpius in conventibus Ecclesiæ, populo circumfuso media, vestitu simplici, & modesto Augusta conspiciebatur. *Theod.* 1. c. 18. *Euſ. III. vit. c.* 47. *ibid. c.* 45.

Quamvis ætate gravis profectionem ad Loca Sancta instituit, eaque sumptibus, & liberalitate filii ornavit, erectis pulcherrimis ædificiis. Per Orientis Pro- *ibid. c.* 42. Inventio S. Crucis. *ibid. c.* 44.

Sæculum IV. A. C. 326.

vincias transiens, in milites, integras communitates, homines privatos ad se confugientes, largissimas opes effundebat, his pecunias, his vestes dabat, alios carceribus, alios fodinis addictos liberabat, exules revocabat in patriam. Cum Jerosolymam perveniisset, prima cura fuit jubere, ut templum Idolumque Veneris, quo S. Crucis, & Resurrectionis locus profanabatur, dejiceretur; auffertur terra injecta, profundius foditur, S. Sepulchrum invenitur, & non procul tres crux ces terræ mandatæ. Cum, quænam ex iis Salvatoris nostri esset, nesciretur, S. Macarius detexit, sequenti industria usus; cruces ad quandam fæminam nobilem a multo tempore languentem, & ad extrema deductam deferri jussit, quælibet earum inter preces moribundæ admota, cum vero tertiam attigisset, illico convaluit. Cum cruce inventus est quoque titulus, separatus, & clavi, quos cum notabili parte Crucis S. Helena ad filium transmisit, partem alteram Jerosolymæ relictam, & thecæ argenteæ insertam, Episcopo in posteritatis solatium custodiendam commisit. Hæc sæculo sequenti semel in anno ad solemnitatem paschalem, id est, in Parasceve, ostendebatur; Episcopus, cum primus eam adorasset, populo etiam adorandam exponebat; unde haud dubie pia hæc cæremonia

Theod. 1. c. 18. *Ruf.* c. 7. 8. *Socr.* 1. c. 17. *Sozom.* II. c. 1. *Ambros. de ob. Theod.* n. 42. &c. *Cyrill. Hieros. Epist. ad Const. Imp.*

Paulin. ep. II. *ad Sever.*

nia in omnes alias Ecclesias transiit. Sæculum IV.
Nunquam vera crux Jerosolymæ, exce- A. C. 326.
pta ista die, publice patebat, nisi forte peregrinis crucis videndæ causa advenientibus Episcopus hanc gratiam faceret. Clavos repertos Constantinus partim cassidi, qua tegebatur, partim lupato, quo equum regebat, jussit infigi, ut sibi in acie præsidio essent. (*)

(*) Hier ist eine Anmerkung des Protestantischen Uebersetzers auf seiner 400. Seite im 2ten Theile. Er sagt: Die Erzählung von der Erfindung des Creutzes durch die Helena ist nicht ohne Zeugen im Alterthum. Er nennet auch drey davon, den Rufinus, den Cyrillus von Jerusalem, und den Ambrosius in einer Rede an Theodosium. Nichts destoweniger setzet er hinzu: Aber die Aussage lautet gar verschieden, und machet dieselbe verdächtig. Warum? Eusebius saget nichts davon. Das Stillschweigen eines Arianers ist bey ihm mächtiger, als das Zeugniß dreyer Römischkatholischen Scribenten. So müßte auch die Auferstehung Christi verdächtig seyn, weil Josephus Judæus nichts davon meldet.

Der Uebersetzer haltet diese Erzählung für eine Frucht solcher Zeiten: da der Aberglaube schon auf dem Thron gesessen, welches vom vierten Jahrhundert nicht behauptet werden kann. So weit ist gewiß *Constantinus*, saget er ferner: nie verfallen, daß er geglaubet haben sollte, daß er und sein Pferd schußfrey werden könnten, wenn dieses Nägel vom Creutz Christi

sti

Sæculum IV. A. C. 326.

Interim ipsius Imperio, & suæ matris curis Ecclesia S. Sepulchri exsurgebat, sex annorum opus. Circa templum civitas pone antiquam, sed non in eodem loco.

Euſ. III. c. 33.

---

sti in seinem Stangenzaum führete. So sind insgemein die Beschuldigungen unsers Uebersetzers mit welchen er wider die Lehre, oder die Gebräuche der Römischen Kirche angezogen kömmt, beschaffen; zum Grund leget er eine Lüge. Wer saget, daß Constantinus habe geglaubet, er und sein Pferd könnten dadurch schußfrey werden? was für ein Katholick glaubet heut zu Tage, daß ihm unfehlbar kein Unglück begegnen könne, wenn er schon vor der Gefahr einen Creutz-Partickel, oder andere heilige Reliquien verehret?

Ferner saget der Uebersetzer, die Reisen nach Jerusalem, und zum Heil. Grabe hätten in einen Aberglauben ausgeartet. Der H. Hieronymus hätte es dem H. Paulinus als eine Thorheit verwiesen, und Gregorius Nissenus hätte eine eigene Rede wider diejenigen gehalten, die nach Jerusalem Wahlfahrten gethan. Es ist nicht gleich bey einem jeden Menschen zu billigen, wenn er auch aus Andacht nach Jerusalem reisen will; und wenn auch daraus bey einigen Leichtgläubigen Aberglaube entstanden wäre, so folgte dennoch nicht, daß die Sache selbst nicht löblich sey. Er setzet noch hinzu: Die Wunderwerke, und sonderlich dieses, daß am Tage der Auferstehung Christi ein Feuer vom Himmel herab falle, dadurch alle in dem über dem Grabe Christi erbauten Tem-

loco, educebatur, quæ nova Jerosolyma, a Prophetis prædicta, videri poterat. Haud procul in vertice montis olivarum aliud Imperatoris jussu templum ædificatum in honorem, & memoriam Ascen- Sæculum IV. A. C. 326. *ibid. c.* 41. *c.* 43.

Tempel befindliche Lampen angezündet würden, wären die Lockspeise gewesen, und daß diese Erfindung abergläubigen Menschen durch die veranstallteten Creutzzüge Ströme Blutes gekostet hätte. Hier beschuldiget er ganz Europa, welches meiner Vertheidigung nicht nöthig hat. Dieser Mensch wäre einer Nachsicht würdig, wenn er die Lehre der Römischen Kirche, die er bestreiten will, vorher richtig vortragte. Man lehret in der Römischen Kirche, daß es vernünftig, löblich, GOtt-gefällig, und dem Menschen nützlich sey, das Heil. Creutz verehren, und weiter nichts. Wird auch bisweilen das Wort: adorare, oder: *Adoratio* gebrauchet, so wird solches keinesweges auf das Creutz, sondern auf JEsum Christum gedeutet. Wenn auf dieses Bekenntniß unser Uebersetzer fortfähret zu schreyen: Aberglaube! Abgötterey! so muß er ein Dummkopf, oder ein Heuchler seyn. Noch einige Worte aus dieser Anmerkung verdienen angezogen zu werden: er saget: So gut es die Helena mag gemeynet haben, da sie diesen Ort reinigen lassen, und die Ehre des Erlösers retten wollen; so wenig haben ihre Nacheiferer Beyfall gefunden. Es meynet also dieser Protestant, die Heil. Helena hätte besser gethan, wenn sie das Heil. Creutz Christi hätte liegen lassen, wo es gelegen ist.

Sæculum IV. A. C. 326.

sionis JEsu Christi, iterumque aliud in Bethlehem, ut specus nativitate ejus consecrata in honore esset. Hæc ædificia donis pretiosis decorata erant, vasis aureis, & argenteis, velisque diversi coloris, æternis monumentis, quanta pietate Constantinus, & Mater ejus Religionem coluerint. Ipsa aliquanto adhuc tempore in Palæstina morata, præter alia summæ Religionis signa honorem maximum Virginibus Deo dicatis habuit, quibus in unum convocatis, & in mattis accumbere jussis, ipsa ad mensam Regias manibus ministravit, urceum tenens, & aquam manibus earum lavandis in subjectam pelvim superinfundens, ipsa quoque cibos inferre, pocula vino implere, & bibentibus porrigere. Tandem piissima Princeps, ubi Romam rediit, ibi mense Augusto, hujus anni 326. in Imperatoris filii, & Cæsarum nepotum suorum amplexu diem obiit, cui Imperator pompa Regia parentavit. Ecclesia 18. Aug. ejus memoriam agit. Constantinus, a mense Julio jam Romæ præsens, annum Imperii sui vigesimum magnifice celebravit, mansitque ibi tribus mensibus; sed cum ob zelum extirpandæ Idololatriæ Senatui, populoque factus esset invisus, Roma discedens, nunquam exinde illuc rediit.

Ruf. 1. *c.* 8. *Theod.* 1. *c.* 18.

Theoph. an. Pag. h. n. 9.

Gothofr. Chron. Cod. Theod.

§. XXXIII.

Sæculum IV.
A. C. 326.

§. XXXIII.

Constantinus extirpandæ Idololatriæ intentus.

Magnus profecto in Constantino erat Idololatriæ extirpandæ ardor; multorum templorum in urbibus portas, multorum etiam tecta aufferri jussit, ut collaberentur, ex aliis statuas ære fusas a multis Sæculis celeberrimas, & populorum Religione venerabiles, quas in foris publicis omnium oculis exposuit. Quod autem ad Idola aurea, & argentea attinet, alio usus est consilio; quosdam Palatii sui officiales Christianos, & expertæ fidei secreto in Provincias misit, qui Idola pretiosissima, nec iis exceptis, quæ de Cælo allata ferebantur, sine violentia, & strepitu ex arcanissimis adytis protracta, a Sacrificulis sibi extradi exigerent; privati sibi, & toti familiæ metuentes Imperatoris voluntati non audebant resistere, Sacerdotes, & Idolorum custodes, cum se a populis desertos cernerent, ne quidem hiscere; interim Imperatoris ministri, acceptis his, quæ aurea erant, vel argentea, atque ideo fusilia, vilia, & inutilia Idololatris relinquebant. Singulari cura ad quædam templa maxime invidiosa destruenda Constantinus incubuit. In uno montis Libani cacumine prope fluvium

Euf. II. vit. c. 54. Sozom. II. c. 5.

Euf. ibid. c. 15. Socr. I. c. 18. Sozom. ibid.

Sæculum IV. A. C. 326.

fluvium Adonin templum ſtabat Veneris, ab omni hominum frequentia remotum. Quadam die arcana carminum vi ignis ſtellæ ſimilis a ſummo montis apice delapſus in fluvium præcipitari, hæcque eſſe Venus Urania, ſeu cæleſtis dicebatur. Re vero ipſa iſtud templum nefandæ Veneris ſchola erat, in qua viri effæminati, & perditiſſimæ mulieres ſub Religionis pallio omnis generis abominanda perpetrabant, atque hæc impune, cum nemo vir gravis propius locum auderet accedere. Hoc templum Conſtantino jubente, & militum opera funditus everſum, atque ita mundatus eſt locus.

Ibid. c. 56.

Ægis in Cilicia Æſculapii templum celebrabatur; ſæpe dormientibus apparere Deus ferebatur, & a variis morborum generibus languidos curare; Deum iſtum Salvatorem populi laudabant, & qui inter Gentiles ſapientes dicebantur, ejus prodigia prædicabant. Hoc quoque templum Conſtantinus a ſuis militibus ita dirui juſſit, ut ne veſtigia quidem viſerentur. In Ægypto Pagani Nili exundationem, quæ Regioni ubertatem tribuit, Dei ſui Serapis beneficium eſſe credebant, quia columna illa, qua exurgentium undarum altitudinem metiebantur, in Idoli hujus templo aſſervabatur; hæc, cum Conſtantini juſſu in Eccleſiam Alexandrinam fuiſſet translata, dicebant,

Socr. I. c. 18. c. 57.

jam

jam Serapi ad iracundiam provocato, non amplius ripam supergressuras fluminis undas, nec terræ fertilitatem illaturas; sed anno sequenti, & cœteris omnibus fluvius, ut alias solebat, exundavit. Sæculum IV. A. C. 326.

In Cilicia Apollo Pythius oracula dabat, fama celebratissima, cujus templum Imperator solo æquari jussit; tum apertis plurimorum Paganorum oculis vanitatem suæ Religionis agnoscebant; multi ad Christiana sacra transibant, multi saltem nunc despiciebant, quæ prius fuerant admirati, videntes sub tanto rerum externarum apparatu latere nihil, nisi contemptibilia, quippe in portica Idolorum concavitate ossa mortuorum, aut calvariæ, quibus ad maleficia abutebantur, aut detritas lacinias, aut fœni, paleæve acervos invenire erat. In secretissimis Templorum angulis nec Deus ullus, qui oracula funderet, sicut plebis simplicitas credebat, nec Dæmon, aut saltem nocturnæ larvæ visebantur. Nulla caverna erat tam obscura, aut profunda, nulla adyta tam sancta, aut munita, quo non immissi a Constantino milites impune penetrarent. Ita Gentilitatis tenebræ, tot sæculis dominatæ dissipabantur.

Heliopoli Phœnices Pagani, Deæ Veneris cultores, uxores habebant communes, filiasque suas advenis transeuntibus, quasi

c. 58. *Socr. l. c. 18.*

Sæculum IV. A. C. 326.

quasi hospitalitatis jure prostituebant. Hæc ultra fieri Constantinus vetuit, scripsitque ad eos Epistolam, qua ad morum conversionem, & veri Dei agnitionem exhortabatur. Ecclesiam quoque magnam ibi ædificari jussit, ubi nulla unquam steterat, constituit Episcopum, Presbyteros, & Diaconos, atque, ut eo facilius homines istos ad veram Religionem traduceret, bona plurima pauperibus distribuit.

§. XXXIV.

Ecclesia ad quercum Mambre.

Ibid. c. 52. v. Vales. Gen. 18. Sozom. II. c. 4.

EUtropia Syrissa Imperatricis Faustæ Mater scripsit ad Imperatorem Generum suum; prope quercum Mambre in Palæstina, ubi Abrahamus tres Angelos hospitio liberaliter exceperat, altare, & Idola fuisse erecta, ibique impia offerri Sacrificia. Locus iste alias etiam Terebinthus dicebatur propter antiquissimam arborem, & triginta milliariis aut decem leucis francicis distabat. Singulis annis in æstate notissima festa ibi agebantur, & nundinæ, plurimis ejusdem Regionis mercatoribus, atque ex interiori Palæstina, Phœnice, & Arabia confluentibus. Quisque hanc solemnitatem suæ Religionis ritu colebat; Judæi Patriarchæ sui memoriam honorabant; Christiani appari-

tionis

Sæculum IV. A. C. 326.

tionis Filii Dei reminiscebantur, plerique enim Orientalium credebant, ipsum Dei Filium cum duobus Angelis Abrahamo factum fuisse conspicuum. Gentiles Angelos colebant, atque Idola ideo ibi posita creduntur, ut eos Deorum, aut Dæmonum bonorum specie exhiberent. Hos invocantes, libationes vini, & thuris offerebant, alii bovem, caprum, vervecem, aut gallum immolabant. Unaquæque familia selectum pecus per annum delicatius pascebat, hujus festi convivio destinatum. Tanta erat loci reverentia, & divinæ ultionis timor, si profanassent, ut quidquam obscœni ibi committere non auderent, omne cum fœminis commercium sibi interdicebant, quamvis ibi liberius, & solito comptiores lascivorum oculis oberrarent, & sub tentoriis viri fœminis mixti degerent. Nulla in istis castris domus, nisi illa, quæ Abrahami fuisse dicebatur prope quercum, & puteum, ex quo festo durante nemo hauriebat, quia Gentiles injiciendo vinum, placentas, pecunias, odores tam liquidos, quam solidos aquam turbabant. Præterea lampades circa oram putei accensæ hausturos prohibuissent.

Cum Constantini Socrus in Palæstinam venisset, ut votum solveret, fœdas superstitiones ad quercum in Mambre conspicata, ad eum rescripsit; ipse ad S. Ma-

Euf. III. vit. c. 52. 53.

Sæculum IV. A. C. 326.

S. Macarium, aliosque Palæstinæ Episcopos litteras dedit, ubi postquam leniter eorum negligentiam increpavit, quod tantam profanationem tolerarent, adjungit, quod Comiti Acacio scripserit; absque mora illius loci Idola comburenda, evertendas aras, eosque, qui in hanc Legem contumaces, impia sacra peragere vellent, severissime puniendos. Dicit etiam, se mandata dedisse, ut in isto loco Ecclesia exstruatur. Tandem inculcat Episcopis, si quæ suis imperiis contraria fierent, ne tardent ad se perscribere, ut, quicunque fuerint rei, ultimo supplicio tollantur. Ut Imperator jusserat, magnificum surrexit in isto loco Ecclesiæ ædificium. Hæc autem illo tempore, quo S. Helena in S. terram profecta est, posteriora esse conjiciuntur.

§. XXXV.

Historia Comitis Josephi.

Epiph. hær. 30. n. 5.

In Palæstina Constantini jussu, & Comitis Josephi, origine Judæi, cujus conversio memoratu digna est, opera plures Ecclesiæ ædificatæ. Natus is erat Tiberiade, inter suos Apostoli dignitate spectabilis, hoc enim nomine suæ nationis primores Judæi appellabant, Patriarchæ sui qui totius nationis Princeps erat, Comites, & Senatores. Patriarcham tunc venera-

venerabantur Hillelum celeberrimi Gamalielis stirpe ortum; is cum ægrotaret, & mortem vicinam sentiret, rogavit Tiberiadis Episcopum, haud procul habitantem, ut ad se veniret, & sub specie Medici, remedium ægrotanti parantis, Baptismum conferret; adest Episcopus Medici habitu, & balneum tanquam huic morbi generi perutile parari jubet; Patriarcha tanquam honestati consulturus, omnes exire imperat; ita baptizatus, & sacris Mysteriis munitus est. Interim Josephus stans extra limen per rimas introspiciebat, videns omnia, quæ intus fiebant, & memori mente imprimens; observavit etiam, quod Patriarcha plurimum aurum manu tenens, Episcopo daret, dicens: *Offer ista pro me, & meo nomine, quia scriptum est, quidquid Sacerdotes Dei ligent, vel solvant super terram, ligatum, aut solutum esse in Cælo.* His factis aperiuntur portæ; amicis, qui ad visendum Patriarcham convenerant, interrogantibus, quomodo haberet post balneum? respondit, optime sibi esse, nempe longe alio, quam ipsi putabant, sensu. Post pauculos dies, quibus latens sub specie Medici Episcopus ad eum invisebat, piissime obiit, relinquens filium tenera ætate, sub Josephi, & alterius notæ probitatis viri tutela. Filius hic, nomine Judas patris morte erat Judæorum

Sæculum IV. A. C. 326.

Sæculum IV. A. C. 326.

Patriarcha, cum hæc dignitas de Patre in Filium jure succeſſionis tranſiret, & quia ipſe per ætatem non poterat, res omnes a tutoribus gerebantur.

Tiberiade quoddam conclave erat ſervando theſauro deſtinatum, & ſigillo ſignatum, quod ſuſpicionem movere poterat, magnas ibi divitias cuſtodiri; Joſephus illud ſecreto reſerare auſus, nihil niſi aliquot libros invenit, nempe Evangelium S. Joannis, & Acta Apoſtolorum, utraque ex Græco in Hebraicam linguam verſa, Evangelium quoque S. Matthæi Hebraicum, ſicut ſcripſerat; horum librorum lectio, eorumque, quæ in Baptiſmo Patriarchæ defuncti geſta erant, memoria quietam Joſephi mentem eſſe non ſinebant. Inter hæc juvenem Patriarcham Judam, dum adolevit, usque adeo luxuria depravavit, ut ad extorquendum mulierum amorem magicis carminibus uteretur. Hac etiam arte cum mulierem Chriſtianam adoriretur, illa Magiæ vim pronuntiato JESU Chriſti nomine, & crucis ſigno ſuperavit. Novum hoc JEſu Chriſti virtutis argumentum fortiter Joſephi animum impulit; necdum tamen, ut Chriſtianus eſſe vellet, evicit. Obſtinato Salvator in ſomno apparuit, dicens: *Ego ſum JEſus, quem Patres tui crucifixerunt, crede in me.* Ipſe necdum victas manus dedit, &

Joſephi Comitis Hiſtoria

& in gravem morbum incidit; jamque de ejus salute desperabant. Secundo Salvator eidem apparuit, monens, ut crederet, sicque futurum, ut sanaretur; ipse promisit quidem, sed promisso non stetit, induratus. Recidit in languorem pristinum, iterum periclitabatur, atque exspiraturus videbatur, tum senior aliquis Legis Doctor ei in aurem: *Crede in JEsum Christum sub Pontio Pilato crucifixum, Dei Filium, & deinde ex Maria natum, qui est Christus Dei, qui suscitatus est, & qui venturus est judicaturus vivos, & mortuos.* S. Epiphanius, qui hanc Historiam narrat, testatur, Judæos ejusmodi verba vita periclitantibus suggerere consueviſſe; ex alio etiam, qui adhuc Judæus erat, se audiviſſe, quod ei ad mortem decumbenti in aurem insusurratum fuerit: *JESUS Christus Dei Filius judicabit te.* Videntur Judæi hæc verba, tanquam arcanam vim ad sanandum ægrotum habentia, superstitiose usurpasse. Sæculum IV. A. C. 326.

Necdum fracta Josephi pervicacia, JEsus Christus denuo ei dormienti objectus, ajebat: *Ecce! restituo te sanitati, crede, postquam convalueris!* Sanatus est quidem, sed non credidit. Rursus ei, jam valenti, JEsus Christus per somnium conspicuus pervicaciam exprobravit, aitque: *Ut convincaris; si quod miraculum*

Sæculum IV. A C. 326.

meo nomine edere velis, concedo tibi hanc facultatem. Tiberiade homo quidam fatuus urbem sæpe nudus percurrebat; vestes enim, quotquot ipsi dabantur, lacerabat; Josephus ut potestatis sibi per visionem datæ experimentum caperet, dubitans tamen adhuc, & timidus hominem in domum suam adducit; tum, janua clausa, aqua, super quam Crucis signum formaverat, manu sua furentem asperſit, dicens: *In Nomine JEsu Christi Nazareni exi ab eo Dæmon! & sanetur homo iste!* ipse magno clamore edito in terram prosternitur, spumans, seque violenter in omnem partem jactans, tandem diu immotus jacuit; credidit Josephus hominem exspirasse, at elapsa forte hora surrexit, faciem fricans, vidensque suam nuditatem, se ipsum, ut poterat, manibus tegebat, pudorem ultra non ferens. Josephus dedit ei vestimenta, quæ illico induit, atque, rationis compos, Josepho, & Deo gratias agebat, quod se ejus opera sanatum agnosceret. Hoc prodigio per totam urbem divulgato, Judæi dicebant: *Josephus Thesaurum aperuit, Nomen Dei scriptum invenit, legitque, hinc magna miracula perpetrat.* Idem dicebant de JEsu Christo; ipsum virtute Nominis ineffabilis Dei, quod in templo inveniſſet, sua miracula edidisse. At necdum expugnatus est Josephi animus.

Josephus Comes.

Pa-

Sæculum IV. A. C. 326.

Patriarcha Judas, ubi ad virilem ætatem pervenit, Josepho in grati animi pignus dedit, aut confirmavit Apostoli munus, quod inter Judæos, utpote lucrosum, ambiebatur. Eum deinde misit datis Epistolis in Ciliciam, quo ubi advenisset, decimas, & primitias a Judæis illius Provinciæ exigebat; in quadam urbe casu factum, ut diversorium penes Christianorum Ecclesiam nanciscceretur, inita cum Episcopo amicitia, petiit ab eo secreto Evangelia, & legit. Porro pro suo Apostoli munere deposuit, aut transtulit aliquos minorum gentium Ministros, quales erant Archisynagogi, Presbyteri, Seniores, Azanitæ, ita eos nominabant, qui quasi Diaconorum officio fungebantur; hinc Josephus dum errores corrigere, & disciplinæ rigorem servare, multorum odium incurrit; ut vices referrent, curiose in ejus vitam intendere cœperunt, cumque semel improviso in ejus domum irrupissent, invenerunt Evangelia legentem; tum librum eripiunt, ipsum correptum, in pavimento raptant, percutiunt magno ejulatu, atque in Synagogam deductum flagris cædunt; Episcopus superveniens virum ex eorum manibus liberavit. Alio tempore iter facientem, cum ipsi occurrissent, in Cydnum amnem, qui Ciliciam alluit, dejiciunt, putantes aquis fuisse suffocatum.

Sæculum IV. A. C. 326.

tum. At ipse emersit, & paulo post baptizatus est. Exinde contulit se in Regiam, fuitque Constantino gratissimus, cui omnia, quæ sibi contigerant, narravit; Imperator, Comitis Dignitate ornato, libertatem fecit, ut quodcunque optaret, peteret; Josephus nihil optatius sibi accidere posse respondit, quam si ab Imperatore mandata acciperet, ut ejus auctoritate Ecclesias in urbibus, & oppidis Judæorum, in quibus hactenus exstrui non potuissent, excitare sibi liceret; ideo autem nulla inter eos in istis locis erat Christianorum Ecclesia, quia præter ipsos nemo nec Gentiles, Samaritani, aut Christiani habitabant; id vero præsertim Tiberiade, Diocæsareæ, Sephori, in urbibus quoque Nazareth, & Capharnaum sollicite observabant, ne quoscunque exteros ibi habitare paterentur.

Josephi Comitis gesta.

Josephus Comitis honore auctus, acceptis ab Imperatore litteris, Tiberiadem venit, quibus ei Provincia demandata erat, ex ærario Principis operas conducendi, ipsique pensio annua assignabatur. Primum ædificium excitare cœpit Tiberiade, ubi posita magni templi sed imperfecti fundamenta invenit, quod Adrianeum dicebatur, quia jussu Imperatoris Adriani cœptum, vero similiter ea mente, ut JEsu Christo consecraretur, quemadmodum, teste Lampridio, in omnibus civitati-

Lamp. in Alexand. p. 229. Sup. L. V. §. 48.

vitatibus talia exstrui mandaverat. In urbe Tiberiade illius templi pars ima ex quadratis quatuor cubitorum lapidibus jam aliquantum assurrexerat, civesque locum balneo publico adornando destinabant. Comes Josephus, opus aggressus, septem furnos coquendæ calci construi jussit; Judæi, ne ignis accendi posset, carminibus effecere, & operarii videntes, quod ligna parata, & minuta flammam non conciperent, rem ad Comitem deferunt. Ipse illico præsto fuit, amplissimum vas cupreum aqua impleri jubet, & coram multitudine Judæorum, hos enim, quid facturus esset, videndi cupido plurimos attraxerat, crucis signum digito super vas efformans, dixit: *In Nomine JEsu Nazareni, quem mei, & omnium circumstantium Patres crucifixerunt, ista aqua virtutem habeat incantationes veneficorum horum superandi, reddatque igni facultatem suam, ut ædificetur domus Domini!* Tum aquam, quantam manu poterat, accipiens unumquemque fornacem asperšit; evanuere præstigiæ, impetu erumpunt flammæ in conspectu omnis populi, exclamantis: Unus est Deus, qui Christianos adjuvat! his domum revertebantur. Cum autem Comes Josephus multis persecutionibus turbaretur, satis ei visum, modicam Ecclesiam in parte templi Adrianei struere;

Sæculum IV. A. C. 326.

Sæculum IV. A. C. 326.

tum Scythopoli sedem constantem fixit, Diocæsareæ tamen, aliisque in urbibus Ecclesias exstruxit, & perfecit. (*)

§. XXXVI.

(*) Eine Anmerkung; in welcher der deutsche Uebersetzer diese unschmackhafte Erzählung verwirfet, weil sie von dem Heil. Epiphanius herkömmt, welcher nach seiner Meynung eine schwache Ueberlegungskraft hatte; Schade! daß diese Kraft in unserem Uebersetzer die allerschwächeste ist; indem er in eben dieser kurzen Anmerkung sagen darf, der Gebrauch des Weyhwassers gehörte zu dieser Zeit noch unter die heydnischen Greuel. Das Weyhwasser ist so alt als die christliche Kirchengebräuche, so wohl als das Heil. Creutzzeichen, welches aus dem Tertullianus in seinem Buch de Corona schon im vorigen Jahrhundert erwiesen wird; so können diese Gebräuche im vierten Jahrhundert nicht unbekannt gewesen seyn. Wer wird läugnen, daß man das Heil. Taufwasser schon vor dem vierten Sæculo gesegnet habe. Er beschliesset mit einem Histörchen, also: Daher *Sozomenus* vom *Juliano* erzählet, daß er, als er in Gallien in einen heydnischen Tempel gegangen, von einem Priester *Gentilium more* mit Wasser besprenget worden. Wiewohl eine abergläubige Hand hier statt dieser Worte: *Gentilium more*, eingeschoben hat: *More Ecclesiastico*. Ey ja! von einer abergläubigen Hand; das hat er mit zweenen Lutherischen Fingern geschrieben.

Sæculum IV.
A. C. 326.

§. XXXVI.

Novæ Eccleſiæ Romæ &c.

Plures alias Eccleſias Conſtantinus erexit, urbium præcipuarum unicujusque Provinciæ ornamenta. Nicomediæ, Bythiniæ capite, & multis annis Imperatorum Sede ſuis ſumptibus magnitudine, & opulentia clariſſimam excitavit. Antiochiæ totius Orientis Principe aliam forma pulcherrimam condidit, altitudine murorum ſingulari, figuræ octogonum, ornamentis tam pretioſis, ut vulgo Eccleſia aurea diceretur; ipſum Eccleſiæ corpus multis aulis, & oratoriis, tam editioribus, quam ſubterraneis circumdabatur, ſeptis omnia late cingentibus. Romæ inter ædificia alia Baſilicam, ſemper abhinc a ſuo nomine dictam Conſtantinianam, excitavit, alio nomine Eccleſiam Salvatoris in Imperatoris Fauſtæ uxoris ejus Palatio, quod antea domus Laterana dicebatur, ubi Concilium contra Donatiſtas actum fuerat; quia vero

Euſ. III. c. 50.

Sup. l. X. §. 12.

ſchrieben. Wenn auch die Heyden die Gewohnheit gehabt, die Leute mit Waſſer zu beſprengen, warum ſoll es bey den Chriſten ein Greuel ſeyn? ſo dörfte man dem wahren GOtt nicht opfern, weil auch die Heyden den falſchen Göttern geopfert haben.

Sæculum IV. A. C. 326.

vero etiam Baptisterium ibi condidit, quæ S. Joannis Baptistæ imaginibus ornari consueverant, frequentius Ecclesia S. Joannis Baptistæ in Laterano nuncupabatur. Hæc est Ecclesia inter Romanas Principalis, ubi solemnium dierum statio adnotata est, & per plura sæcula Romanorum Pontificum Sedes.

Anast. Biblioth. in Sylvestro.

Ex veteribus Romanæ Ecclesiæ documentis dispicitur, Constantinum huic Baptisterio tot domos, & prœdia non tantum in Italia, sed etiam in Sicilia, Africa, & Græcia, donasse, ut exinde proventus annui ad tredecies mille, novies centum, & triginta quatuor asses aureos computarentur, quod ferme centum, & quindecim millia librarum annuæ pensionis conficit, as enim aureus illius temporis octo libras, & quinque asses nostræ monetæ valebat. Alias quoque Ecclesias septem Constantinus Romæ jussit ædificari, nempe Ecclesiam S. Petri in Vaticano, in loco, ubi Templum Apollinis steterat, ut locus Martyrii, & sepulchri Principis Apostolorum honoraretur. Aliam S. Pauli in loco, ubi Martyrio coronatus est. Aliam S. Crucis in domo Sessoriana, quæ S. Crucis in Jerusalem dicitur, quia veræ Crucis partem ibi deposuit. Aliam S. Agnetis cum Baptisterio ad preces filiæ suæ Constantiæ, & sororis suæ ejusdem nominis, quas S. Sylvester bapti-

Sæculum IV. A. C. 326.

baptizavit. Aliam S. Laurentii extra civitatem in via Tiburtina ad hujus Martyris sepulchrum. Aliam SS. Marcellini, & Petri Martyrum in loco, inter duas lauros dicto, ubi S. Helena sepulta est. Illam quoque Ecclesiam magnis donis ornavit, quam S. Sylvester in ædibus unius ex suis Presbyteris nomine Equitii prope thermas Domitianas excitaverat. Plures item alias Constantinus ædificavit Ecclesias, alteram Ostiæ ad honorem SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Joannis Baptistæ. Alteram Albæ ad honorem S. Joannis Baptistæ. Alteram Capuæ ad honorem Apostolorum, quam Constantinianam dixere, & aliam Neapoli. Redditus, quibus has omnes Ecclesias dotavit, simul sumpti decies septies mille, septies centum, & decies septies asses aureos, id est, ultra centum quadraginta millia librarum nostræ monetæ conficiunt. His addendum, quod præterea ultra viginti millia librarum pensionibus annuatim sibi reddendis Ecclesiæ fruerentur in diversi generis aromatibus, quæ terræ Ægypti, & Orientis in rerum natura suppeditare tenebantur; & tamen hæc omnia non alio pretio æstimavi, quam hodie currente, quod pretio rerum illius temporis nimium quantum vilius est.

Ecclesiæ in urbe Roma.

Ut

Sæculum IV. A. C. 326.

Ut res exemplis facilius capiatur, S. Petri Ecclesia possidebat domos Antiochiæ cum prædiis circa urbem sitis; item Tarsi in Cilicia, & Tyri. Alias fruebatur in Ægypto prope Alexandriam & alibi; rursus ex Provincia Euphratis prope Cyrum, harum Regionum pars singulis annis certam portionem Nardi, Balsami, Styracis, Cinnamomi, Croci, aliorumque aromatum pro thuribulis, & lampadibus submittere tenebatur. Vasa aurea, & argentea ad usum, & decorem harum Ecclesiarum destinata, & ab Anastasio fusissime enumerata, hic non memoro, forte ab aliis etiam Imperatoribus donata admiscuit, at bonorum immobilium documenta haud dubie majori cura servata fuerint. Hæc sufficere possunt, ut sibi quis Magnificentiæ Regalis ideam fingat, qua Constantinus tot Ecclesias fundavit; non omnes hos sumptus ex publico Thesauro depromebat, sed bona Martyrum, aut aliorum Christianorum fisco attributa, quorum nulli hæredes supererant, templorum, in quibus Idola fuerant adorata, a se destructorum redditus, aut ludorum profanorum, quos abolevit, huc impendebat. Certe in Oriente Gladiatorum pugnas sustulit, saltem criminum reos ad talem pugnam damnari vetuit, imperavitque Prætorii Præfecto, ut ejusmodi homines potius

Socr. I. c. 18. L. 1. Cod. Theod. de Gladiat. lib. 15. & ibid. Gothof.

potius ad metalla transmitteret. Lex ista prima Octobris 325. Beryti in Phœnicia data est. Sæculum IV. A. C. 326.

§. XXXVII.

Conversio Gentilium.

Magnus Paganorum numerus ad fidem convertebatur, hi quidem, quod veterum superstitionum vanitatem, & falsitatem agnoscerent, alii stimulante æmulatione, cum Christianos honoratiores se, & Imperatori chariores cernerent, demum quod illam Religionem haberent potiorem, quæ eorum Domino probaretur. Alii fidei argumenta attente perpendendo movebantur. His miracula, aliis somnia, quibusdam Episcoporum, & Monachorum colloquia persuaserunt, Christianorum Religionem esse præferendam. Exinde urbes, populique integri fidem suscipere, nemine cogente templa, & Idola dejicere, & Ecclesias excitare. Habitatores Majumæ, quæ erat portus Gazæ in Palæstina, alias antiquis superstitionibus addictissimi, mutatis subito animis conversi sunt; horum pietati ut responderet Imperator, ipsum locum jure civitatis, quod prius non habebat, donavit, atque de nomine Constantii filiorum suorum dilectissimi Constantiam dixit. Ex simili causa urbem quam- *Sozom.* II. c. 5. *Euseb. IV. vit. c.* 37. 38. *Eus. ibid. c.* 39. *Soc.* I. *cap.* 18.

Sæculum IV. A. C. 326.

quamdam Phœniciæ Conſtantinam appellavit. Modicæ quoque Bythiniæ urbi, antea Drepanum dictæ in Matris ſuæ honorem Helenopolis nomen impoſuit, civitatis prærogativam donavit, eamque in S. Martyris Luciani Antiocheni gratiam, cujus reliquiæ ibi erant, tributorum penſione exemit. Euſebio forte Nicomedienſi, qui ſe S. Luciani Diſcipulum jactabat, ſuadente id factum, conjectura ſit.

Chr. paſch. an. 327.

Sup. l. IX. §. 39.

Sozom. II. c. 6.

Religio Chriſtiana jam ultra Romani Imperii fines extendebatur. Nationes ad oras Rheni, & remotiſſimæ verſus oceanum Galliæ partes Chriſtum colebant. Gothi, aliique Danubio vicini populi Chriſtiani erant, atque, ſuſcepta vera Religione miteſcentes, rationi parere coperant. Converſionis occaſionem, & initium dedere incurſiones, quibus ipſi in Barbari ſub Gallieno Principe ante ſexaginta ferme annos Imperii fines infeſtaverant, Epiſcopi capti virtutum ſuarum exemplo, & miraculorum teſtimonio agnitionem, & amorem Religionis hoſtibus ſuis ingeſſerant, tumque ex iis, quos in fide inſtruxerant, Eccleſias formaverant. A multo jam tempore Armenii Chriſto nomen dederant; Tiridatem Principem eorum, viſo miraculo, domi ſuæ patrato, in Chriſtum credidiſſe ferunt, omnibusque ſuis ſubditis eandem

Sup. l. VII. §. 58.

Reli-

Religionem amplectendi Ducem fuisse, inde in vicinas Provincias fuerat dilata- Sæculum IV. A. C. 326.
ta, atque Osroenes, & Armeniæ commercio in Persidem delata, ubi multæ numerabantur Ecclesiæ. Constantino Imperatori hæc non erant ignota, hinc cum Sapor Persarum Rex legationem ad se & dona, amicitiæ fœdus pacturus, misisset, consensit, dona acceptis longe majora remittens; simul prolixam pro Christianis in Perside degentibus scripsit epistolam, in qua veræ Religionis præstantiam laudat; pœnas, quas Persecutores, præsertim Valerianus a Persis captus, dare coacti sunt, memorat, tandemque, ut Christianis faveat, hortatur.

Sup. §. 3. *Eus.* IV. *hist.* c. 8. 9. &c. *Socr.* I. c. 25.

§. XXXVIII.

Missio Frumentii.

Ulterius vero prolata Christi vexilla. Philosophus nomine Metrodorus Regiones Mundi longinquas videndi cupiditate incensus, usque ad Indias ulteriores, ut veteres quidem putant, re ipsa autem in aliquam Æthiopiæ partem penetravit; ubi rediit, uniones, & Gemmas Constantino exhibens, querebatur, multo pretiosiora sibi a Rege Persarum Sapore ablata. Metrodori exemplum secutus Philosophus alius, Patria Tyrius, nomine Meropius eadem ex causa eandem profectio-

Ruf. I. c. 9. *Ammia. Marcel. lib.* 25. c. 4. & *ibi Vales.* & *Cedren. ann. Const.* 21.

Sæculum IV. A. C. 326.

fectionem suscepit, ducens secum duo adolescentes, quos sanguine sibi propin quos instruebat, junior Edesius, alter Fr mentius vocabatur. Philosophus, u animum peregrinarum rerum cognitio exsatiaverat, iter in patriam relegit, n vis vero, qua vehebatur, in quemda portum provecta est, aquam potabilem aut quædam alia necessaria petendi ca sa; ea autem erat horum populorum fe ritas, ut Romanos omnes, quotquot capo re possent, jugularent, quandocunque e vicinis audivissent, initas cum Romani pacis conditiones esse violatas; ergo na vigium invadunt, Philosophum cum omnibus suis trucidant, duos adolescen tes sub arbore legentes, & injuncta sib pensa discentes inveniunt, his solis Bar bari parcunt, & ad Regem suum addu cunt. Is Edesium Pocillatorem sibi con stituit, cumque in Frumentio plus indu striæ, & prudentiæ deprehendere sibi vi deretur, eum secretis, & tabulario præ fecit. Abhinc Rex iste ambos non hono ribus modo auxit, sed & tenero amore complexus est. E vita migravit, relin quens Regnum uxori, & filio adhucdum infanti, facta duobus juvenibus potesta te, ut deinceps suo arbitrio viverent. At Regina, quæ neminem in toto Regno his fideliorem sciebat, instantissime rogavit, curas Imperii secum partirentur, donec filius

filius adoleſceret, magis vero Frumentium, qui ſapientia excellebat, quippe alterum ſola in rebus gerendis fidelitas, & moderatio commendabant. Sæculum IV. A. C. 326.

Itaque Frumentius, ad hujus Regni gubernaculum ſedens, inſpirante Deo, ſollicite cœpit inquirere, ſi qui Chriſtiani inter Romanos, mercaturæ cauſa illuc advenientes, eſſent, magnam tribuere libertatem, & hortari, ut ubivis domos ſe- Frumentius.
ligerent, in quibus communi orationi vacarent, ipſe ſuo exemplo præibat, ſuoque fervore, & collatis beneficiis ad imitandum excitabat. Areas ædificandis Eccleſiis concedebat, aliaque neceſſaria, vehementi ardore vineam Chriſti plantans, &, ut fructus ferret, excolens. Cum Rex juvenis ad ætatem perveniſſet, qua Imperium per ſemetipſum capeſſere poſſet, ratione de adminiſtrato Regno fideliter reddita, Edeſius, & Frumentius nullis Reginæ, Regisve juvenis precibus, aut ullo alio conatu retineri potuere, quin in Patriam redirent; Edeſius, charos Parentes amplexurus, Tyrum redire properavit, Frumentius contra, dicens, opera Dei celari non debere, Alexandriam iter direxit; ibi S. Athanaſio Epiſcopo, omnia, ſicut contigerant, ordine narrat, hortatur, eligendum eſſe virum, Epiſcopatu dignum, qui tanto Chriſtianorum numero jam collecto, & Eccleſiis in mediis

Sæculum IV. A. C. 326.

Barbarorum terris nascentibus præesset S. Athanasius, sermone, factisque Frumentii in Episcoporum conventu matu pensatis, respondit illis Pharaonis ad Joseph verbis: *num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit, sicut tu, & tam grandia perficere valeat?* Tum Episcopum ordinavit, jussitque in illam Regionem, unde venerat, cum Gratia Dei reverti, nempe in urbem Auxumam Æthiopiæ, ubi, non pauciora, quam olim Apostoli, miracula edens Frumentius, innumeram Barbarorum multitudinem ad fidem convertit. Rufinus, qui hanc historiam narrat, ex ore Edesii dicerat, qui exinde Tyri, patria sua, Presbyter ordinatus est. Universa Eccles S. Frumentii memoriam colit, Latini vigesima septima Octobris, Græci trigesima Novembris, eumque hodiedum Abissini suum Apostolum venerantur.

Gen. 41. 38.

Inf. l. XIII. §. 34.

Holsten. not. ad Martyr. R. p. 23.

§. XXXIX.

Conversio Iberorum.

Ruf. l. c. 10.

Iberi, populi Ponto Euxino vicini, non minori prodigio ad Christum conversi. Mulieris cujusdam Christianæ, inter ipsos captivæ puritas vitæ, sobrietas, fidelitas, & in oratione perseverantia quippe integras noctes vigilabat, cœteræque, ignotæ illis gentibus virtutes, in

ge

gentem omnibus admirationem pepere- Sæculum IV.
runt; Barbaris ſtupentibus, & quæren- A.C. 326.
bus, quæ tanti rigoris cauſa eſſet? ſimpliciter reſpondit, ſe iſta ratione Chriſto Deo ſuo ſervire, æque novum his hominibus hoc Nomen erat, ac totum mulieris vivendi inſtitutum. Dum in virtutum exercitio conſtantem vident, mulieres illius Regionis, ut natura curioſæ ſunt, ſciendi cupido inceſſit, an tantus Religionis zelus quidquam prodeſſet. Si quis infans inter ipſas ægrotaret, ſolebat mater ad amicarum, & vicinarum domos languentem portare, perquirens, an aliqua malo remedium ſciret; poſtquam una die aliqua mater ægrotanti infantulo apud notas mulieres fruſtra opem quæſierat, etiam ad captivam venit, reſpondit illa, humanum quidem auxilium nullum ſibi occurrere, ſed Deum ſuum JEſum Chriſtum, quem adoraret, ægrotos, de quorum ſalute eſſet conclamatum, ſanare poſſe. Tum infante ſupra cilicium, quod ſibi pro lecto erat, depoſito, & fuſis ad Deum precibus, ſurgens, ſanum matri reddidit. Prodigii rumor ſpargitur, & ad Reginæ aures magnis doloribus ſine ſalutis recuperandæ ſpe decumbentis defertur; rogat, ut ſibi adducatur captiva, quæ ire noluit, ne de ſe ipſa magnifice nimis ſentire videretur, & talia ſuſcipere, quæ ſexui ſuo non con-

Sæculum IV. A. C. 326.

gruant. Ergo Regina ad captivæ cellu- lam deferri se imperat, quæ supra suum cilicium incumbere jussam invocato Je- su Christi Nomine pristinæ sanitati resti- tuit; docetque eam, a JEsu Christo Dei & summi Dei Filio esse sanatam; horta- tur, ut ipsum invocet, ipsum esset, asse- rens, qui Regibus potentiam, & vitam hominibus tribuit.

Reginam in Palatium reversam, & gaudio exultantem interrogat Rex, quo pacto tam celeriter sanitatem recepisset? Quo audito, dona captivæ deferri ju- bet. At Regina, *Domine! hæc omnia*, inquit: *mulieri vilia sunt, nec aurum pe- tit, nec argentum, & jejuniis pascitur, unica est merces, quam reddere possumus, si adoremus JEsum Christum, Deum il- lum, quem invocando me sanavit.* Tunc quidem Rex converti distulit, quamvis uxor sæpe, & vehementer instaret. Dum quadam die in Sylvis venatione recrea- tur, circa meridiem densissimæ subito in- gruunt tenebræ, disperguntur socii, ipse solus procul a notis semitis errat, quo se verteret ignarus; in tam perplexo re- rum articulo ei in mentem venit, si se Christus ille, de quo captiva ad uxorem, ex his tenebris liberaret, relictis Diis omnibus se illum solum adoraturum.

Iberi con- vertuntur.

Hæc eo cogitante, nullum enim verbum protulit, rediit dies, & ipse feliciter ad urbem

urbem pervenit. Redux rem Reginæ narrat, cito captiva accersitur, edicit Rex, nullum se imposterum Deum, quam JEsum Christum culturum, & quærit eidem serviendi modum. Ipsa, quantum poterat, explicat, suadetque, ut Ecclesia ædificaretur, ejusque formam designat. Sæculum IV. A. C. 326.

Rex populo ad concionem vocato, quæ sibi, & Reginæ contigissent, refert, suosque, quantum ejus scientia permittebat, de Religione Christiana edocet, dum Regina interim fæminarum tyrocinio præest; communi opera Ecclesia exstruitur; jamque muri stabant, & columnæ erigendæ erant, ponitur prima, & secunda, cum autem ventum ad tertiam, & jam media sui parte esset in altum elevata, nec hominum, boum, aut cujuscunque machinæ vi tota erigi potuit, renovatus sæpius conatus in cassum cecidit; Rex de successu desperabat. Sub noctem omnibus dilapsis, sola captiva in ædificio remanens, noctem in oratione transegit; primo mane Rex inquieto animo adest cum suis, & ecce! videt columnam linea perpendiculari supra subjectam basim pendentem, & uno pede distantem, ita ut in aere libere esset suspensa; omnis populus laudare Dominum, & dicere, veram esse mulieris captivæ Religionem! tum columna præsentibus omnibus, nemine manum admovente,

Sæculum IV A. C. 326.

in ſuppoſitum fundamentum modo inſe- ſibili deſcendiſſe viſa eſt; reliquæ tam fa- cili labore mobiles fuere, ut una c omnes collocarentur. Ædificata Eccl ſia, cum populus vehementi deſiderio fide inſtrui cuperet, ex captivæ conſil legatio totius nationis nomine ad Imp ratorem Conſtantinum dirigitur, rem, erat, Imperatori exponunt, rogant, a conſummandum opus Dei Epiſcop mittat; ipſe Epiſcopos honorifice d miſit, majori perfuſus lætitiæ ſenſu quam ſi Regno integro Imperium ſuum auxiſſet. Rufinus, qui hanc hiſtoriam narrat, eam Jeroſolymæ a Bacurio, v ro piiſſimo, & ſinceriſſimo accepiſſe a firmat, qui aliquando illius nationis Prin ceps, deinde apud Romanos Domeſtico rum comes, & limitum in Palæſtina Du Imperatoris Theodoſii temporibus fue rat conſtitutus.

Socr. 1. *c.* 20. *v. Valeſ. ad Amm. Marc. l.* 31. *c.* 12.

§. XL.

Arius, & Euſebius Nicomedienſis ab exilio revocantur.

Sancta Helena e vivis ablata, Imperator Conſtantinus affectu tenerrimo in ſo rorem ſuam Conſtantiam, Licinii vi duam, converſus eſt, tanquam jacturam defunctæ ejus, ſuæque matris hoc ſola tio reparaturus. Conſtantia multum in uno Presbytero confidebat, qui ſecre

Ruf. 1. *c.* 11. *Sozom. II. c.* 27. *Soz. I. c.* 25.

to fovebat Arii partes; diu quidem men- Sæculum IV.
tem dissimulavit, sed dum familiaritate A. C. 326.
valere se sensit, fœminæ suggerere cœpit, plus justo Arium invidia fuisse oneratum, atque ejus Episcopum æmulatione ardentem, quod Arius populi amorem sibi surriperet, in proprii honoris vindictam prorupisse. Sæpius repetitis ejusmodi querelis Constantiæ animum devicit, quæ tandem ad mortem decubuit; dum Imperator frater ejus periclitantem invisit, solatur, & pia colloquia miscet, ferunt, eam ultimo petiisse, ut, si quid consilio apud fratrem posset, in dictum Presbyterum fiduciam poneret, &, quæ sibi pro sua salute dicturus esset, auscultaret; *ego vero*, inquiebat, *jam moritura, quæ futura sunt non curo, sed tibi, timeo, charissime frater! timeo, ne exulum innocentium gemitus e cælo ultionem, & Regno tuo ruinam concieant.* Constantinus, de bona fide sororis, pioque in se affectu certus, illi Presbytero, sæpius ad colloquium admisso, cum fiducia aures præbuit, crediditque Arium calumniis lædi potuisse, & ab exilio revocavit. Eusebio quoque Nicomediensi, Mari, & Theogni redeundi potestatem fecit, post- *Socr.* I. quam ad Episcoporum præcipuos Palino- *c.* 14. diam misissent, scriptam in hunc modum: *Sozom. II. c.* 16. *& ibi Vales. Pagi an.* 327. *n.* 14.

Cum a vestra pietate condemnati fuerimus absque cognitione causæ, patienter quidem

Sæculum IV. A. C. 328.

nos vestrum judicium ferre oportet, ne ce-ro nos ipsi nostro silentio calumniis occa-sionem dare videamur, declaramus, quod consentiamus in fide, & postquam jam hu-jus vocabuli CONSUBSTANTIALIS *sensum perpendimus, pacem optemus; nec enim un-quam hæresin fovimus, sed postquam ea, quæ cogitabimus, pro Ecclesiarum tranquillita-te in medium attulimus, iisque, quibus sa-tisfacere oportebat, fidem nostram probavi-mus, formulæ fidei subscripsimus. Nolu-mus quidem subscribere anathemati, non quod formula fidei displiceret, sed quod ac-cusatum talem esse, qualem vos putabatis, non crederemus, scientes contrarium, ex iis, quæ tam per litteras, quam oretenus nobis aperuerat; si vero Sacrum Concili-um reum esse credidit, judicio vestro non resistimus, acquiescimus, & per hanc epi-stolam nostri consensus certos vos facimus, si enim nos vobis præsentes sistere liceat, vestro judicio integre submissos habebitis; non ideo quidem, quod nos exilii ultra su-stinendi pigeat, sed ut nos ab omni hæresis suspicione purgemus. Cæterum, cum ipsi accusato indulseritis, & revocaveritis, su-spectum omnibus silentium nostrum videre-tur, post illius, qui credebatur reus, revo-cationem, & absolutionem. A vestra igi-tur Benevolentia postulamus, ut, sicut Di-gnitatem vestram decet, hac super re Im-peratori loquamini, libellum hunc supplicem*

Sæculum IV. A. C. 328.

cem in manus detis, & mature, quæ pro nobis facienda visa fuerint, statuatis. Hucusque retractatio Eusebii, & Theognis, in qua distinctio juris, & facti, id est, fidei, & anathematis personalis reperitur. Accusatus, quem non nominant, Arius est, & dispicitur, jam tum fuisse revocatum, postquam, ut certa est conjectura, aliqua retractatione æquivoca, quod & deinceps fecit, Episcopis satisfeciſſet. Ergo Eusebius, & Theognis ab exilio revocati sunt post annos ferme tres, nempe anno 328. secundo in suas Cathedras ascendentes, eos, qui pro se ordinati fuerant, Amphionem Nicomedia, & Chrestum Nicæa expulerunt. *Philostorg. II. c. 7.*

Arium ab exilio revocatum Athanasius non recepit, nec, ut Alexandriæ restitueretur, permisit; itaque Ariani, cum hostem esse implacabilem agnoscerent, perdendum esse, decernunt. Eusebius Nicomediensis in Ægyptum scripsit ad Meletianos, magnis promissis animos captat, arcana init fœdera, spondetque se, cum tempus res movendi advenisset, eos moniturum. Ante omnia alia S. Athanasio scripsit, hortans, ut Arium reciperet, rogans per epistolas, coram autem per eos, quos submittebat, minas intentans. Athanasius respondebat, æquum non esse, Hæreticos a Concilio œcumenico anathematizatos suscipere. *Socr. ibid. c. 14.* *Athan. Ap. p. 777.* *Athan. Ap. p. 778.*

Sæculum IV. A. C. 328. Eusebii industria effectum, ut ipse Imperator Athanasio scriberet, Epistola Cæsaris a duobus Palatii Ministris Syncletio, & Gaudentio delata, inter alia continebat sequentia: *cum ergo meam voluntatem scias, liberum Ecclesiæ ingressum omnibus, qui ingredi volunt, relinque, si enim audivero, quod alicui, ingressum desideranti, denegaveris, mittam, qui te deponant & longius in exilium deducant.* S. Athanasius, ad has minas intrepidus, Imperatori rescripsit, docens; hæresi JEsum Christum oppugnanti, nihil cum Ecclesia Catholica commune esse posse.

§. XLI.

S. Antonius Alexandriam venit.

Sup. l. IX. §. 37. Credibile est, S. Antonium a S. Athanasio Alexandriam vocatum, ut partes Catholicorum firmaret, quippe a tempore persecutionis sub Maximiano nunquam ibi visus fuerat; hoc saltem exploratum, hunc S. Abbatem, ab Episcopis, & omnibus Fidelibus rogatum, de monte descendisse, urbem Alexandriam ingressum Arianos excommunicasse, & dixisse, hanc esse de ultimis hæresibus unam, quæ tempora Anti-Christi præcederet. Docebat populum, Filium Dei non esse creaturam, aut ex nihilo factum, sed æternum, de substantia Patris, Verbum ejus, & Sapientiam

vita Ant. c. 24. p. 491.

tiam. Nulla, dicebat: cum impiis Arianis vobis sit communicatio, vos Christiani estis, ipsi, qui Filium dicunt esse Creaturam, nihil a Gentilibus differunt, dum creaturam loco Creatoris adorant. Omnis populus audiens Antonium Hæresin anathematizantem lætabatur, omnes, ut virum Sanctum viderent, accurrere, ipsi Gentiles, & Sacrificuli ad Ecclesiam veniebant, dicentes: *cupimus videre virum Dei;* ab omnibus quippe ita vocabatur. Ad ejus preces Deus multos energumenos, & furibundos curavit. Etiam ex Paganis aliqui Antonium saltem tangere cupiebant, credebantque juvari; his paucis diebus plures ad fidem, quam alias uno anno, conversi sunt. Dum aliqui virum a tanta hominum turba molestari crederent, & multitudinem recedere juberent, ait leniter: *non sunt isti majores numero Dæmonibus, quibuscum in monte decertamus.* Abeuntem multis comitantibus, quos inter ipse erat Athanasius, ad portam civitatis clamans mulier revocabat: *mane, vir Dei! filia mea crudeliter a Dæmone torquetur, mane, & subsiste, rogo te! ne & ipsa currendo emoriar!* rogatus subsistere, substitit, accedit mulier, filia in terram se dejiciebat; Antonio orante, & Nomen JEsu Christi invocante, exiit Diabolus, & filia sanata surrexit. Benedicebat Deum Mater, omnes,

Rom. 1. c. 25.

Sæculum IV. A. C. 328. omnes viro gratias agebant; ipse gaudens ad montem, tanquam in domum suam remeavit.

Duobus Philosophis Gentilibus, uni die ad se venientibus, obviam procedens, ait: *cur ita fatigamini, ut hominem factuum inveniatis?* respondent, sibi vero persuasum, esse eum sapientissimum; tum ipse: *si hominem insanum quæsivistis, inutilis est labor vester, si autem sapientem creditis, me sequamini! si enim ego vos quæsitum iviſſem, ideo feciſſem, ut imitarer vos. Ego autem Christianus sum.* Ipsi stupentes recesserunt. Alii venerunt ad partem exteriorem montis, & illudere volebant, quod litteras ignoraret; ad hos ait: *quid vobis videtur, quodnam altero prius est, sana ratio, aut litteræ? quodnam est causa, & principium alterius?* dixerunt rationem præcedere, & ab hac litteras esse inventas, *ergo*, respondit: *sanam rationem habenti litteræ necessariæ non sunt.* Redierunt admirantes hujus illiterati sapientiam, non enim rusticis erat moribus, quamvis in monte consenuisset, sed comis, & jucundus, & sermones ejus sale cœlesti conditi. c. 25.

Alio tempore quosdam Philosophos erroris convicit, demonstrans Religionis Christianæ excellentiam, & quam a ratione abhorrens sit, Idola adorare, ad quod faciendum ipsi sua Religione inducebantur. c. 26. 27.

§. XLII.

Sæculum IV.
A. C. 328.

§. XLII.

Calumniæ in S. Athanasium.

Sancto Athanasio Arium recipere constanter renuente, Eusebius Nicomediensis ad Meletianos scripsit, tempus jam exigere, ut exequerentur, quæ communi consilio statuissent, confingendam aliquam causam, in qua Athanasium accusarent; postquam diu ingenium torserant, tandem simul cum Eusebianis apud Imperatorem conqueruntur, Athanasium novum linearum tunicarum tributum pro Ecclesia sua Alexandrina Ægyptiis imperasse, idque a se primo exactum. Imperatori tunc Nicomediæ agenti tres ex Meletianorum præcipuis nempe Ision, Eudemon, & Callinicus, quorum nomina in indice Episcoporum Meletianorum a Meletio S. Alexandro tradito inveniuntur, hanc accusationem deferunt. Percommodum accidit, ut duo Presbyteri Ecclesiæ Alexandrinæ tunc Nicomediæ morarentur, qui facile objectum suo Episcopo crimen diluerunt. Scribit itaque Imperator in Ægyptum, Isionem damnat, Athanasio, ut ad se veniat, imperat. Eusebius Meletianos retinuit in Regia, atque ubi Athanasius advenit, alia duo accusationis capita protulere, contra Presbyterum Macarium alteram, qua eum calicem fregisse insimulabant, alteram

Athan. ibid. p. 778. Socr. 1. c. 27. Cang. gloss. gr. Sticharion.

Ap. Athan. ibid. p. 789.

Sæculum IV. A. C. 328.

ram contra S. Athanasium, & quidem la sæ Majestatis crimen, cum dicerent, eum Philumeni cuidam rebelli marsupium au ro plenum misisse. Constantinus, aud tis attente accusationibus Psammathi prope Nicomediam, Athanasium inno centem esse judicavit, & data Epistol ad Populum Catholicum Alexandrinu remisit; in hac Epistola Imperator, pos quam eorum nequitiam damnavit, qui ut odia privata, & ambitionem expl rent, Ecclesiam dividebant, & turbaban subjungit: *Nihil malorum hominum in vidia in vestrum Episcopum potuit. Cr dite mihi, fratres mei! pessimum hom num istorum studium est, optimum tempu perdere, & pœnitentiæ salutaris occa sionem in hac vita sibimet ipsis absci dere.* Et inferius: *Cum gaudio Episc pum vestrum Athanasium recepi, & tan quam viro Dei collocutus sum, jussi, u meo nomine vos salutet.* Macarius quo que Presbyter coram Imperatore abso lutus est.

Theod. 1. *c.* 26.

Ap. Athan. p. 779.

§. XLIII.

S. Eustathii Antiocheni Depositio.

Athan. ad. solit. p. 812. *Hier. ep.* 84.

Alium quoque hostem Ariani pertime scebant Eustathium Episcopum Sedi Antiochenæ, ab Alexandrina secundæ, i orbe tertiæ. Vir Confessionis laude in signis, doctus, & eloquens pluribus edi ti

tis libris hæresin oppugnabat. Disciplinæ, & canonum rigidus observator quosdam sibi suspectos inter Clericos suscipere noluit, quorum deinde plerique, faventibus Arianis, ad Episcopatum promoti sunt, quales fuere Stephanus, Leontius Evnuchus, & Eudoxius tunc Episcopus Germaniciæ; hi tres ipsi in Episcopatu Antiocheno suffecti sunt; item Georgius Laodicenus, Theodosius Tripolitanus, & Eustathius Sebastenus. S. Eustathii Antiocheni pastoralis cura non ad solam suam Ecclesiam restringebatur, sed ad alias etiam Ecclesias mittebat viros, Fidelibus instruendis, & contra hæreses obfirmandis aptissimos. Singulariter autem Eusebium Cæsarienſem aggressus, quod Confessionem fidei Nicænæ corrupisset; Eusebius econtra affirmare, se fidei Nicænæ conformia credere, Eustathium vero Sabellianismum introducere; hæc enim erat vulgatissima illorum objectatio, quibus vox consubstantialis non placebat, quod vocem istam cum Concilio universali approbantes accusarent, Sabellii, & Montani erroribus accedere. Montanus quidem nihil contra fidem Catholicam S. Trinitatis docuerat, sed quidam ipsius Discipuli cum Sabellio distinctionem Personarum negabant, dicentes eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum S. S. Eustathius eodem vigore Paulino

Sæculum IV. A. C. 328.

Chryſ. hom. 52. in Euſtat.

Socr. I. c. 23. Sozom. II. c. 18.

Theod. 3. fabul. c. Valeſ. ad Socr. I. 23 Sozom. II. c. 19.

Sæculum IV. A. C. 328.

lino Tyrienſi, & Patrophilo Scythopolitano reſiſtebat, ſua auctoritate plerosque Orientis Epiſcopos in errorem ſecum trahentibus.

Theod. 1. hiſt. c. 21.

Hinc Ariani in ejus ruinam conjurarunt. Euſebius Nicomedienſis magnum deſiderium fingebat videndi Jeroſolymam, & præcipue Eccleſiam ibi Imperatoris juſſu magnifice ædificatam, talibus dictis Conſtantini animum ita demulſit, ut eum Nicomedia proficiſcentem honorifice dimiſerit, vehicula, ſumptusque itineris liberaliter ſuppeditans. Theognin Nicænum arcanorum omnium conſcium profectionis ſocium aſſumpſit. Ubi Antiochiam pervenerunt, S. Euſtathius, amicitiæ larva deceptus, humaniſſime exceptos, omnibus fraternæ charitatis obſequiis proſecutus eſt.

Exinde ad loca ſancta pertingentes, eos convenerunt, qui ſecum in errore conſentiebant, nempe Euſebium Cæſarienſem, Patrophilum Scythopolitanum, Aetium Liddenſem, Theodotum Laodicenum, aliosque Arianos; communicatis conſiliis, cum omnibus iſtis Antiochiam redierunt, qui Euſebium, & Theognin quaſi honoris cauſa comitabantur.

Omnes hi Epiſcopi, cum ſimul eſſent Antiochiæ, Concilium agere cœperunt, Euſtathio, & pluribus Epiſcopis Catholicis

licis præsentibus, totius conspirationis, & præparati doli ignaris; omnibus præter Episcopos egredi jussis, ab Arianis introducitur prostituti pudoris mulier, ab ipsis subornata, quæ ostendens infantem ab uberibus suis pendentem, Episcopi Eustathii prolem esse impudenter clamitabat. Petiit Eustathius, ut testes produceret, ipsa nullum sibi testem esse dixit, sed Judicibus mulieri juramentum deferentibus, juravit, alta voce affirmans, infantem esse Eustathio genitum; statimque, ac si esset convictus, suffragiorum pluralitate condemnatus est; Episcopi Catholici aperte refragari, & prohibere Eustathio, ne acquiescat, dicentes, hanc sententiam esse contra omne fas latam, Lege divina expresse mandari, ne quis nisi testimonio duorum, aut trium testium damnetur, S. Paulum quoque docere, ne accusatio contra Presbyterum sine testibus admittatur. His non obstantibus rata mansit Eustathii condemnatio, & depositio, at causa non fuit publicata, nisi quod in conventiculis clancularis diceretur, erubescendo crimine fuisse gravatum, cui generalis incusatio Sabellianismi addebatur.

Sæculum IV. A. C. 328.

S. Eustathius.

Deut. 19.15.

1. *Tim.* 5.19.

Socr. 1. *c.* 24. *Sozom. II. c.* 19.

S. Eustathio Eusebium Cæsarienſem sufficere cogitabant, & Antiochiam transferre, cujus magna erat apud populum, & Cæsarem existimatio. Ergo Conci-

Euſ. III. vit. c. 62.

Sæculum IV. A. C. 328.

lium hac ſuper re ad Imperatorem ſcr
pſit, ſe quidem hanc translationem opt
re, & conſentire populum; reipſa aute
una tantum populi pars conſentiebat, a
tera Euſtathio adhærebat, & in Sede ſu
Ibid. c. 59. conſervare nitebatur; populus Antioch
nus ita diviſus in ſeditionem erupit, to
Theod. I. c. 21. civitati exitium imminere videbatur, in om
nes ordines Magiſtratus quoque, & milite
ſerpebat diſcordia, nec armis peperciſſem
niſi Imperatoris obſtitiſſet auctoritas; a
eum Euſebius, & Theognis celeriter re
vecti, cœteris Epiſcopis adhucdum An
tiochiæ congregatis, reum eſſe Euſta
thium perſuaſerunt, non illius modi
criminis, quo accuſabatur, ſed quod olim
Helenæ Cæſaris Matri injuriam feciſſet
& tyrannice in ſuos ageret, quippe in
ipſum ſeditionis cauſam rejiciebant. Im
perator fidiſſimorum Miniſtrorum ali
quem, Comitis dignitate ornatum, miſit
qui animos mitigaret, ſcripſitque Epiſto
las plurimas, quibus ad pacem hortaba
Chryſ. in Euſt. tur. Euſtathium ad ſe mitti juſſit, qui,
antequam diſcederet, convocatum gre
Pagi. An. 340. n. 10. gem ſuum, ut in ſana Doctrina firmiter
perſeveraret, obſecravit, quas exhorta
tiones magni ponderis fuiſſe in rerum
Sozom. I. c. 19. Theod. I. c. 21. decurſu videbimus. Hunc Imperator
quidem audivit, ſed apud credulum pra
valuerunt calumniæ, hinc Euſtathium
exulare jubet in Thracia, indeque in Il-

lyricum

liricum deportari; plures Presbyteri, & Diaconi simul proscripti; inter hos Presbyteros Paulus fuisse creditur, postmodum Episcopus Constantinopolitanus, quem Constantinus misit in Pontum. Optimum S. Eustathio visum, si forti animo persecutionem ferret, nec ullum ad vindicandam sedem suam conatum adhibuisse legimus; obiit exul Philippis in Macedonia, atque Trajanopoli in Thracia sepultus est. Exitialis fœmina, quæ Sanctum accusaverat, cum in morbum diuturnum, & permolestum incidisset, aliquibus Episcopis dolum aperuit, fassa se ad tantum scelus pecunia coemptam, credere vero juramentum suum non ex integro fuisse falsum, quod prolem illam ex quodam artifice cuprario, nomine Eustathio, suscepisset.

Sæculum IV. A. C. 328.

S. Eustathii Exilium, & obitus.

Hier. de Script.

Interim Eusebio Cæsariensi visum non est translationem a sua Ecclesia ad Antiochenam acceptare, sive eum permoverit zelus Disciplinæ Ecclesiasticæ, quod Imperator credidit, aut populi Catholici Antiocheni metus, nullum alium Episcopum, quam S. Eustathium agnoscentis. Scripsit igitur Imperatori, & Imperator dedit responsum, quod Eusebius diligentissime posteritati transmisit. Laudat Constantinus ejus in Canonibus servandis, & Traditione Apostolica zelum, eique, quod ab omnibus dignus judica-

Euf. III. vit. c. 61.

Sæculum IV. A. C. 328.

tus sit, qui Ecclesiam regeret, gratul-
tur. Scripsit simul Imperator ad popu-
lum Antiochenum, ut a consilio eligen-
Ibid. c. 60. Eusebium averteret. *Nota mihi est*, i-
quit: *jam dudum ejus doctrina, & mod-
stia; placet affectus quo eum amplectim-
ni; at destruenda non sunt, quæ semel s-
pienter statuta, neque aliis, quod sum
est, surripiendum. Quod enim feciſti
non est Episcopum retinere, sed aliis sum
aufferre, violentus est iste modus, & a j-
stitia alienus. Seditionis occasio esse po-
test.* Tandem ad tranquillitatem redu-
cendam hortatur, postquam ab iis ablat
esset corruptelæ occasio; quibus verbis
Eustathii condemnationem, quam justam
credebat, denotare videtur.

Ibid. c. 62. Eusebius tertiam quoque Imperato-
ris Epistolam ad Theodotum, Theodo-
rum, Narcissum, Aetium, Alpheum, a-
liosque Episcopos, qui Antiochiæ erant,
datam refert; si Eusebius Nicomedien-
sis, & Theognis adhuc ibi fuissent, ve-
rosimiliter etiam eorum nomina legeren-
tur; in hac Epistola Constantinus se de
omnibus certiorem factum dicit tum per
Epistolas Episcoporum, tum etiam Aca-
Vales. ad Eus. hic. cii, & Strategii. Acacium Orientis Co-
mitem fuisse autumant, qui Antiochiæ
residere solebat, & Strategium, alias
Mausonium, dictum illum Comitem,
quem primo Seditioni pacandæ Impera-
tor

Sæculum IV. A. C. 328.

tor miserat; *Eusebii litteræ*, inquit: *legibus Ecclesiæ maxime conformes mihi videntur, sed etiam meam mentem aperiam; ad me relatum est, Euphronium Presbyterum, Cæsareæ in Cappadocia civem, & Georgium Arethusanum, etiam Presbyterum ab Alexandro Alexandrino ordinatum, in fide esse probatissimos, hos cum cæteris, quos Episcopatu dignos censebitis, proponetis, ut eorum aliquis juxta Traditionem Apostolicam eligatur.* Maximi haud dubie ponderis fuit hæc Imperatoris commendatio, nec sine effectu, uterque enim ad Episcopatum promoti, Georgius Laodiceæ, Euphronius in ipsa Sede Antiochena, sed post aliquod temporis intervallum. Primo huic Sedi impositus Paulinus Tyriensis, qui post sex menses e vita migravit; suffectus est Eulalius circa annum 328. qui tribus tantum mensibus sedit; huic successit Euphronius, postquam sedisset anno uno, & aliquot mensibus, defunctus. Brevitas temporis, quo tres hi Episcopi sederunt, causa est, quod ab historicis aut non adnumerentur, aut diversimode ponantur. Tandem Placillus, aut Flacillus Antiochiæ Episcopus ordinatus est, seditque annis duodecim. Omnes hi Episcopi erant de parte Arianorum, populo Catholico interea, seu, qui Eustathiani dicebantur, conventus separatos agente.

Pagi. an. 240 n. 20. Philostorg. 3. c. 15. Theod. 1. c. 22.

Sæculum IV. A. C. 328.

Urgentibus Arianis simul duo alii SS. Episcopi Asclepas Gazæ, & Eutropius Andrinopolitanus depulsi. Asclepas perversam Doctrinam fovere accusatus est, eique Quentianus suffectus. Eutropius sæpe Eusebium Nicomediensem reprehendebat, &, apud se Andrinopoli diverstentibus, suadebat, ne impiis ejus sermonibus fidem haberent; ad hunc deiciendum conatus Arianorum secundavit iracundia Basilinæ Julii Constantii uxoris, & Juliani Apostatæ Matris, hanc quippe Eusebius cognatione contingebat, quæ muliebre odium in Eutropium concreperat.

Athan. ad Solit. p. 812. Idem Apol. p. 766. id. p. 812.

§. XLIV.

Urbis Constantinopolitanæ fundatio.

Zos. l. 2. p. 685. 686.

Constantinum, Deorum cultum aperte spernentem, Senatus, populusque Romanus, cujus pars major adhucdum Idolis serviebat, oderat. Divinationes vanas, quarum maxima erat Religio, vilipendebat; cum Romæ ageret, incidit festa dies, qua eum vetus consuetudo, proceribus omnibus stipatum, in Capitolium vocabat; de hac cæremonia admonitus, palam explosit; dumque Gentiles moris antiqui derisionem vicissim cavillis ulciscuntur, Romam aversari cœpit,

pit, ſtatuitque urbem aliam ædificare, Romanorum faſtui parem, ubi Regiam Sedem figeret. Jam olim Diocletiano conſilium fuerat, Nicomediam ad hoc honoris faſtigium evehere, & efficere Romæ æmulam. Conſtantino animus erat prope antiquam Trojam novam urbem moliri, jacta erant fundamenta, ſurgebant muri, ſed brevi poſt aliud placuit, nam cum Byzantium veniſſet, captus eſt loci amœniſſima ſpecie, ſituque ſuper colles prominentes in fretum, quod maria duo, Propontidem, & Pontum Euxinum conjungit, iterumque ex terra firma utraque tam ex Europa in Aſiam, quam ex Aſia in Europam tranſituris brevem trajectum præbet. Ibi ergo Sedem fixam elegit Conſtantinus, & vaſta condidit mœnia, quæ hodieque ex ejus nomine nomen gerunt.

Sæculum IV. A. C. 328.

Lact. de morte. Sozom. II. hiſt. c. 3.

Byzantium vetus originem debebat Byzæ Regi Thraciæ anno tertio Olympiadis trigeſimæ, id eſt, anno ab urbe condita 99. Manaſſis Regis Juda quinquageſimo quinto. Calcedon, adverſa ex parte in Aſia ſtans, exſtrui cœpit non niſi octodecim annis prius, anno ſecundo vigeſimæ ſextæ Olympiadis. Byzantinis civibus ſub Romana Ditione libertas erat, ſicut & aliis Græcorum urbibus, ſuis legibus vivendi, dignitate etiam urbium Metropolitanarum gaudebat, do-

Chron. Euſ.

Sæculum IV. A. C. 330.

nec Severus, quod ex parte Pescenni Nigri staret, captam, dejectis mœnibus ad tenuis oppidi sortem redegit, deinceps subjectam Perintho, alias Heracleæ futuram; hinc Episcopi Byzantini erant Sedis Heracleensis suffraganei. Hanc Constantinus debellato Licinio sibi subjecit & non nulli dixere, fuisse ab eo restauratam in perpetuum Victoriæ suæ monumentum.

Et vero haud multo post illam victoriam huic labori initium dari præcepit, nempe anno 326. secuta est solemnis Dedicatio anno 330. die Lunæ 11. Maji Indictione tertia, anno ab urbe condita 1080. ex quo sequitur fuisse annum 981. post Byzantii fundationem. Dicta est græce, hac enim lingua Regionis indigenæ loquebantur, Constantinou-polis, id est, Constantini urbs. Alio nomine etiam Roma nova appellata est. Singulis annis Dedicationis ejus anniversarius publicis ludis celebrabatur. Murorum ambitus quindecim stadia, id est, unam ferme leucam dempta quarta parte complectebatur, sed a sequentibus Imperatoribus multum auctus est. Illuc Constantinus novos incolas ex veteri Roma, & Provinciis allexit, multos redditus tum pro ædificiorum sartis tectis, tum civium commeatu assignavit. Senatum, Magistratus, varios populi ordines, omnia Romano

Socr. 1. hist. c. 12.

Sozom. II. c. 3.

Sæculum IV. A. C. 330.

mano mori persimilia constituit; Romanæ Leges observabantur, omnibusque veteris Romæ privilegiis nova gaudebat. In quatuordecim Regiones, sicut Roma vetus, dividebatur, iisdem ædificiorum publicorum generibus decoratas, si templa excipias. Plura visebantur fora, porticibus circumdata, quorum præcipuum Constantini nomen retinuit, eratque in medio Imperatoris statua columnæ ex marmore porphyrico imposita. Cæsaris Palatia duo ædificata, & in majoris prospectu Circus, seu hippodromus, equorum decursionibus destinatus. Stadia, seu curricula cursui pedestri parata, Circus Bestiarum pugnis, theatra aliis spectaculis, porticus deambulaturis, thermæ, aquæ ductus, fontes magno numero visebantur. Capitolium exstructum, ubi artium, scientiarumque Magistris sua erant auditoria. Prætorium, & plura alia diversæ jurisdictionis tribunalia. Plures Basilicæ, in quibus negotia tractarentur. Domus frumentariæ, & plurimi gradus, quibus panes tribus hominum ordinibus distribuebantur, nempe Regiæ ministris, militibus, & civibus; namque Constantinus omnibus iis, qui ad augendam civitatem domos exstruerent, & familiæ eorum panes certo numero erogandos in perpetuum concesserat.

Id. VII. c. 9. v. Cang. Const. Christiana.

Sæculum IV. A.C. 330.

§. XLV.

Ecclesiæ urbis Constantinopolis.

Nihil autem Constantinopoli magnificentius, quam Ecclesiarum structura fuit; quippe Constantinus Idololatriæ proscripta, templa vel diruit, vel vero Deo consecravit, aras, victimis comburendis positas, abstulit, nullibi Idola stare, nisi in locis profanis ad civitatis ornatum passus. Imo quæ singulari populorum religione in qualibet Provincia colebantur, afferri jubebat, risui, & contemptui plebis exponenda, quæ antea in templorum adytis custodita summæ veneration fuerant; hic Apollo Pythius, illic Sminthius visebatur. Tripus Delphica, redditis oraculis celebratissima, in hippodromo posita erat, Musæ Heliconiæ in Palatio. In tota urbe nihil frequentius, quam Deorum, Dearumque effigies oculis objiciebantur. Ibi quoque videre erat Rheam, Deorum Matrem, a monte Dindymon prope Cyzicum allatam, ubi ab Argonautis deposita fuisse fertur; at Constantinus eam ablatis leonibus, & situ manuum mutato, fœdaverat, ita ut supplicantis speciem referret.

Euſ. III. vit. c. 48.
Ibid. c. 54.

Ecclesia Principalis æternæ Sapientiæ, unde hodieque nomen habet, dedicata fuit. Alteram quoque ædificavit in duo-

Cedren.
Euſ. IV. vit. c. 58. & ibi Valeſ.

decim

decim Apoſtolorum honorem; ea figu- Sæculum IV.
ram Crucis referebat, miræ altitudinis, A. C. 330.
intus a pavimento usque ad ſummum vario marmore incruſtata; tabulatum opere fabrili eleganter elaboratum puriſſimo auro fulgebat. Faſtigium non coctis lateribus ſed cupro, in partibus prominentioribus deaurato, tectum, reflexis ſolis radiis a longe venientium oculos perſtringebat, quod arcuatum, & rotundum clathris cupreis, auro ſuperinducto, ambiebatur. Ipſa Eccleſia in medio areæ vaſtiſſimæ, & quadratæ ſtabat, quatuor circum porticibus incluſæ, quibus aulæ ſpatioſæ, balnea, conclavia, aliaque Eccleſiam cuſtodientium habitationi neceſſariæ ædes jungebantur. Ibi Conſtantinus ſuæ ſepulturæ locum ele- *Euſ. ibid. 60.*
git, & ſibi ſepulchrum in medio aliorum duodecim, ſex nempe utroque ex latere, ad memoriam SS. Apoſtolorum exſtructorum, poni juſſit, fide firma credens, ſe poſt mortem precum illarum, quæ ibi ad honorem Apoſtolorum celebrari ſolebant, participem fore, easque animæ ſuæ profuturas. (*) Ita hac de re Euſebius Cæſarienſis loquitur.

Con-

(*) Dieſe Worte hat unſer Proteſtant redlich überſetzet: Er that dieſes aus dem Grunde des

Sæculum IV. A. C. 330.

Constantinus præter has Ecclesia Constantinopoli etiam aliam S. Irenes condidit, S. Sophiæ vicinam, nisi fort sub diversis Sapientiæ, & Pacis nomin bus eadem sit. Plures aliæ eidem or tus suos debere feruntur, nempe Eccl sia S. Euphemiæ prope Hippodromum, S. Mocii loco templi Herculis posit Alia S. Procopii. Alia S. Acacii. Ali S. Agathonici, alia S. Diomedis extra ur bem, in loco, qui dicebatur *Hebdomon* quia septem milliaribus distabat. (*)

des Glaubens, um nach seinem Tode an den Gebetsübungen theil zu nehmen . . . . in der Ueberzeugung, daß seine Seele Erquickung davon haben würde. Nun frage ich den Uebersetzer, ob er in einem andern Orte seiner Uebersetzung mit Wahrheit habe schreiben können, daß den lieben Alten nichts dergleichen von den Todten zu glauben eingefallen sey, als man heut in der römischen Kirche glaubet? Denn man glaubet in der römischen Kirche im Hauptwesen nichts anders, als was vor fünfzehn Jahrhundert dem Constantinus Magnus beygebracht worden, nämlich, daß das Gebet der Lebendigen den Todten eine Erquickung bringe.

(*) Im deutschen heisset es: statt des ehemaligen Hebdomon &c. Und: anstatt des Anaplus. Das ist schlecht übersetzet; aber solche Fehler werden Kürze halber nicht gemeldet.

Et alia Ecclesia S. Joannis Evangelistæ. Sæculum IV.
In loco Anaplus dicto in littore maris A. C. 330.
Europæo Ecclesia in honorem S. Archangeli Michaelis, exinde multis miraculis clara. In urbe præter Ecclesias Constantinus alia quoque suæ Religionis monumenta posuit; in fontibus, quibus urbis bivia ornata erant, imago boni Pastoris, & alia effigies Danielis inter leones ex ære aurato sculpta visebantur. In maxima Palatii aula loco principaliori collocata erat tabula, crucem, ex gemmis compositam, auroque inclusam continens. In vestibulo alia tabula Constantinum inter liberos suos, crucem capite gestantem, & sub pedibus ejus Draconem, medio ventre telo percussum, atque in mare præcipitatum exhibebat.

Sozom. II. c. 3. Eus. III. vit. c. 49.

Ibid. c. 3.

Jam ad Ecclesiarum novarum Constantinopoli conditarum servitium libri erant necessarii. Hac super re scripsit Constantinus ad Eusebium Cæsarienſem, magnam hominum multitudinem in nova urbe ad fidem esse conversam, hinc sibi visum plures ædificare Ecclesias; tum Eusebio negotium committit; SS. Scripturarum exemplaria quinquaginta in aptissimo pergameno ab optimis notariis describi procuraret, essentque facile legibilia, portatilia, decoris litteris, & correcta; & subjungit: *Scripsi Provinciæ Quæstori, necessarios sumptus suppeditet.*

Apud. Eus. IV. V. c. 56.

Sæculum IV. A. C. 330.

peditet. Curabis autem, ut hæc exe
plaria mature exarentur. Poteſtat
tibi facio, ut plauſtra duo publica imp
res, quibus ea per Diaconum Eccleſiæ t
ad me tranſmittas. Euſebius prompti
ſime juſſa executus, deſcripta exempl
ria in foliorum terniones, & quaterni
nes diviſa, atque ſumptuoſe ornata, a
Imperatorem miſit. Cœterum non ſin
cauſa Imperator hanc curam Euſebio p
tius, quam alteri commiſit, nam præte
quam, quod eſſet doctiſſimus, etiam
Martyris Pamphyli hæres, ejus Biblio
thecam acquiſierat.

Modicum tempus effluxerat, ex qu
Euſebius ſuam Hiſtoriam publicæ luci
fecerat; hæc inter omnes, quas habemus,
antiquiſſima eſt, incipiens ab adven
Salvatoris, & promulgatione Evangeli
usque ad Perſecutionum finem, & Lic
nii cladem deducitur. Totum opus in
decem libros diviſum eſt, quod auten
pretium ejus maxime auget, eſt frequen
tia locorum ex Scriptoribus ſe antiquio
ribus adductorum, quæ alibi fruſtra qua
ſieris, cum in ſolo Euſebio ſuperſint.
Hanc ſuam Hiſtoriam Eccleſiaſticam oc
caſione ſolemnitatis, qua vigeſimus Re
gni Conſtantiniani annus celebratus eſt,
in publicum edidiſſe creditur. Chro
nicum ejus eodem tempore nempe anno
327. abſolvitur; ſunt Tabellæ Hiſtoriæ
uni-

Pagi. an. 326. n. 12.

universalis a mundo condito per singulos annos continuatæ, estque præcipuum, quod habemus, studii Chronologici fundamentum. Sæculum IV. A. C. 330.

§. LXVI.

Leges latæ contra Hæreticos.

Imperator, cum litem Arianorum finitam crederet, Legem contra alios hæreticos, nominatim Novatianos, Marcionitas, Paulinianistas, Cataphryges, seu Montanistas tulit, qua ad Sacrorum suorum exercitium aut in locis publicis, in quorum possessione erant, aut in privatis etiam ædibus convenire prohibentur. Mandat, ut loca, in quibus congregari solebant, ipsis ablata, vel Ecclesiæ Catholicæ dentur, vel utilitati publicæ addicantur. In libros quoque eorum inquiri jubet, unde detectum, plures eorum veneficii crimine esse infames. Horum Duces fuga abstulit, Sectatores autem eorum magno numero ad Ecclesiæ sinum rediere, alii quidem mala fide, & ad tempus perfidiam dissimulantes, alii sincere pœnitentes. Hos sollicite Episcopi discernebant, & rejectis hypocritis, post multam probationem alios recipiebant. Qui, nulla hæresi infecti, solum schismatici erant, facile, dum redibant, ad Ecclesiam admittebantur. *Circumcell. Euf. III. c. 64* *Ibid. c. 65.* *Ibid. c. 66.*

In

Sæculum IV. A. C. 330.

Sozom. II. c. 32.

In hac Lege nulla Arianorum mentio, quia a corpore Ecclesiæ necdum manifeste separati erant, privatim super Doctrina disputabant, sed in Ecclesiam cum Catholicis permixti ibant. Antiquiores hæretici in Lege ista nominati, maxima ex parte extirpati sunt. Sub Imperatoribus Ethnicis eadem docendi, & conveniendi libertate, ac Catholici fruebantur, nulla quippe apud Paganos Christianorum erat distinctio, qui æque omnes contemnebant, & persequebantur quicunque Christianorum nomen gerebant; at post latam hanc Legem nec publice nec privatim convenire audebant Episcopis, & Clericis eos ubique locorum observantibus. Itaque, qui obstinati duerabant, tandem nullis Doctrinæ suæ relictis Sectatoribus decesserunt, nec istæ Sectæ unquam numero valuere, cum valde absonam traderent Doctrinam, & ob perversitatem auctorum suorum suspectam. Novatianorum apparens rigor aliquanto longiorem ætatem tulit, & Montanistæ adhucdum in Phrygia, unde ortum traxerant, visebantur.

L. 7. Cod. Theod. de Episc. L. XVI. & ibi. Gothofred.

Donatistæ circa id tempus apertius tumultuari cœpere; ipsi ansam dedisse creduntur ferendæ legi, & ad Valentinum Numidiæ Consularem missæ quinta Febr. anno 330. qua Constantinus jubet; Lectores, Subdiaconos, aliosque Cleri-

cos,

cos, quos hæretici ad ſubeunda civitatis onera publica cogebant, exemptos eſſe, & integra immunitate, ſicut in Oriente gaudere; quippe cum nullus eſſet hæreticis prætextus id juris Epiſcopis, & Presbyteris denegandi, ſaltem Clericos minores vexabant. Ad idem tempus referuntur Donati Anti-Epiſcopi Carthaginenſis initia, qui ſuos prædeceſſores audacia ſuperavit; tanta inſolentia elatus, ut cum de ſchismaticis loqueretur, Clientes ſuos dicere auderet. Provinciæ Præfectos ſpernebat, & neminem ſuperiorem ſe in terris agnoſcere videbatur. Illo etiam tempore inter Donatiſtas Circumcelliones extitiſſe veroſimile, ita dicti a cellis, ſeu tuguriis ruſticorum, quæ diripere ſolebant. Horum labor erat, turmatim, & furioſorum inſtar per oppida, & compita cum armis diſcurrere (ſe enim Juſtitiæ defenſores jactabant) ſervos invitis Dominis libertate donare, ære alieno gravatos abſolvere, & mortem intentare creditoribus, niſi acquieſcerent. Nulla in viis publicis ſecuritas, ubi Dominos, curru vectos, deſcendere cogebant, & ante proprios ſervos in curru ſedentes, pedibus præcurrere. Jam nemo tutus domi ſuæ degebat. Factioſorum præcipui duo erant Maxida, & Faſir, qui ſeipſos pulcherrimo nomine Duces Sanctorum dicebant. Ipſi horum graſſatorum

Sæculum IV. A. C. 330.

Hier. in Chron.

Optat. l. 3.

Aug. 1. cont. Gaud. c. 28. in fin.

Sæculum IV. A. C. 330.

Episcopi tantum furorem damnare coac
Comiti Taurino scripsere, jam se con
nendis factiosis pares non esse, ipse,
posset, eorum ferociam compesceret.
immissis copiis apud quemdam locu
Octavensem dictum multos occidit,
Donatistis postmodum pro Martyrib
cultos. Alterius quoque generis Mart
res erant, quos ipsi venerabantur, scil

Aug. ad Bonif. ep. 185. n. 12.

cet, qui se in præcipitium desiliendo, a
alio modo sibimetipsis illata vi interem
rant; nam hujusmodi crudelitatem e
rum Sectarii Religionis zelum vocaban
& Idololatrarum tempore quidam ea i
sania laborabant, ut eos ad se interficie
dos concitaverint.

Lib. 2. Cod. Theod. de Jud. lib. XVI.

Eodem anno lata est lex, Judæis f
vens, qua Patriarchis, & Senioribus e
rum, id est, illis, qui Synagogis præeran
exemptio ab omnibus oneribus personal
bus, & civilibus confirmatur, ne a su
functionibus distrahantur. Alia lex a
ni sequentis immunitatem ab omnibu
oneribus corporaliter præstandis, illis

Lib. 4. ib.

omnibus, qui Synagogis serviebant, con
cedit.

§. XLVII.

Calumniæ in S. Athanasium. Arsenius.

Athan. ap. p. 781.

Interim S. Athanasii adversarii virum c
lumniis impetere non cessabant. Ve

teren

terem querelam adversus Presbyterum Macarium renovabant, quod in Mareotide Ægypti Provincia in domo cujusdam Ischyræ, quem Presbyterum dicebant, calicem confregerit; ajebant, Ischyra S. Sacrificium offerente, Macarium jussu Episcopi Athanasii intrasse, evertisse altare, calicem fregisse, & pessime habuisse Ischyram. Contra S. Athanasium ipsum calumniam multo atrociorem confinxerunt; quippe accusabant eum, quod Arsenium Episcopum Hypselensem Meletianum in Thebaide occidisset, addebantque, ei manum dextram abscidisse, qua ad usus magicos abuteretur. Et quidem Arsenius subito disparuerat, Meletiani autem dextram hominis aridam, quam in capsula circumferebant, omnibus ostendebant, dicentes esse manum Arsenii, dolebantque cum lacrymis, quod ipsum corpus ita fuisset occultatum, ut invenire non possent. Principalis ludicræ scenæ actor erat Joannes Arcaph, Meletianorum caput. Immanis accusatio usque ad Imperatoris thronum delata est, cui etiam abscissa dextra exhibita. Imperator scripsit Antiochiam ad Censorem Dalmatium fratrem suum, jubens, in rei veritatem inquireret. Dalmatius accepto mandato, Athanasio scriptis litteris diem dicit, qua compareat, & tantæ accusationi respondeat.

Sæculum IV. A. C. 330.

Socr. 1. c. 26. Theod. 1. c. 30.

Athan. ap. p. 782.

Sæculum IV. A. C. 330.

S. Athanasius, qui, bonæ conscientiæ testimonio tutus, hucusque calumniam contempserat, ubi Imperatorem illa accusatione commoveri advertit, serio ea depellenda cœpit cogitare. Ad Episcopos Ægypti scripsit, ut resciret, ubinam terrarum Arsenius degeret, quem annis quinque vel sex non viderat, unumque suorum Diaconorum misit eum investigaturum. Quæsivit Diaconus tamen

Athan. ap. p. 784.

lici diligentia, ut Arsenium in Monasterio Ptemencyrcensi territorii Anteopolitani in Thebaide latere comperiret; protinus illuc cum quibusdam aliis se contulit, sed jam fuga proreptum non invenit; nam Pinnesius Presbyter, & Monasterii Superior eum cum Monacho, nomine Elia, navigio imposuerat, secundo Nilo in inferiorem Ægyptum transvehendum. Diaconus, elapso Arsenio, Pinnesio Presbytero & Eliæ monacho manus injici jubet, & Alexandriam deduci, ubi Duci Provinciæ, erat is militum Tribunus, sistuntur, atque Arsenium apud se occultatum fuisse, & vivere confitentur. Illico hæc omnia Pinnesius ad Joannem Arcaphium perscripsit, ne ultra obstinatione inutili Athanasium homicidii accusaret, cum toti Ægypto notum esset, Arsenium vivere; hæc ipsa epistola in S. Athanasii manus incidit.

Sed

Sæculum IV. A. C. 330.

Sed nihil actum videbatur, nisi sisteretur Arsenius; is Alexandria excedens Tyrum concesserat. Cum quidam familiares Consularis Archelai in caupona alios inter se colloquentes dicere audirent, Arsenium in certa domo occultari, notatis his personis, id ad Dominum suum referunt; protinus Arsenius quæritur, invenitur, & custoditur, atque hujus rei Consularis Athanasium certiorem fecit. Ipse deprehensus negabat se Arsenium esse, donec coram Paulo Episcopo Tyriensi, qui eum a multo tempore noverat, judicialiter comparere coactus fuerit. Ergo S. Athanasius ad Imperatorem scripsit, epistolam ferente Diacono, nomine Macario, qua omnia, sicut contigerant, referebat. Imperator ad Dalmatium scripsit; ulterioribus inquisitionibus abstineat, & Eusebianis Antiochiæ congregatis imperavit, ad suas quisque Ecclesias reverterentur. Ad S. Athanasium vero epistolam dedit, ubi summa cum indignatione Meletianorum imposturas damnat, jubetque, ut ea sæpius populo prælegatur; adjungit; nisi obtrectatores peccare desinant, se jam non amplius legibus Ecclesiæ mansuetudine præcipuis, sed civilibus in eos animadversurum, nec per constitutos, sed per se ipsum judicaturum. Tunc quidem Meletiani hoc fulmine perculsi quieverunt; ipse Arsenius nomine

Athan. ap. p. 783.

S. Athanasius.

Sæculum IV. A. C. 330.

totius ſui Cleri Hypſelenſis ad S. Athan- ſium ſcripſit, ejusque communionem r- gavit, obedientiam ei juxta Canones ta- quam ſuo Metropolitano promittens. J- annes quoque, Meletianorum caput, p- cem, & amicitiam S. Athanaſii poſtulav- & per epiſtolam hanc reconciliation- Imperatori notam fecit, quæ Principe- optimum tanto perfudit gaudio, ut ma- daret, Joannem vecturis publicis ad - venire, propius benevolentiæ Cæſare- pignoribus exornandum. Ita tunc qu- dem Arſenii cauſa ſopita eſt.

Athan. ap. p. 786.

Ap. Athan. p. 787.

§. XLVIII.

Concilium Tyrienſe.

Verum Euſebius, & ſuæ factionis ſoc- neutiquam a propoſito deterreri po- tuere; rurſus itaque quosdam Meleti- norum ſubornatos ad Imperatorem dedu- cunt, accuſationes vagas enormium cri- minum adverſus Athanaſium deferunt; & tandem Imperatoris animum ad con- vocandum Concilium permovent; lo- cum Concilio celebrando Cæſaream in Palæſtina, quod Euſebius illius urbis Epis- copus inter factionis eorum Principes es- ſet, eligere placuit. S. Athanaſius nolui illuc ſe conferre, ſciens huic conventui maxime neceſſariam libertatem defutu- ram. Interim triginta menſes elapſi ſunt, id

Sozom. II. c. 26. Theod. I. c. 28.

id est, anni duo, & dimidius ex quo Concilium anno 331. convocatum, usque ad annum 334. tunc vero Eusebiani de Athanasii contumacia conquesti apud Cæsarem, superbiam, & tyrannidem viri extollebant. Subirato Imperatori mens siniſtra de Athanasio injecta est; locum Concilii alium designat, jubetque Episcopos Tyrum venire. Annus agebatur a reparata salute 335. Imperii Constantini trigesimus. Constantio, & Albino Consulibus. Convocandi Concilii causæ prætexebantur necessaria divisorum Episcoporum reconciliatio, & pax Ecclesiæ reddenda. Imperatori etiam pergratum accidebat, maximum Episcoporum numerum in Palæstinam congregare, ut Dedicatio Ecclesiæ Jerosolymitanæ, quam ad perfectionem deduxerat, redderetur augustior; Eusebianorum improba solertia tamen effectum, ut nullos alios, præterquam ab ipsis nominatos Episcopos ad Concilium vocaret, mitteretque Comitem, cujus auctoritate ipsi defenderentur, causati, id ad servandum ordinem, & avertendum tumultum necessarium esse. Comes iste fuit Flavius Dionysius, olim Consularis Phœniciæ, cujus Provinciæ caput est Tyrus. Amplissimus erat Conventus, cum adveniſſent Episcopi ex omnibus Ægypti partibus, ex Lybia, Asia, Bithynia, omnibus Orientis Provinciis; ex Ma-

Sæculum IV. A. C. 335.

v. Pagi an. 332. n. 2.

Euseb. IV. vit. c. 41. 42. Socr. 1. 28. Epiph. hær. 60.

Sæculum IV. A. C. 335.

cedonia, Pannonia, utplurimum autem omnes Ariani. Inter hos Episcopos celeberrimi erant duo Eusebii. Pacillus, ac Flaccillus Antiochenus. Theognis Nicænus. Maris Calcedonensis. Narcissus Neroniadenus. Theodorus Perinthius seu Heracleensis, vir eruditissimus, qui scripsit commentarios in Evangelia S. Matthæi, & S. Joannis, in S. Paulum, & in Psalmos, dictione clara, & eleganti; sensum historicum maxime explanabat. Adfuerunt quoque Patrophilus Scytopolitanus. Theophilus. Ursacius Singidonensis, & Valens Mursellensis ex Pannonia; hi duo ex primis Arii Discipulis erant. Macedonius Mopsuestenus. Georgius Laodicenus. Aderant quoque nonnulli Episcopi, quibus nulla cum Arianis societas, qualis Maximus Jerosolymitanus, S. Macarii Successor; Maximus in Persecutione Maximiani passus fuerat pro fide, ad metalla damnatus, effosso dextro oculo, & uno poplite adusto, quod pluribus aliis Confessoribus factum. Marcellus Ancyranus, & Alexander Thessalonicensis huic etiam Concilio interfuere. Asclepas Gazensis quoque cum quibusdam aliis, qui circa fidem errores fovere dicebantur. Sexaginta omnino Episcopi numerabantur absque Ægyptiis, qui tardius venerunt, quia S. Athanasius, quamdiu potuit, adesse recusavit.

Theod. II. c. 3. Hier. de Script.

Ruf. 1. c. 17. Theod. II. c. 26.

Socr. 1. c. 28.

Non

Sæculum IV. A. C. 335.

Non enim ignorabat, Flaccillum Adversarium suum, quod esset Episcopus Antiochenus, & totius Orientis Metropolitanus, in hoc Concilio præsidere; sciebat, Magistratus Sæculares, Palæstinæ Rectorem, Archelaum Comitem Orientis, præsertim Comitem Dionysium, cui hoc a Regia expressius commissum, satellitibus, apparitoribus, & armatis stipatum interesse. Quidam ergastularius, portam custodiebat, quod officii genus Diaconis competebat, sicut etiam Episcopos Concilium ingredientes deducere. Presbyter Macarius vinculis onustus Alexandria ad Concilium a militibus pertractus est; S. Athanasio venire tergiversanti, litteræ Imperatoris allatæ sunt, minis plenæ; nisi obediret, injecta vi ad Concilium esse rapiendum; alia Epistola nobis adhucdum supereſt ad ipsum Concilium data, continens commi-nationem; exilio puniendos, qui comparere renuerent. S. Athanasius denique accessit, ut inimicis suis occasionem se calumniandi apud Imperatorem subtraheret, dicendique, eum venire non audere propter criminum conscientiam. Quadraginta novem ex Ægypto Episcopos secum ad Concilium adduxit, quos inter illustrissimi Confessores Paphnucius, & Potamon visebantur.

Synod. Al. ap. Athan. apol. 2. p. 728.

ibid. p. 788.

Concilium Tyriense.

ap. Euſ. IV. vit. c. 42.

Sæculum IV. A. C. 335.

S. Athanasius, Concilium ingressus, ta
quam accusatus, & reus coram judicib
suis stare jussus est, aliis sedentibus; Po
mon hujus rei indignitate ita motus e
ut non temperaret a lachrymis, tumq
conversus ad Eusebium Cæsarienſem e
ta voce, *tu vero Eusebi!* inquit: *sed*
stantem Athanasium judicaturus, & inn
centem? quis insolentiam ferat! edi
nonne tu mecum in Persecutione in eod
carcere eras? ego jacturam unius oc
passus sum! dum te hic videmus sanum, &
integrum; quomodo te vinculis libera
potuisti sine scelere? Mox Eusebius su
gere, & ex Concilio discedere dicen
si hoc in loco tanta tyrannide agitis, qu
non inter vestros facietis? & si in h
amplissimo Concilio in nos Episcopos
invehi audetis, quis dubitet, vera esse, q
accusatores vestri afferunt? Paphnuti
quoque Maximum Jerosolymitanum all
quens, & per medium cœtum transien
prehensa manu ejus, dixit: *cum eade*
stigmata tecum portem, & uterque oculu
unum pro JEsu Christo perdiderimus,
in Concilio impiorum hic assidere non p
tior; tum e Concilio eductum, omne
conspirationis ordinem, quam nescieba
edocuit, persuasitque, ut nunquam a
Athanasii communione recederet. A
quoque Ægypti Episcopi constanter re
gabant, apertos Archiepiscopi sui hostes

Epiph. hær. 68. *Synodica Athan. ap. apol. p.* 718.

Ruf. 1. *c.* 4.

pos

posse ejus judices esse, nominatim recu- Sæculum IV.
sabant duos Eusebios, Narcissum, Flaccil- A. C. 335.
lum, Theognin, Marin, Theodorum, Patrophilum, Theophilum, Macedonium, Georgium, Ursacium, & Valentem. Eusebio Cæsarienſi apostasiam objiciebant; & Georgio Laodiceno, quod a S. Alexandro fuisset depositus. Sed hæc omnia non audiebantur.

§. XLIX.

Accusationes contra S. Athanasium. Ischyras.

Primo S. Athanasii inimici ordinationem ejus impugnantes, dicebant: *omnes Ægypti Episcopi consenserant, novum Episcopum Alexandriæ non ordinare, antequam dissensionum causæ essent sublatæ, eorum vero septem juramentum suum violarunt, ut Athanasium eligerent, hæc causa est, quod ab ejus communione nos separavimus. Ipse vero jure destitutus, vim adhibuit, & sibi adversantes carceri mancipavit.* Præterea civibus suis summam vim intulisse ad festa Paschalia accusabatur & Comitibus incinctus processisse, quorum auctoritate populus ad communicandum cum eo coactus fuisset, nolentes enim aliorum captivitate, aliorum verberibus, flagris, & tormentis terruisse. Legebatur quoddam actum, quo referebatur,

Philostorg. III. c. 11. Sozom. II. c. 17. c. 25. Syn. Alex. ap. Athan. p. 726. Ep. Pseudo-Syn. Sard. ap. Hilar. frag. Sozom. II. c. 25.

Sæculum IV. A. C. 335.

tur, populum metu ipsius non audere, ad conventus Ecclesiæ accedere; at istud actum, sicut & aliæ accusationes solum modo a Meletianis, Colluthianis, & Arianis erat fabricatum; nemini centum Episcoporum, tot enim omnino Alexandrinam Ecclesiam Metropolim suam venerabantur, quidquam causæ erat, cur de S. Athanasio quereretur; tacebant omnes; & inter Catholicos Ægyptios universim sive Presbyteros, sive Laicos nullus erat, cui non Athanasii vita probaretur.

Majori adhuc strepitu in hoc Concilio accusationem de Ischyra, & confracto calice urgebant. Rem accusatores ita referebant; in illa Ægypti Regione quæ Mareotis dicitur prope Alexandriam Presbyter, nomine Ischyras pagum, Secontarurensem pacem dictum, regebat; Athanasius Mareotidis Ecclesias visitans, & Ischyram interdicturus, illuc misit Presbyterum Macarium, qui, Ischyra ad altare stante, & Sacrificium offerente, advenit, intrat Macarius vi adhibita, calicem frangit, altare comminuit, SS. Mysteria in terram effundit, comburit sacros libros, cathedram Sacerdotalem subvertit, & Ecclesiam a fundamentis demolitur. Præter hæc Athanasius Ischyram sæpius ad Hyginum Ægypti Rectorem detulit, falso accusans, quod lapides in statuam Imperatoris jeciisset, quo factum, ut

Sozom. ib.

ut innocens in carcerem mitteretur. Rursus Callinicum Episcopum Catholicum Pelusinum deposuit, quocum Alexander communicaverat, & causa depositionis hæc est, quod Callinicus cum Athanasio communicare renuat, nisi prius veritatem in causa confracti calicis confiteatur; Loco Callinici Athanasius Ecclesiæ Pelusinæ Presbyterum, nomine Marcum, antea depositum præfecit. Interim Callinicus a militibus custodiebatur, ad Judicum tribunal producebatur, & probrose vapulabat. Quinque alii Episcopi ex parte Joannis Meletiani, nempe Euplus, Pacomius, Isaac, Achilles, & Hermeon se ab Athanasio sine modo verberibus exceptos, querebantur. Sæculum IV. A. C. 335.

Ad hæc S. Athanasius respondebat: *Ischyras nunquam fuit Presbyter, & nullam habuit Ecclesiam. Nunquam in Ecclesia Catholica ordinatus est, sed neque apud Meletianos, cum in indice non inveniatur, quem, omnes Clericos communionis suæ continentem, Meletius Episcopo Alexandro tradidit. Ischyras quidem a Colluthо ordinatum se dicebat, sed dum Colluthus in Concilio Alexandrino, quo Osius venit, ad Ecclesiæ communionem rediit, omnes ejus ordinationes declaratæ sunt nullæ. Non multo post, cum in Mareotide Ecclesias visitarem, a Presbytero, qui pagum Secontarurensem curabat, mihi relatum* *Apol. 2. p. 781.*

Sæculum IV. A. C. 335.

S. Athanasius.

latum est, Ischyram non cessare Presbyteri officio fungi, quamvis non plures, quam septem homines in sua communione haberet, a qua ipsi Parentes ejus abstinebant. loci Presbyterum cum Presbytero Macario qui in meo erat comitatu, misi ut Ischyram ad me deducerent; ipsi invenerunt ægrotantem, & in cubiculo suo jacentem. dixeruntque Patri ejus, Filium suum ma nomine moneret, ne ultra in quamcunque sacerdotalem functionem se ingereret. Nihil aliud in hac visitatione factum. Dum illa non solebant convenire Christiani, cum non esset Dominica; Ischyræ homini laico vasa sacra non erant; locus, in quo inventus est, erat domus privata, & locus, ubi cum suis conveniebat, erat parvum conclave, cujus Dominus erat Ision quidam pupillus. Nihilominus Ischyras Meletianus junctus, jam antea semel nos, nempe Presbyterum Macarium, & me coram Imperatore Nicomediæ accusavit, ipso autem non probante, Imperator hanc calumniam contempsit. Post hæc ipse Ischyras, parentum suorum monitis, & propriæ conscientiæ stimulis agitatus, venit ad me largissimas lacrymas fundens, & ad meos pedes prostratus, communionem rogavit. Præterea dedit mihi scriptam declarationem, manu sua signatam, qua testatur, non motu proprio se contra me egisse, sed trium Episcoporum Meletianorum Isaaci, Heraclidis, &

Isaaci

Isaaci Letiensis suggestione, nec prius id fecisse, quam ab ipsis acribus verberibus fuisset compulsus; præter hæc omnia edicit, totam accusationem esse confictam, nullum calicem confractum, nullum altare subversum. Hoc scriptum ab Ischyra signatum est, & datum in præsentia sex Presbyterorum, & septem Diaconorum, qui nominantur; postquam hoc accepissem, non ideo tamen Ischyram Communione Ecclesiæ dignum judicavi, eumque hodiedum cum Meletianis adversum me stare videtis. Hæc fuit Athanasii defensio. Sæculum IV. A. C. 335.

§. L.

Delegatio in Mareotidem.

Adversis partibus hoc Ischyræ, & fracti calicis factum tam diversimode narrantibus, Eusebiani Comiti Dionysio persuaserunt, amplius in hanc rem esse inquirendum, ideoque in Mareotidem delegandos, qui in ipsis locis veritatem docerentur. S. Athanasius, & Episcopi Ægyptii dicebant, hanc profectionem fore inutilem, cum enim adversarii ejus jam a duobus vel tribus annis hanc in se accusationem meditarentur, accusatoribus suis ad conquirenda argumenta tempus utique non defuisse; si tamen hæc inquisitio ita necessaria judicaretur, petebant, ut saltem, qui mitterentur delegati, *Athan. ap. p. 789.*

Sæculum IV. A. C. 335.

legati, ſuſpecti non eſſent, aut qui me to recuſari poſſent. Æquum petere C miti videbantur, ſcripſit ergo ad Con lium, communi omnium conſenſu det minandos eſſe, qui ablegarentur; nihil minus Euſebiani ſecreto convenientes Epiſcopos ſex Athanaſio infenſiſſimos el gere Theognin, Marin, Macedonium Theodorum, Urſacium, & Valentem jam ante dies quatuor Meletiani, qui Ty ri erant, quatuor ex ſuis in Ægyptum mi ſerant, haud dubitantes hanc delegatio nem locum habituram, & ipſa veſperi curſorem dimiſerunt, ſuos moniturum, u Meletiani aliqui ex omnibus Ægypti par tibus in Mareotidem, ubi hactenus nulli fuerant, convenirent, Colluthiani quo que, & Ariani advocarentur.

Athan. ap. p. 740.

ibid. p. 795.

Interim Euſebiani Tyri circumcurſa bant, ſuum delegationis Decretum ad quemlibet Epiſcopum ſubſcribendum de portantes; quod ubi Epiſcopi Ægypti viderunt, ſcripta proteſtatione, & ad omnes Epiſcopos directa, contradixe runt; in ea poſtquam Euſebianorum con ſpirationem, fraudes, & illatam innocen tibus vim expoſuerunt, in concluſione Patres exhortantur; futurum Dei judi cium cogitent, cui de hac actione ſua ra tionem reddituri eſſent, caverentque, ne quidquam facerent, quo iniqua Euſebia norum molimina promoverent. Alexan der

der Theſſalonicenſis de eadem cauſa ſcri- Sæculum IV.
pſit ad Comitem Dionyſium in hunc mo- A. C. 335.
dum: *manifeſtam conſpirationem contra* *Athan. 2.*
Athanaſium video, illos ipſos, quos recu- *apol. p. 798.*
ſavit, ſtudioſe delegandos elegerunt, quam-
vis ſtatutum fuiſſet, communi omnium con-
ſilio eligendos, qui mittendi eſſent. Ca-
ve igitur ne quid præcociter fiat, & vitu-
peremur, quod in hac cauſa a via juſtitiæ
receſſerimus. Merito timendum, ne iſti
delegati, ſi Eccleſias a ſuis Epiſcopis, qui
hic morantur, deſtitutas percurrant, ter-
rorem, & ſeditionem toti Ægypto inve-
hant, ſunt enim Meletianis ex aſſe addicti.
Comes Dionyſius hanc epiſtolam Euſebia- *ibid. p. 799.*
nis legendam transmiſit, adjungens Atha-
naſio juſtam querendi cauſam fore, ſe-
cum contra fas omne, & fraudulenter
agi; ipſos quoque a bonis omnibus re-
prehendendos, ſi in re tanta Alexandri
ſuffragio privarentur; hunc Dionyſius
tanta reverentia & affectu colebat, ut
ipſum in hac epiſtola Dominum animæ
ſuæ appellet. His omnibus nihil obſtan-
tibus Euſebianorum factio vincebat, &
Epiſcopi Ægyptii prævidentes, Diony-
ſium adverſariorum improbitati ceſſu-
rum, ſecundo ſcriptam proteſtationem
tradiderunt, qua obſecrant, ne in hac
cauſa ulterius progrediatur, ſed ipſi Im-
peratori recognitionem reſervet. Omnia
fruſtra. Iter ingreſſi ſunt delegati, au-

Sæculum IV. A. C. 335.

ctoritate Concilii muniti, ferentes epiſt
lam ad Philagrium Ægypti Præfectu
militum quoque aſſumpto præſidio dec
cebantur.

§. LI.

Continuatur Concilium Tyrienſe. Arſenius.

Ruf. 1. 17. *Theod.* 1. c. 30. *Sozom. II.* c. 25.

Tyri necdum calumniarum in S. Ath
naſium finis erat. Accuſabatur Vi
ginem Deo Sacram defloraſſe; & cu
Epiſcopi eſſent congregati, in medio co
tu apparuit fæmina exclamans, & triſti
ſimam ſortem deflens; ſe quidem vo
Virginitatis ſervandæ fuiſſe obſtrictam
ſed ab Epiſcopo Athanaſio, quem hoſpiti
excepiſſet, quantum poſſet, reluctantem
fuiſſe violatam; ſibi deinde quædam do
no dediſſe, ut taceret. S. Athanaſius
de hac fraude præmonitus, refellendæ
calumniæ modum cum Timotheo Presby
tero præparaverat; intrat ergo, & ad ac
cuſationem reſpondere juſſus, tanquam
ſe non tangeret, ſiluit, ſed protinus re
ſpondens Timotheus, & ad mulierculam
converſus, ait: *quid tibi vis? ego in do
mum tuam diverti, ego tibi vim intuli?*
ipſa proterve manu protenſa, & digito
Timotheum monſtrans, clamabat: *tu ille es, tu mihi pudorem rapuiſti*, ſimul
tempus, & locum impudenti dicacitate
enarrabat. Ad hanc ſcenam plerisque
præſe

præsentium risus excussus est, cum cernerent, male adornatam fabulam tam belle refutari; at infelicis doli auctores, confusionem non ferentes, illico procacem ejici jubent, quamquam opponeret Athanasius, comprehendendam esse, & nisi sponte fateretur, quæstioni subjiciendam, ut calumniatores proderet; iidem prohibuerunt, ne accusatio ridicula actis Concilii insereretur. Sæculum IV A. C. 325.

Sed tumultuantes exclamare cœperunt, longe majora esse crimina, quæ examine indigerent, nec argutiis dilui possent, sed ubi sufficeret, oculos habere, ut rei certitudo pateret. Tum vero cistulam suam aperiunt, & aridam illam manum expromunt, tamdiu in hunc finem asservatam, dicentes: *Ecce jam, Athanasi! hic est accusator tuus! ecce manum Episcopi Arsenii dextram! tuum jam est edicere, quomodo, & quare eam abscideris;* hic confusus exoritur fremitus, omnes attoniti exclamare, & indignari, alii quidem contra Athanasium, cum accusationi fidem haberent, alii accusatoribus irascebantur, quod scirent jam diu refutatam esse fabulam. S. Athanasius, ubi tandem utcunque silentium obtinuit, interrogat; si qui adessent, qui Arsenium novissent, ad hoc plures surrexerunt, dicentes, Arsenium sibi in paucis notum fuisse. Tunc Athanasius suorum domesticorum *Ruf.* I. 17. *Socr.* I. c. 29. *Theod.* I. 30. *Sozom. II.* c. 25. *Athan. ap.* 2. *p.* 789.

Sæculum IV. A C. 335.

unum vocat, & virum nominat, quem accersitum iret, & in medium Concilium adduceret; ubi advenit erecto capite, & aperto vultu in medio stetit, dixitque Athanasius eum toti cœtui ostendens: *an hic est Arsenius, quem ego occidi, & cui manum amputavi? vir ille, tandiu quæsitus?* qui Arsenium de facie norant, omnes obstupuere, hi quod mortuum crederent, alii, quod in locis remotissimis absconditum putassent, cum ante hunc diem in Concilio visus non fuisset. Ferunt aliqui eum ab Eusebianis in alia Regione fuisse detentum, sed cum resciisset Athanasium sui causa periclitari, noctu auffugisse, & ad eum impigre se contulisse; ubicunque autem fuerit, discreto Tyrum venit ad S. Athanasium, qui virum domi suæ occultavit in eam usque horam, qua accersitum in Concilio produxit.

Arsenius.

Arsenius ergo in Concilio stabat, pallio tectus, nec videbantur manus; Athanasius ex uno latere pallium levans, unam manum detexit, omnes, exspectatione suspensi, curiose intendebant, an etiam alteram ostensurus esset, atque Athanasius veste eum leniter attraxit, quasi moniturus, ut discederet, tum subito, ex altera etiam parte pallium tollens, alteram ejus manum ostendit, & ad totum Concilium sermonem convertens, *ecce Arse-*

nium,

nium, inquit: *cum duabus manibus! nulli vestrum plures natura dedit, accusatoribus ergo meis incumbit, indicare, qua corporis parte tertia hujus viri manus hæserit, aut certe vestri muneris est, examinare, cujus corporis fuerit manus illa, quam vobis exhibent?* Ariani exclamare; Athanasium esse veneficum, præstigiis hominum oculos deludentem. Joannes Meletianus in isto tumultu loco egressus, auffugit. Alii furiose in S. Athanasium insiliunt, atque haud dubie interfecturi erant, nisi Comes Archelaus, aliique Imperatoris Officiales virum e manibus eorum eripuissent; nec aliud, ut vitæ securum præstarent, superfuit remedium, quam ut navigio impositum per nocturnas tenebras furtive dimitterent. Accusatores Athanasii, ut quamdam veritatis speciem obtrectationi illinerent, ajebant; aliquem Episcopum Athanasio subditum, nomine Plusianum, jussu ejus flammas Arsenii ædibus injeciisse, ipsumque columnæ alligatum, & loris cæsum, quodam cubiculo inclusisse, unde Arsenius effugisset, hinc gravissimam fuisse suspicionem, ut mortuum crederent, atque necessarium, ut, quid ipso factum sit, inquirerent, esse enim virum illustrem, & Confessorem. Quod ad Magiæ crimen, S. Athanasio objectum, attinet, ut ut ridicula fuerit accusatio, nihilominus apud

Sæculum IV. A. C. 335.

Sozom. II. c. 25.

Sæculum IV. A. C. 335.

eos, qui eum non noverant, quales erant Gentiles, fidem invenit, quippe Ammianus Marcellinus serio in sua Historia refert, Athanasium Divinationis, & augiuriorum artis habitum fuisse scientissimum. At Christiani scientiam futurorum, quam possidebat, Gratiæ Divinæ attribuerunt.

Amm l. XV. c. 7. Sozom. IV. c. 9. in fine.

§. LII.

Inquisitio in Mareotide. Protestationes.

Athan. 2. Apol. p. 790. Epist. Julii. ibid. p. 746. 747.

Concilii Tyriensis delegati, ubi in Ægyptum pervenerunt, testimonia contra Athanasium in causa Ischyræ perquirebant; Alexandriæ Ægypti Præfectum adierunt, qui assumptis Ministris suis, & militibus iter cum ipsis in Mareotidem ingressus est; erat tunc Ægypti Præfectus Philagrius, ex Cappadocia ortus, pessimæ vitæ homo, Paganus, & Apostata. Militibus quoque paganis imperabat. Delegati, quocunque irent, Ischyram secum deducebant, cum ipsis habitantem, & ad ipsorum mensam comessantem. In Mareotide Ischyræ domum pro hospitio sibi, & Curia delegerunt, ubi in reos inquirerent. Nec Presbyteros urbis Alexandrinæ, aut illos ex Regione Mareotidis, qui veritatem eos edocere promittebant, interrogarunt, sed Arianos, & Ischyræ

schyræ parentes loqui compulerunt; imo Cathechumenorum, Judæorum, & Gentilium testimonia exquisierunt, quamvis de S. Sacrificio, & Mysteriis ageretur, quorum soli Christiani baptizati scientiam haberent, & pro illius temporis Disciplina, quæ in Ecclesia stricte observabatur, nequidem de illis loqui coram non baptizatis liceret. Inter hos testes aliqui stimulante Athanasio a Præfecto Quæstorum in loca ignota abstracti dicebantur, ita, ut ubi essent, nemo sciret, nihilominus præsentes erant, & interrogati testimonia reddebant. Delegati non tantum testes, quos placuisset, seligebant, sed etiam minis, & Philagrii potentia terrebant, signis, quæ responderent, suggerebant, &, qui obedire recusabant, a militibus contumeliose vapulabant. Nihilominus ex his ipsis inquisitionibus contra jus, fasque omne institutis, apparebat, Ischyram, decubuisse domi suæ ægrotum, quando Macarius ad eum venit, non fuisse eam diem Dominicam, nec ullos libros igni traditos; hinc unicum actorum exemplum tradi sibi Delegati jusserunt, nec illud sæpius describi passi sunt.

Sæculum IV. A. C. 335.

Clerici Ecclesiæ Catholicæ contra ejusmodi inquisitionem scripto protestati sunt; Protestatio Clericorum ipsius urbis erat tenoris sequentis: *Episcopis, qui ex Tyro venerunt, scilicet Theogni, Mari,* Mace-

Ap. Athan. Apol. p. 790.

Sæculum IV. A. C. 335.

Concilium Tyriense.

Macedonio, Theodoro, Ursacio, & Valenti, Presbyteri, & Diaconi Ecclesiæ Catholicæ Alexandrinæ sub Reverendissimo Episcopo Athanasio. Oportuisset, cum huc venistis, Presbyterum Macarium vobiscum adducere, quemadmodum accusatorem ejus adduxistis, ita enim judiciorum ordo secundum SS. Scripturas exigit, ut actor cum reo compareat. Cum autem Macarium non adduxeritis, nec Reverendissimus noster Episcopus Athanasius vobiscum venerit, rogavimus vos, ut saltem nobis inquisitioni adesse liceret, quo major actis accederet auctoritas, iisque acquiescere possemus, id denegastis nobis, & soli cum Ægypti Præfecto, & accusatore agere voluistis, ideo declaramus, quod iste modus judicandi nobis sit suspectus, & vester adventus manifesta conspiratio videatur. Hanc igitur vobis damus Epistolam, testimonium coram legitimo Concilio futuram, & omnibus notum fiat, vos in alterius partis absentia, quodcunque placuit, fecisse, vobisque nihil aliud fuisse propositum, quam nos decipere. Hujus Epistolæ descriptum exemplum dedimus Palladio Imperatoris Curatori, ne eam supprimatis, ita enim mala fides vestra nobis perspecta est, ut nullatenus fidere vobis possimus. Actum istud Presbyteri

Act. 25. 16.

sede-

sedecim, & quinque Diaconi signave- Sæculum IV.
rant. A. C. 335.

Similis etiam protestatio ab omnibus Presbyteris, & Diaconis Mareotidis ad Concilium Ecclesiæ Catholicæ directa est, ut veritatem sibi certo cognitam, manifestarent. In ea declarant, Ischyram nunquam Ecclesiæ Ministrorum numero fuisse adscriptum, nisi quod ipse quidem, a Collutho se ordinatum, dixisset, sed a tempore Concilii, quo Osius interfuit, in laicorum censu habitum fuisse; nunquam habuisse in Mareotide Ecclesiam, &, quod de confracto calice Episcopo suo objiceretur, putidum esse mendacium. *Hæc autem*, inquiunt: *eo confidentius asserimus, quia Episcopi nostri individui comites fuimus, quotiescunque Mareotidem visitat, assistimus visitanti omnes, nunquam solus visitat, sed comites habet nos Presbyteros, Diaconos, & de populo plurimos. Delegati neminem ex toto populo Catholico invenerunt, qui malum dicere posset de Episcopo nostro. Nos vero rejecerunt, nec præsentes esse sustinuerunt, ne saltem testimonium ferre possemus, an testes, quos contra Episcopum producebant, Catholici essent, vel Ariani. Cupimus quidam omnes, ad vos ire, sed sufficere credidimus, si quosdam ex nostris cum his Epistolis mitteremus.* Actum i- *Apol. p. 792.*

Apol. 2. p. 794. Not. Imper.

stud a quindecim Presbyteris, & quin-

Sæculum IV. A. C. 335.

decim Diaconis ſignatum. Iidem Presbyteri, & Diaconi Mareotidis aliud actum ad Præfectum Philagrium, Palladium

Cang. Gloſſ. lat. curioſus.

Curatorem, & Antonium Biarcum, Protectorum Prætorii Centenarium miſerunt; Curatores iſti erant quidam Præpoſiti, in vecturas publicas, & generatim ea omnia, quæ ſervitium Imperatoris

ibid. Biarc.

contingebant, intendentes; Biarco incumbebat, invigilare, ne unquam annonæ penuria eſſet. Ultimum iſtud Proteſtationis actum idem factum de Iſchyra compendio continet, atque in epilogo hi Miniſtri Cæſaris, in Nomine Dei, Imperatoris, & Filiorum ejus adjurantur, iſtam rem Imperatori denuntiare. Datum ſub Conſulatu Julii Conſtantii, & Rufini Albini decima Menſis Ægyptii *Thot*, id eſt, ſeptima Septembris anno 335.

Athan. ap. 734.

Ubi Delegati Alexandriam rediere, de eorum comitatu milites invidioſa crudelitate in quasdam Catholicas Virgines peccarunt, gladios in puellas ſtrinxere, earum corpora flagris lacerata, aliquæ ita inhumaniter habitæ, ut omnino debiles, & membris captæ languerent; opifices paganorum, & fæcem plebis in eas concitarunt, a quibus nudatæ, & cæſæ ſunt, ſimulque idololatræ minabantur, ſe eas ad altaria, & Idolorum ſacrificia ducturos, niſi ſacrificarent, occidendas;

unus

unus cœteris insolentior, manu prehensam Virginem Deo consecratam, ad altare casu obvium traxit, quod persecutionum tempore fieri consueverat; Virgines aliæ fugere, & se occultare, Paganis interim Religionem Christianam ludibrio habentibus; imo talia in ipsa domo fiebant, qua Episcopi hospitabantur, ad eorum oblectationem, & risum, rursus hæc die jejunii, & ab hominibus de eorum mensa surgentibus. Sæculum IV. A. C. 335.

§. LIII.

Concilii Tyriensis finis.

Delegati, Tyrum reversi, S. Athanasium ibi non invenerunt, postquam vero acta inquisitionis relata sunt, Eusebianis motoribus depositionis sententia contra eum lata est cum prohibitione, ne Alexandriæ maneret, ejusque præsentia novos tumultus excitaret. Plerique Episcoporum huic sententiæ subscripserunt, quamvis essent, qui constanter recusaverint, & inter illos Marcellus Ancyranus. Concilium scripsit ad Constantinum, & depositionem Athanasii notam fecit, scripserunt quoque ad omnes Episcopos, ne eum ad communionem admitterent, litteras ei nec scriberent, ne scriptas reciperent. Condemnationis ejus causam ponebant; ipsum, postquam diu & frustra *Socr. I. c. 32.* *Soz. II. c. 25.*

Sæculum IV. A. C. 335.

stra Cæsareæ fuisset exspectatus, tandem Tyrum venisse valido præsidio stipatum, ibi tumultum excitasse, noluisse respondere, judices suos detrectasse, & multis Episcopis injurias irrogasse; ex inquisitione in Mareotide convictum esse, quod calicem confregerit, præter alia crimina quorum succincte mentionem faciebant, non omisso Arsenii parricidio, quamvis illius nomen inter illos, qui huic sententiæ subscripserant, legeretur.

Concilium, antequam sessionibus finem faceret, Joannem Meletianum cum omnibus suis Sectatoribus ad Ecclesiæ communionem recepit, & suos singulos honores asseruit, tanquam hominibus injustam persecutionem passis. Ischyræ nomen Episcopi dederunt, & ab Imperatore obtinuerunt, ut Quæsturæ in Ægypto Præfectus ei Ecclesiam Secontaturæ ædificare juberetur, quasi ad reparandum damnum Ecclesiæ illius, quam Athanasius destruxisse dicebatur, quamquam in illo loco nunquam vel Episcopus, vel Chor-Episcopus fuisset. Omnes Ecclesiæ in Mareotide Episcopo Alexandrino erant subjectæ, & decem ferme oppida grandiora numerabantur, quorum singulis Presbyter præerat, sed Ischyræ pagus ita erat modicus, ut agrestes ad Ecclesiam vicini oppidi accederent. Hæc creatio Episcopatus sine populo antiquæ Traditioni,

Athan. 2. Apol. p. 802.

ditioni, & omnibus Canonibus repugnabat; verum Eusebianis consultum non erat, Ischyræ causam irascendi dare, ne rei veritatem aperiret. Jamque in eo erant, ut opus suum perficerent, & Arium ad Ecclesiæ Communionem susciperent, cum adsunt Epistolæ Imperatoris, quibus conventui finem facere, & cito Jerosolymam se conferre jubebantur, Ecclesiam ab Imperatore ædificatam dedicaturi. Hoc mandatum Marianus, Imperatoris Notarius, quod munus erat præcipuum, Episcopis attulit. Sæculum IV. A. C. 335.

§. LIV.

Dedicatio Ecclesiæ S. Sepulchri.

Tyro igitur profecti, curribus Cæsareis Jerosolymam delati sunt, ubi & alios invenerunt Episcopos, a Constantino ex omni parte, & magno numero illuc convocatos. Hinc frequentissimus fuit conventus, sed, quinam fuerint illi Episcopi, præter illos, qui Tyro advenerant, & quemdam Episcopum Persam, qui S. Millesius Martyr fuisse creditur, non novimus. Populus multitudine innumerabilis ex omnibus Imperii Provinciis confluxerat, insolitam Cæremoniam spectaturus. Omnibus necessaria Imperatoris sumptibus præbebantur, qui aulæ suæ Proceres, ut omnia ordinate procederent, *Eus. vit. IV.* 43.

Sæculum IV. A. C. 335.

derent, sub Mariano Præfecto curatur submiserat; is magnam pecuniæ vim & plurimas vestes in pauperes distribuit & Imperatoris Nomine pretiosa donar ornandæ novæ Ecclesiæ obtulit.

Eus. III. vit. c. 24. 35. 36. &c.

S. Sepulchri caverna, cujus gratia t tum ædificium fuerat excitatum, ext rius excellentis operis columnis, & m gnifico ornatu erat decorata. Inde tra situs erat in spatiosam aream marmo stratam, & longis porticibus circumd tam a tribus Regionibus, nempe exc pta regione Orientis, qua assurgebat E clesia, quæ tam altitudine, quam long tudine & latitudine omnium admiratio ne digna erat, intus diversi coloris ma more vestita, exterius exstructa lapid bus, ita politis, & æqua superficie jun ctis, ut pulcherrimi marmoris venust tem referrent. Tectum erat ex plumbo intus laqueatum, & opere sculptili o natum, cui aurum superinductum, ocu lorum aciem fulgore hebetabat. Ad u trumque Ecclesiæ latus porticus duplici contignationis inferior una, & altera s perior tollebantur, & Ecclesiæ longitu dinem æquabant, harum quoque form ces auro splendebant; quæ Ecclesiæ cor pus contingebant, magnis columnis fu ciebantur, remotiores decoratis parast tis nitebantur. Tres erant portæ ad O rientem, id est, ingredientes faciem ad Orien-

Orientem vertebant; (*) intrantibus in eminentissima totius Ecclesiæ parte semicirculus objiciebatur duodecim columnis in honorem SS. Apostolorum coronatus, quarum capitella magnis ex argento vasis decorabantur. Hic locus erat Presbyterium, seu Sanctuarium, in cujus medio altare erigebatur. Sæculum IV. A. C. 335.

Ex Ecclesia, & area, quam descripsimus, exeuntibus patebat vestibulum, similiter porticibus utroque ex latere cinctum, inde per portam, qua sola ad universa hæc ædificia erat aditus, ad forum rerum venalitiarum exibatur; huic quoque vestibulo sua erant ornamenta, quæ vero intus conspiciebantur, transeuntes in stuporem rapiebant. Talis fuit Ecclesia S. Sepulchri, Eusebio, qui Dedicationi adfuit, referente; adjungit; Imperatorem munificentia Regia innumera vasa aurea, & argentea unionibus distincta huic Ecclesiæ dono dedisse. Cæterum, qui hodie sacra Loca visitant, frustra tantæ magnificentiæ vestigia quærerent, sæpius *Theoph. p. 252. Chr. Pasch. inf. Lib. XXXVIII. n. 1.*

(*) Ad hunc locum P. Balduinus dicit, errare Fleurium, sed ingredientes facie ad Occidentem fuisse conversos, & erudite probat, pleraque antiquis temporibus templa ita fuisse posita, ut solis orientis radii in Portam majorem inciderent. Sit error! at nulla mala fides.

Sæculum IV. A. C. 335.

sæpius enim hoc templum exinde de-
structum, & reparatum; primo flamm-
vastatum a Persis anno 614. Imperato-
Heraclio, iterumque destructum an-
1000. ab Azizio, vel filio ejus Califaru-
Fatimitarum aliquo, & ferme triginta p-
annis ab Imperatore Michaele Paphl-
gone restauratum. Circa Ecclesiam
Constantino ædificatam nova Civit-
condita, quæ non nullis Jerusalem nov-
a Prophetis prædicta videbatur; ha-
certum quod hæc nova in alio loco, quam
illa antiqua steterit, extra quam sepul-
chrum, & mons Calvariæ fuerat situs
Abhinc non amplius Ælia dicta est, no-
men, quod ei Imperator Adrianus anti-
ferme ducentos annos dederat, sed pri-
stino nomine Jerusalem vocabatur, atque
exinde semper a Christianis peregrinis
quos ex omnibus mundi partibus pietas
attrahit, frequentatur.

Glaber. Lib. III. c. 7. Cedren. an. 6518. p. 706. id. 73. Eus. III. vit. c. 3.

Sup. L. III. §. 24.

Durante Dedicationis festivitate, E-
piscopi populos variis pietatis exercitiis
occupabant; hi Sacrificia incruenta, &
preces offerebant pro Ecclesia, Imper-
tore, & filiis ejus. Qui scientia, & facun-
dia præstabant, pro concione perorabant,
sive ut, quæ de SS. Scripturis lecta erant,
explicarent, & sensus Mysticos aperirent,
sive sublimiorem Theologiam docerent,
seu denique orationibus panegyricis Im-
peratoris virtutes exornarent, & suis de-
scriptio-

Euf. IV. vit. c. 43.

scriptionibus novæ Ecclesiæ magnificentiam extollerent; in hoc dicendi genere Eusebius Cæsariensis non ultimam laudem promeritus est. Hæc Dedicatio eodem tempore, quo Festum S. Crucis, nempe 13. Sept. anno 335 celebrata. Sæculum IV. A.C. 335.

§. LV.

Concilium Jerosolymitanum, in quo Arius recipitur.

Hæc quidem gesta exterius apparebant, at in Episcoporum conventu, quibus Concilium constabat, alia agebantur. Arius cum Epistola Imperatoris, & fidei Confessione, quam ei præsentaverat, advenit, quippe eum Imperator sæpius, ut ad se veniret, invitaverat, quod eum sincere de erroribus suis doliturum speraret, & Alexandriam remittere vellet; tandem Constantinopolim cum Euzoio Diacono, secum a S. Alexandro Alexandrino deposito, se contulit, ibique ambo Libellum Imperatori obtulerunt hujus tenoris: *Constantino Domino nostro piissimo, & Deo dilectissimo, Arius, & Euzoius. Domine! fidem nostram tibi exponimus, & scripto coram Deo declaramus, nos, & qui nobiscum sunt, credere, quæ sequuntur: nempe in unum Deum Patrem omnipotentem; & Dominum nostrum JEsum Christum Filium ejus, de ipso pro-* *Socr. I. c. 25. 26.* *Soz. II. c. 27.*

Sæculum IV. A. C. 335.

ductum ante omnia sæcula, Deum Verbu per quem omnia facta sunt in cælo, & terra, qui descendit, incarnatus est, pa est, resurrexit, & ascendit in cælos, iterum venturus est judicare vivos, mortuos; & in Spiritum Sanctum; c dimus Resurrectionem carnis, vitam æ nam, Regnum Cælorum; & in un Dei Ecclesiam Catholicam extensam Oriente ad Occidentem. Hæc est fid quam ex SS. Scripturis hausimus, Dominus dicit Discipulis suis: ite, docete omnes nationes, & baptizate in Nomine Patris, & Filii, & Spiri Sancti. Si non ita credimus, & non re Patrem, Filium, & Spiritum S. re pimus, sicut Ecclesia Catholica, & cut SS. Scripturæ docent, quibus in mnibus fidem habemus, Deus nos mo & in futuro judicio puniat. Quam obrem supplicamus tibi, piissime Imp rator! cum filii Ecclesiæ simus, & dem Ecclesiæ, & SS. Scripturarum t neamus, ut nos Ecclesiæ, Matri nostræ restitui jubeas, & omnes quæstiones, co baque superflua rescindi, sicque univer tranquilla Ecclesiæ pace consuetas pre ces pro incolumitate tua, tuæque fam liæ ad Cælum mittamus.

Hæc fidei formula Constantino nul reprehensione digna visa est, parum a tendens, vocem consubstantialis, aut quiv

quivalentem non ineſſe, ſed econtra nomine generali verborum ſuperfluorum rejici, clauſulamque iſtam, qua diceret Arius, & ſocii ejus, ſe ſecundum Scripturas credere, fallaciam eſſe, ut S. Scripturæ voces, Filio Dei divinitatem, æqualem Patri, clariſſime aſſerentes, prout ipſis lubuiſſet, explicare poſſent. (*) Itaque credulus Imperator Arium, & Euzoium bona fide, ut ipſe putabat, Decreta Concilii Nicæni amplexos eſſe, gaviſus, neutiquam tamen ſibi ipſi jus arrogavit, non exſpectato judicio eorum, quibus juxta Legem Eccleſiæ hæreticos examinare competebat, ad communionem eos recipiendi, ſed ad Concilium Jeroſolymitanum remiſit, jubens, ut eorum fidei profeſſionem perpenderent, & abſolverent, ſi orthodoxos eſſe, & per invidiam accuſatos appareret, aut ſi, legitime quidem condemnatos, jam ſeria pœnitentia duci conſtaret. Epiſcopi ejus factionis læti occaſionem, jam dudum exoptatam, arripuerunt, & Arium, Euzoiumque cum Presbyteris Sectatoribus eorum, & tota populi multitudine, quæ ſchiſmate Ariano ab Eccleſia fuerat ſeparata, ſuſceperunt.

Sæculum IV. A C. 335.

Concilium Jeroſolymitanum.

Socr. I. c. 33. Soz. II. c. 27.

(*) Exemplum perantiquum contra Proteſtantes! Solam Sacram Scripturam ad ſolvendam de Fide Quæſtionem absque teſtimonio Eccleſiæ non ſufficere.

Sæculum IV. A. C. 335.

Epistola Synodalis ad Ecclesiam Alexandrinam, Episcopos Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, & Pentapolis, & generatim omnes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos totius mundi directa erat; *Summo gaudio affecti sumus*, inquiebant, *Epistolis, quas Imperator ad nos scripsit exhortans nos, ut ab Ecclesia Dei impudiam, qua effectum, ut membra JESU Christi tanto tempore a reliquis fuerunt separata, eliminemus, & in Charitatis viscera, eos, qui Arium secuti sunt, recipiamus. Imperator testatur, puram esse fidem eorum, quam optime novit non ex aliorum relationibus, sed ex ipsorum ore, & quod hujus fidei professionem scriptam legerit; hanc ad calcem Epistolarum ad nos misit, eamque esse orthodoxam & Ecclesiæ Doctrinæ consentaneam agnovimus. Nulli dubitamus, hanc reconciliationem vos tenerrimo lætitiæ sensu repleturam, dum fratres vestros, Fratres, & viscera vestra recipietis, non enim solummodo de Presbyteris, qui cum Ario senserunt, hic agitur, sed de omni populo ipsius causa a vestra Communione avulso; cum igitur dubitare jam non possitis, quin a S. Concilio recepti sint, & vos in Spiritu pacis eos recipite, eoque lubentius, quod ex eorum fidei professione clare dispiciatur, eos Traditionem, & Doctrinam Apostolicam, universim ab omni-*

Athan. de Syn. p. 890.

Soz. II. c. 33. Socr. I. 36.

bus

bus receptam, tenere. Marcellus Episco- Sæculum IV.
pus Ancyranus, Galatiæ Metropolitanus, A. C. 335.
huic Concilio non interfuit, quod in receptione Arii nullam partem habere vellet; Ariani, ut compareret, citarunt, insimulantes eum, quod errores circa fidem scripsisset, in libro, quem ad refutanda scripta Sophistæ Asterii, fervidi Arianorum Sectatoris, composuerat; dum huic accusationi intenti sunt, improviso Imperatoris Imperio Constantinopolim vocantur, ut de sententia in S. Athanasium lata rationem redderent.

§. LVI.

S. Athanasii exceptio coram Imperatore. Exilium ejus.

Sanctus Athanasius Tyro auffugiens Constantinopolim concessit, cumque Imperator equo vectus urbem intraret, derepente in media platea cum quibusdam sociis obvium se dedit; Constantinus, cui nihil minus in mentem venire poterat, quam Athanasium jam esse Constantinopoli, subito occursu in admirationem raptus, nec eum agnoscens, interrogat, quis esset? aliqui ex Cæsaris comitatu eidem viri, olim noti, memoriam refricarunt, quantam injuriam passus esset, referentes; Athanasius audiri, si Cæsari opportunum esset, rogabat,

Socr. I. c. 32. 34. Sozom. II. c. 28. Athan. Apol. 2. p. 804.

Sæculum IV. A. C. 335

quod ille recusavit, nolens cum viro, Concilio Episcoporum condemnato, communicare, parumque abfuit, quin a conspectu repelli juberet; Tum vero S. Athanasius, *Deus*, inquit, *inter me*, &c. *judicabit, quia calumniantibus me conjungeris*; & audacter instabat; nullam aliam se petere gratiam, quam ut ii, quibus condemnatus esset, comparere juberentur, & ipse se coram Cæsare defenderet. Tunc æqua postulare Imperatori visus est, & regulis, quas sibi semper servandas proposuerat, conformia; igitur omnes Episcopos, antea Tyri congregatos, Constantinopolim advocat, ubi eorum omnium, quæ ibi gesta erant, rationem redderent, namque plurima contra legitimum ordinem, & non sine tumultu acta dicebantur. Ubi hæ Cæsaris litteræ Jerosolymæ Episcopis reddita, nequaquam omnes simul Constantinopolim ire ausi sunt, quod tamen expresse jubebatur, sed Eusebianorum solertia statutum, ut non plures sex delegatis proficiscerentur ad Cæsarem, nempe duo Eusebii, Theognis, Patrophilus, Ursacius & Valens. Reliqui ad suas Ecclesias redierunt.

Epiph. hær. 68. n. 8.

Delegati Constantinopolim advenientes, nihil amplius de calice, nihil de Arsenio, sed novam calumniam excogitarunt, Athanasium auditum fuisse minantem,

nantem, effecturum se, ne imposterum frumentum Alexandria Constantinopolim transveheretur; illico Imperator iracundia exardens, terribilibus minis in Athanasium erupit, nihil enim æque ipsi cordi erat, ac urbis suæ Constantinopolis magnificentia, de qua actum erat, si commeatus ex Ægypto occluderentur. Ob hujusmodi delicti suspicionem Philosophum Sopatrum capite mulctaverat, antea sibi dilectissimum. Hanc accusationem, & Imperatoris minas quinque Episcopi Ægyptii præsentes audierunt, Athanasii Comites, nempe Adamantius, Anubianus, Agathammon, Arbethion, & Petrus. Athanasius ingemiscens, falsam esse accusationem protestabatur, *unde enim*, ajebat: *mihi homini privato, & pauperi tanta potestas?* At Eusebius Nicomediensis publice calumniam propugnabat, quam ut redderet verisimiliorem, Athanasium esse virum divitem, potentem, & tanto molimini non imparem jurejurando affirmabat. His ergo Episcopis facilis Imperator fidem habuit, cum hos versipelles bona fide agere crederet, multumque suæ clementiæ tribuebat, quod Athanasium supplicio capitali non tolleret, sed pœna mitiori Treviris, illa tempestate Galliarum metropoli, exulare juberet. Nihilominus S. Athanasius Constantinum excusat, fateturque minus id

Sæculum IV. A. C. 335.

Athan. 2. *Apol. p.* 805. *Syn. Alex. ib. p.* 729. 730

S. Athanasius

Theod. I. 30.

Apol. 2. *pag.* 808.

Sæculum IV. A. C. 336.

factum puniendi animo, quam ut se inim corum furori eriperet. Eusebiani Imp ratorem permoverunt, ut cum eo qu tuor Presbyteri Alexandrini proscri rentur, & alium Episcopum in S. Athan sii Sedem intrudere voluerunt, illum v ro, quem ipsi suggerebant, mittere Imp rator renuit, & cum instarent, tanta con motione respondit, ut a proposito dete riti, quiescerent.

Athan. Apol. 2. 740. ad solit. 844.

S. Athanasius Treviros pervenit in tio mensis Februarii, anno 336. erat urb ista primæ Provinciæ Belgicæ caput, & ordinaria Præfectorum, aut etiam Imp ratorum, quandocunque in Galliis mor rentur, sedes, locus nempe ad repellen dam Germanorum vim opportunus, qu in Romanorum terras irrumpere num quam non moliebantur. Episcopus Tre virensis tunc erat Maximinus, fidei pur tate, morum sanctitate, & miraculis il lustrissimus, nobili stirpe natus Pictavii cui urbi frater ejus Maxentius Episcopus præerat; ipse, sicut plures alii, Treviros venit, Episcopi Agritii famam secutus, ubi sub ejus Disciplina educatus, & ad functiones Ecclesiasticas vocatus, eo deinde defuncto, Cleri populique suffragiis atque vicinorum Episcoporum electione in Sedem Trevirensem suffectus est. Talis erat Maximinus, qui Athanasium exulem, & Cæsaris iracundia obrutum, tamen

vita S. Max. ap. Socr. 29. Maji.

men reverenter suscepit; id quoque verum, a Constantino juniore, Imperatoris filio, tunc in Galliis imperante, & Treviris residente, non honoribus modo, sed omnibus ad sustentationem necessariis fuisse cumulatum; ad hæc permovebatur optima Athanasii fama, & digna fastigio viri specie, quodque sciret, quanto eum affectu populus Alexandrinus prosequeretur. Tunc etiam in S. Romana Sede novus successit Episcopus; S. Sylvester Papa, postquam ferme viginti duobus annis sedisset, obierat ultima die Decembris anno 335, & Marcus decima octava Januarii anno 336. electus fuerat. Sæculum IV. A. C. 336.

§. LVII.

Concilium Constantinopolitanum. Marcellus Ancyranus depositus.

Interim Constantinopoli Concilium agebatur Episcoporum ex diversis Provinciis, Ponto, Cappadocia, Asia, Phrygia, Bithynia, Thracia, aliisque Europæ partibus congregatorum. Alexander Episcopus Constantinopolitanus, videns in eo Eusebianos dominari, obsistebat quidem, sed frustra. Causa Marcelli Ancyrani movebatur, & accusatio Jerosolymæ in medium prolata renovabatur, cujus caput erat, quod in libro suo contra Sophistam Asterium hæreses scripsisset. *Euſ. Marcel. L. 2. in fine. p. 55. Sup. §. 55.*

Sæculum IV. A. C. 336.

phistæ dicebantur, qui, professo studio Philosophiæ, & Eloquentiæ operam dabant; Asterius, in Cappadocia natus, hanc artem in Galatia docuerat, eamque reliquerat, ut se Christianum profiteretur, imo S. Luciani Antiocheni Discipulus fuisse ferebatur; hoc autem de eo exploratum erat, quod in Persecutione Maximiani Idolis sacrificaverit, quæ macula impedierat, ne ab Eusebianis inter Clericos susciperetur, quamvis inter eorum Discipulos esset facile zelosissimus, nunquam a latere eorum discederet, & in ipsos Episcoporum conventus ab eis induceretur. Is Eusebianorum consilio librum scripserat, eorum erroribus refertum, id est, nefandis Arii blasphemiis; percurrens Syriam, omnibus hunc librum ostendebat, audebatque in Ecclesiis Clericorum loco sedere, & publice prælegere. Marcellus Episcopus Ancyranus, Galatiæ Metropolitanus, hunc librum refutare aggressus, alium composuit, cui titulum dedit: De Subjectione Domini N. J. C. in quo illa S. Pauli explicabat verba: Cum tradiderit Regnum Patri, & reliqua. Eusebius Cæsariensis tres libros scripsit, quos hodieque habemus, quibus Marcello respondet. Acacius ejus Cæsareæ Successor, de eadem materia scripsit. Ipse Asterius proprium librum defendit, scripsitque contra Marcellum, eum

Athan. de Synod. pag. 887.

Hilar. contr. Arianos.

1. Cor. 15. 24.

eum Sabellianismi accusans; hæc quippe erat familiaris Arianorum in Catholicos objectio; eaque accusationis contra Marcellum Jerosolymæ formatæ, & Constantinopoli renovatæ fuit fundamentum. Sæculum IV. A. C. 336.

Eusebiani quoque Marcellum jactabant a se convictum, quod Pauli Samosateni Doctrinam teneret, diceretque, Filium Dei initium ex Maria sumpsisse, & Regnum ejus finem habiturum. Imo dicebant, eum promisisse, se librum suum flammis traditurum, quod cum facere detrectaret, & constanter eorum sollicitationibus resisteret, Imperatoris iram in eum concitarunt, obtendentes, ab eo palam mandata Cæsaris contempta, cum Dedicationi Ecclesiæ Jerosolymitanæ interesse noluerit. Ergo Marcellum deponunt, imo & excommunicant, & in ejus locum Basilium sufficiunt, qui eloquens, aliisque instruendis par esse ferebatur. Istum evehendo, potentem Sectæ suæ defensorem conciliare putabant. Eodem tempore fidei suæ expositionem scripsere, Marcelli hæresibus, sua quidem opinione, oppositam, quam ad Episcopos Orientis miserunt, ut omnes scirent, in quo sensu Doctrinam Consubstantialitatis recepissent; cum enim Symbolum Nicænum, quæ erat fides Imperatoris, aperte impugnare non auderent, explicationibus captiosis eludere conabantur. *Socr.* 6. *Sozom. II.* c. 33. *Athan. in Aria.* I. p. 290. *Epiph. hær.* 73. n. 11.

§. LVIII.

Sæculum IV.
A. C. 336.

§. LVIII.

Arii mors.

Ruf. I. II. Socr. c. 37. Sozom. II. c. 29.

Illud vero, quod Eusebiani in hoc Concilio sibi maxime perficiendum proposuerant, erat Arii Restitutio in integrum. Is tunc præsens erat, utpote quem Imperator, ut factorum suorum rationem redderet, acciverat; quippe postquam Jerosolymæ receptus fuisset, Alexandriam iverat, quod speraret, S. Athanasii absentiam rebus suis profuturam; at populus Catholicus redeuntem non sustinuit, &, Arii Sectatoribus resistentibus, tumultus exorti sunt, quibus ad Imperatorem delatis, Arius Constantinopolim venire jubetur; non defuere, qui hoc ipsum mandatum Eusebianos a Cæsare exoraſſe dicerent; utcunque autem hoc sit, Arium, Cæsaris imperio tunc præsentem, in urbe Cæsarea, & ante faciem totius universi ad Ecclesiæ communionem recipere voluerunt. S. Alexander tunc Constantinopoli Episcopus, jam nonagenario major, constantia invincibili illorum molitionibus resistebat, cumque adventum Arii impedire non valuisset, saltem præsentem nullo honore dignatus est; Eusebiani, ut hujus Presbyteri misericordia moveretur, & in Spiritu pacis reciperet, rogabant, aliosque submittebant, qui eorum perfidiæ ignari, rogabant, ut in isto

reci-

recipiendo manſuetudinis ſpecimen daret; reſpondebat Alexander: *Manſuetudo hæc in Arium in infinitum aliorum numerum crudelitas foret; Leges Eccleſiæ non permittunt, me falſa clementiæ ſpecie illis Decretis contravenire, quæ ego ipſe cum toto Sancto Concilio Nicæno ſervanda judicavi.* Sæculum IV. A. C. 336. Arius.

Euſebiani, experti nihil hic ſibi prodeſſe fraudes, aperte in Alexandrum invehi, & minari, niſi certo die, quem ſtatuebant, Arium reciperet, ipſum ſua Sede deponendum, ipſoque in longinquas Provincias relegato, alium Epiſcopum ſubrogandum, qui Ario, & Diſcipulis ejus communicaturus eſſet. Quanta horum hominum eſſet potentia recens S. Athanaſii exemplum oſtendebat, atque ad extremam neceſſitatem redacta videbatur Eccleſia; tunc S. Jacobus Niſibitanus, qui tunc Conſtantinopoli degebat, Fidelibus ſuaſit; ad Deum recurrerent, & ſeptem dierum jejuniis, precibusque cæleſte auxilium expoſcerent; facile perſuaſit vir, miraculorum, & Prophetiæ dono, quod omnes ſciebant, præditus; Alexander ſuo exemplo præibat, vanis colloquiis, & contentionibus renuntiavit, dumque Euſebiani clandeſtinis machinationibus vacant, ſolus in Templo pacis perſeverabat, ibique ante altare prona in terram facie, flens ubertim, integris noctibus orare non ceſſabat. Euſe-

Epiph. hær. 69. *n.* 10.

Theod. in Philoth. c. 1.

Socr. 1. *c.* 7.

Sæculum IV. A. C. 336.

Eusebiani Imperatori persuaserunt Arium Doctrinam Ecclesiæ tenere; huic fundamento innixi certam diem Dominicam statuunt, qua efficerent, ut is Communionem recipi deberet; præcedenti Sabbato Constantinus, ut de Ariana mente certus esset, in Regiam vocatum interrogat, an fidem Nicænam profiteretur, cui respondit Arius; quod sic, atque hanc ipsam Professionem scriptam petenti, statim tradidit. Ea arte erat concinnata, ut hæresis non appareret, sed solummodo S. Scripturæ verba; rursus quærere Constantinus, an non aliter, quam hic expressum esset, crederet, subjungens: *si sincera mente loqueris, ne timeas, Deum in veritatis testimonium invocare, si autem pejeras, Dei vindictam time!* juravit Arius, nunquam se dixisse, aut scripsisse aliud, quam in hac charta contineretur, nec unquam errores docuisse, propter quos Alexandriæ fuisset condemnatus. Fuere, qui dixerint, chartam, quam manu tenebat, fuisse Symbolum Nicænum, simul vero sub brachio aliam pressisse, qua vera ejus Doctrina continebatur, ad quam etiam suum juramentum referri voluisse. Sed, ut ut hæc fuerint, hoc juramento deceptus Imperator, vocato ad se Alexandro, ait; homini salutem suam quærenti, auxiliatricem manum esse porrigendam; Alexander, veriora Imperatori de-

Socr. l. c. 38. Athan. ad Serap. pag. 670.

Libell. Marcell. & Fausti. p. 18.

mon-

monstrare conatus, ubi his sermonibus irritari vidit, tacuit, & recessit. Sæculum IV. A. C. 336.

Eusebiani ab Imperatore revertenti occurrunt, Arium comitantes, quem pariter Regia egredientem susceperant medium, & per urbem ovantes deducebant, ut ab omnibus videretur. Ipsa hora ad Ecclesiam eum ducere volentibus, restitit Alexander; tum ipsi minaciter ajebant; se auctoribus Arium ipso invito Constantinopolim fuisse advocatum, se quoque effecturos, ut ipso invito etiam ad Communionem die postera susciperetur, & Eusebius Nicomediensis ad Alexandrum hisce verbis, *si sponte tua*, inquit: *recipere nolis, crastina, ubi illuxerit, mecum in Ecclesiam deducam, an tu resistes? & quibus viribus?* Alexander dolore obrutus, statim duobus tantum comitantibus, quorum unus erat Macarius Presbyter Alexandrinus, Ecclesiam intravit; ibi vir senex, & Sanctus, largissime lachrymis perfusus, & ante altare se prosternens, facie terram tangente orabat: *Domine! si futurum est, ut crastina Arius in Ecclesiam recipiatur, eripe servum tuum de hoc Mundo; aut si adhucdum Ecclesiæ tuæ misereris (scio autem, quod miserturus sit) vide Eusebii insolentiam, & judica! ne hæreditatem tuam contemptui haberi permittas! Arium ex vivis tolle! ne si Ecclesiam tuam ingressus fuerit,*

Athan. 1. *cont. Arian.* *Id. ad Serap. p.* 670.

Arii funestus exitus.

Sæculum IV. A. C. 336.

rit, simul cum eo hæresis invecta videatur

Alexandro die Sabbati circa horam tertiam pomeridianam ita orante, Eusebianos adhucdum Arium quasi pompa triumphali circumducebant, qui jam victoriæ suæ curus levibus dictis animi vanitatem prodebat. Prope aream Constantini, quæ statua Porphyrica stabat, tremore, & conscientiæ remorsu correptus, urgente simul quadam necessitate corporis, locum publicum levandæ alvo commodum petiit, qualia in magnis urbibus non deerant.

Socr. 1. c. 38. *& ibi Vales.*

Cum talis locus post areæ illius domos fuisset indicatus, intravit, & post aliquam moram a requirentibus, magna sanguinis copia emissa, ibi inventus est mortuus.

Hujus mortis rumore per urbem sparso, Fideles ad Ecclesiam concurrunt, ob gratiam visibilem, qua veritatem defendisset, Deo gratias acturi, nec Arii fatum, causæ naturalis, sed orationis effectum æstimabant, quem Alexander, & Jacobus Nisibitanus a Deo impetraverant; atque horrendam hanc mortem cum fatis Judæ proditoris æquiparabant, cujus impietatem Arius esset imitatus. Alexander altera die summo cum gaudio inter solos Fideles S. Sacrificium celebravit, agens Deo gratias, cujus auxilium in tanta Ecclesiæ necessitate non defuisset. Constantinus digitum Dei agnoscens, Arii perjurium celeriter ulciscentis, vere hæreti-

Greg. Naz. or. 16. *Ambr.* 1. *de fide. Grat.* c. 9.

reticum fuisse credidit, eo firmius impo- Sæculum IV.
sterum Nicænæ fidei inhæsurus. Pluri- A. C. 336.
bus Arianorum tristis casus conversionis occasio fuit, qui autem in errore perseverarunt, veneficio sublatum esse virum, affirmabant; ita quidem de hac morte diversi diversa sentiebant, omnibus tamen in eo, quod naturalis non fuisset, consentientibus. Plurimi turmatim ad mortis locum visendum currebant, qui exinde ab omnibus abominabilis habitus, alterque alterum monere, ut sedem funestam vitaret. Donec tandem quidam Aria- *Socr.* II.
nus potens, & dives ibi domum exstruxit, *c.* 30.
& mutata ædificii forma facti memoriam delevit.

§. LIX.

Imperator ad S. Antonium scribit.

Ex deserto erumpens S. Antonii fama us- *vita Ant.*
que ad aures Imperatoris pervasit, *c.* 28.
qui ad eum cum duobus filiis Constantio, *Hier. Chr.*
& Constante epistolas dedit, Patrem ap- *an.* 337.
pellans, & petens responsum. Antonius, acceptis litteris nihil turbatus, Monachos convocat, &, *nolite mirari*, inquit: *quod Imperator ad nos scribat, nempe homo est, sed magis obstupescite, quod Deus voluerit scribere legem hominibus, & per Filium suum nobis locutus sit;* tum has litteras aperire nolebat, dicens, se hominem rudem his respondere non posse; sed cum

Sæculum IV. A. C. 336.

Monachi reponerent, Imperatores e Christianos, iisque forte scandalo fore, se contemptos crederent, eas legi perm sit, scripsitque responsorias, quibus mo ta salutaria Imperatoribus dabat; ne m gni nimis res præsentes facerent, sed turum judicium ante oculos sibi po rent; cogitarent JEsum Christum solu esse verum, & æternum Regem; & te dem rogabat, mites essent in subditos, j stitiam amarent, & pauperum curam g rerent. Hanc Antonii epistolam Impe tores boni consuluere.

Sozom. II. c. 31.

S. Antonius alias deinde ad Impe torem dedit epistolas, sed minus grat in iis S. Athanasii restitutionem petebr rogans, ne calumniis Meletianorum fide haberet. Respondit Constantinus, se j dicium Concilii despicere non pos (nempe Concilii Tyriensis) quamv enim, ajebat: aliqui eorum favore, v odio movente judicassent, Athanasium esse hominem insolentem, superbum, d seditiosum, id tamen de tanto proborum & prudentum Episcoporum numero no credendum. Quippe inter cœteras calu mnias Athanasii hostes seditionis capu maxime extollebant, quod scirent Impe ratorem eo plurimum moveri. Popul quoque Alexandrinus continuis clamori bus, & precationibus, publice indictis sui Episcopi reditum postulabant; Ale

xandr

xandrinis reſcripſit Imperator, eos impotentis inſaniæ arguens, jubetque Clericos, & Virgines acquieſcere. Iterato affirmabat, ſe ſua mandata non retractaturum, nec Athanaſium ſeditionis reum, & judicio Eccleſiaſtico damnatum, revocaturum. Inter hæc relatum eſt, diviſam eſſe Ægypti Eccleſiam, his pro Athanaſio, illis pro Joanne Meletiano ſtantibus; tum Imperator ipſum Joannem Meletianum, cum tamen auctoritate Concilii Tyrienſis fuiſſet reſtitutus, in exilium expulit; id quidem dolentibus S. Athanaſii inimicis factum, ſed Conſtantinus erga illos, quos Diviſionis inter Chriſtianos auctores credebat, animo erat inexorabili. Sæculum IV. A. C. 336.

Reſcriptum exſtat Judæis converſis fovens, datum hoc anno 336. Nepotiano, & Facundo Conſulibus, quo Imperator prohibet, ne Judæi fidei ſuæ domeſticos ad Chriſtiana Sacra transeuntes quocunque demum modo vexare, aut iis nocere audeant, alias ſeveriſſime pro injuriæ irrogatæ gravitate puniendi. Simul mancipia ſeu Chriſtianorum, ſeu cujuscunque alterius ſectæ a Judæis coempta, circumcidi vetat, pœnam injungens, ut, ſi id factum fuerit, Judæus jure Dominii in ſervum privetur, qui ipſo facto libertate donatus ſit. *Lib 5. Cod. Theod. de Jud.* *Lib. 1. Cod. Theod. ne Chriſti. man.*

Sæculum IV.
A. C. 337.

§. LX.

Constantini Baptismus, & obitus.

Euſ. IV. c. 33. c. 56. Conſtantinum Imperatorem jam ætate annos ſexaginta quinque numen tem, hucusque natura tam firma vale dine donaverat, ut ſine moleſtia om militaria exercitia perageret. Tunc b lum in Perſas parabat, & quosdam Epi copos futuros expeditionis comites ap ſed retinuerat; Tabernaculum quo conſtrui juſſerat, a forma portatilis Eccl ſiæ non abhorrens, pretioſe ornatum, *c. 57.* quo cum eis oraret. Cum feſta Paſcha lia adveniſſent, vigiliam pro more cum Fidelibus in oratione transegit, celebranda illius diei lætitia nemini Chri ſtianorum ſecundus, quam ut redder illuſtriorem, præcedente nocte non in E cleſiis modo, ſed in tota urbe Conſtan tinopoli plurimas faces accendi jubebat *ib. c. 22.* quibusdam miniſtris demandata erat cu ra horum ignium, & cereorum, inter quos non nulli viſebantur tantæ molis, ut co lumnæ ardentes dici potuiſſent. Ubi il luxerat optata dies, ut Salvatorem imi taretur, omnibus benefacientem, muno ra populo liberaliſſime largiebatur. Cum hoc anno 337. Paſcha, ut ſolebat, cele braſſet, ægrotavit, & primum a thermis *Euſ. c. 6.* Conſtantinopolitanis, deinde etiam ab *Socr. c. 39.* Helenopolitanis remedium quæſiit, ibi

longo

Sæculum IV. A. C. 337.

longo tempore orationi in Ecclesia S. Martyris Luciani vacavit, atque vitæ finem appropinquare sentiens, baptizari statuit. Igitur hujus Sacramenti necessitatem, & prodigiosam virtutem perpendens, in illo oratorio in terram provolutus, peccata sua confessus est, tumque accepta manuum impositione cum primis precibus Catechumenorum numero adscriptus. Inde Achiron prope Nicomediam devectus, ad convocatos Episcopos in hunc modum locutus est: *ecce adest tamdiu optatum tempus! quo a Deo obtinere spero gratiam salutis, & signum illud Sanctum, quod immortalitatem tribuit; propositum mihi habebam in flumine Jordane baptizari, ubi ipse Salvator baptizatus est, ut nobis exemplum daret; Deus autem, cui, quæ nobis magis utilia sint, perspectum est, in loco isto mihi hanc gratiam conferre dignatur; ergo ne gravemini, mihi baptismum conferre. Si mihi Deus longiorem vitam concedat, propono, omnibus Fidelibus mixtus, ad Ecclesiæ conventus ire, & mihi tales vivendi leges præscribere, quæ Dei Sanctitate dignæ sint.* Vulgaris erat primorum temporum Religio, ut Christiani in Jordane baptizarentur, aut saltem, quod hodieque pie peregrinantes faciunt, pro communi balneo illis aquis ablui. Ita locuto, Eusebius Nicomediensis, & Episcopi præsentes Baptismum

Sozom. 1. 34. *Theod.* 1. *c.* 32.

Constantini Baptismus. *v. Vales. in Euseb. IV.* 16. *Chron. Hier. anno* 338.

Euseb. & Hier. de locis Vales. ubi sup. Eus. IV. vit. c. 62.

Sæculum IV. A. C. 337.

ptismum contulerunt, aliaque Sacramenta, omnibus de more cæremoniis ritè servatis; (*) tum depoſita Purpura alba veſtibus indutus eſt, magnificentia tam Regiam Dignitatem decente; illico ſtatulus ejus undequaque albis ſtragulis natus. Ipſe vero voce elata ad Deum orabat, pro tanto beneficio gratias agens, orationem deinde his verbis clauſit: *vere felix ſum! dignum me eſſe ſpero*

(*) Certe multa ſunt, quæ opinionem contrariam veram eſſe, perſuadere poſſint. Quale illud eſt, quod Zoſimus, Scriptor Gentilis, memoret, Conſtantinum cum eſſet Romæ, antequam Religionem abjeciſſe perſuadente Egyptio ex Hiſpania adveniente. Id facile a Baptismo accipi poteſt, & de Oſio, Epiſcopo Cordubenſi. Quod Conſtantinus Concilio œcumenico interfuerit, Conſtantinopoli feſtum Paſchæ ſplendide celebraverit, quod deinque verum facile eſſe poſſit, S. Sylveſtrum Romæ eidem Baptismum contuliſſe, etſi concedatur, aliqua adjuncta fuiſſe conficta. Euſebius non omni ſuſpicione major eſt teſtis, quia Arianus & ſibimetipſi contrarius, dum ſcribit, Lib. VII Hiſt. c. XXVIII. Philippum Imperatorem fuiſſe Chriſtianum, & ſe Epiſcopo pœnitentiam injunxisse genti ſubjeciſſe, atque hic idem Euſebius de Conſtantino: *Ex omni omnium Imperatorum memoria ſolus Conſtantinus in Chriſti Martyrio renatus.* Hæc & plura Anonymus I. affert ad hunc locum.

Zoſim. in Conſt. init.

tæ immortalis, & Divinæ lucis participem! heu! quam infelix essem, si tantis bonis carerem! tum copiarum Duces cubiculum intrarunt, quibus gementibus, &, ut Deus longiorem vitam ei indulgeret, precantibus, respondit: *nemini magis, quam sibi notum esse, quanti æstimanda essent bona, quæ modo accepisset, nec jam amplius ab amplexu Dei sui retardari velle.* Hæc omnia in festo Pentecostes gerebantur. (*)

Sæculum IV. A. C 337.

Constantinus testamentum condiderat, quo Divisionem Imperii se vivente inter tres filios suos, & nepotes duos factam confirmabat. Jussit quoque, quantumcunque Eusebius Nicomediensis niteretur, aliam ei mentem indere, ut S. Athanasius ab exilio revocaretur. (**) Testamentum hoc Imperator in manus illius Presbyteri deposuit, sibi a Sorore sua Constantia moriente tantopere commendati, cui imperavit, nemini nisi filio suo Constantio traderet. Rebus ita dispositis

Theod. c. 32.

Constantini obitus.

(*) S. Marci obitus, & S. Julii Electio a Fleurio omissa.

(**) Ex his confirmatur opinio, dicentium, Constantinum Magnum S. Athanasium Treviros misisse in Exilium, non puniendi causa, sed ut tantum virum inimicorum suorum furori subduceret; Nec etiam, quamvis Ariani instarent, alium in ejus Sedem evehi Constantinus passus est.

Sæculum IV. A. C. 337.

sitis, Constantinus sub meridiem die Pentecostes vigesima Maji extinctus est, Feliciano, & Tatiano Consulibus, id est anno 337. post triginta, & unius annorum Imperium; si Augustum excepe-

Eus. IV. c. 68. ris nemo alius diutius imperaverat. Corpus

Eus. IV. c. 70. ejus in aureo feretro positum, Constantinopolim delatum est, dumque alicujus ex filiis ejus adventus exspectatur, in præcipua Palatii aula collocatur, multis gradibus purpura stratis elevatum, plurimis cereis in aureis candelabris circum ardentibus, & constitutis, qui ibi diu noctuque vigilarent; insolitum illo tempore spectaculum! solus ex filiis Constantius tempori adfuit, ut Constantino parentaret; is, cæteris proximior, maturius Parentis morbum rescivit, cum tamen ipse advenit, vixerat Constantinus; Constantio jubente corpus cum pompa

ibid. c. 71. Chrys. in 2. Cor. hom. 2. ad. pop. Ant. 66. in Ecclesiam Apostolorum translatum, ipso etiam funus comitante; cum ad Ecclesiam perventum, cum militibus recessit, quod esset adhuc Catechumenus; (*) at Clerici, populusque fidelis

(*) Ecce nova, & non levis conjectura, Constantinum prius fuisse baptizatum, quam ad mortem decumberet! nam hic Constantius Ecclesiam non ingreditur, quod adhuc esset Catechumenus; dum de Constantino legimus, præter illa, quæ superius diximus, ipsum preces publicas in Eccle-

lis consuetas preces, & Sacrificium pere- Sæculum IV.
gerunt. (*) Corpus, dum orarent, in A. C. 337.
exstructo tabulato sublime, deinde in vestibulo Basilicæ prope portam terræ mandatum est, delectis quibusdam, qui in illo loco orantes permanerent.

Ecclesia urbis Helenopolitanæ concepisse verba Eusebii sunt: Lib. IV. c. LXI. *In Martyrum Sacra ade diu versatus, supplices preces, & vota publica adhibuit Deo.*

(*) *Et Sacrificium peregerunt*, und es wurde das Meßopfer verrichtet, hat der Protestantische Uebersetzer ausgelassen, im zweyten Theil auf der 458. Seite. Das ist nicht redlich gehandelt. Uebrigens ist dieses ein auserlesenes Zeugniß, daß man zu allen Zeiten das H. Meßopfer für die Abgestorbenen GOtt dem HErrn dargebracht habe.

Longe meliori fide primum Fleurii Tomum germanice reddidit Anno 1747. Christianus Ernestus Simonetti, Pastor Gœttingæ, qui Textus ab Interprete Nostro corruptos sincere transtulit.

Dicit Fleurius in sua Præfatione ad Tomum I: *Ex quo Apostoli Petrus, & Paulus, Ecclesiam Romanam fundarunt, nunquam non aliquis Papa Christianorum Caput ibi extitit.* Dominus Simonetti id transtulit p. VII: Seit dem die Apostel Petrus und Paulus die Römische Kirche gestiftet, ist zu Rom beständig ein Pabst das Oberhaupt der Christen gewesen. Sincere! at noster Interpres hic, & semper hanc vocem: Caput Ecclesiæ, mutavit, aut omisit. Hic posuit: Der vornehmste Bischof. Lib. I. §. XIV. dicitur

Sæculum IV. A. C. 337.

Constantini Magni memoria Benedicta est in Ecclesia Catholica, quam ingentibus beneficiis cumulavit, universa[m] potentia defendit; qui semper, & ubique sincerum veræ Religionis amorem demonstravit. Inter Sanctos honoratus a Græcis, ejusque festum, Matri Helenæ filiu[s]

Menolog. ibid.

dicitur de S. Paulo: *ut Ecclesiæ Capiti* (S. Petro) *honorem exhiberet.* Interpres noster, omissis verbis; *Ecclesiæ Capiti*, posuit: **als einem grossen Apostel Ehre zu erweisen.** Reliqua in Praefatione de veræ Ecclesiæ Signis, quæ Gœttinganus sincere posuit, ipse corrupit. Fleurius Lib. II. §. LIV. in Excerptis ex S. Justino, dicit: *S. Justinus Sacram Eucharistiam expresse Sacrificium vocat.* Hæc Verba Interpres Gœttinganus pag. 478. retulit. Noster impudenter pag. 442. Parte I. omisit. Lib. IV. §. V. Fleurius dicit: *Les Apotres n'avoient institué qu'un Carême. Apostoli unam tantum instituerant Quadragesimam.* Id Gœttinganus fideliter reddidit. Noster autem pag. 391. **Die Apostel haben nicht eine Fastenzeit eingesetzet.** An non hoc est Lectoribus suis illudere? Præterea quater animadvertit in hac prima Parte Textus ab Interprete nostro depravatos a D. Simonetti sincere refert. Nec diutius immoror. Idem Gœttinganus Pastor noster Interprete prudentior Notas in Ecclesiam Romanæ contumeliam non adjecit, igitur nemo non quærit: Quare Domini Simonetti Editio ipso partu suffocata? mihi quidem videtur, eum sua facturum fuisse, si præmissa Præfatione, & adjectis

filium jungentes, vigesima prima Maji agunt. Omnes vitæ suæ maculas, accepto Baptismo, eluisse credere debemus; erant autem non leves; etiam postquam prodigiose apparentem in cœlo crucem conspexisset, seque Christi Cultorem declarasset. Ex Minervina prima uxore filium

Sæculum IV. A. C. 337.

Zos. l. 2. p. 685. Victor epit. Philostorg. II. c. 4.

adjectis sine Catholicorum injuria Animadversionibus ipsemet e penu sua aliqua exprompsisset, sic enim Lectores non solum Fleurium, sed etiam ipsum Interpretem, ut ita dicam, loquentem audivissent; nam Lectores hodie non Auctoris modo, sed & Interpretis vultum quasi conspicere cupiunt, juxta illud tritum: loquere, ut videam te! Nihilominus sola Fleurii fama, ut arbitror, & præstantissima Historia suffecissent, ut Germanica Editio, quam nulla alia præcedebat, avidissime exciperetur. Aliud ergo obfuerit, necesse est, & quid aliud, nisi illud, quod ex Fleurii Historia Ecclesiastica emicans veritas, a Domino Simonetti Protestante sincere relata multorum Protestantium oculos aperire potuisset? Hinc aliam viam Interpres noster ingressus, ut Bonus Protestans audiret, adjectis Notis Religionem Catholicam insectatus est, atque ea, quæ illam solam veram Christi Ecclesiam esse demonstrabant, corrupit. Inde patet, valde difficile esse, si non impossibile, ut quis simul Bonus Protestans, & fidelis Fleurianæ Historiæ Interpres sit. Quæso! si ex Catholicis aliquis novam Editionem Centuriatorum procuraret, quid dicerent homines? certe Protestantes riderent, Catholici excandescerent.

Sæculum IV. A.C. 337.

lium genuerat, nomine Crispum, quem Cæsarem creaverat, assumpturus quoque ad Imperium, quo ob res sæpius præclare gestas dignus videbatur; nihilominus cum Novercæ calumniis Faustæ secundæ uxoris nimis credulas aures dedisset, juvenem Principem, & filium jussit interimi; exinde cognita Faustæ perfidia, quam præterea convictam tenebat, quod se famulo violandam præbuisset, matris Helenæ suasu eam, balneo tepido lavantem, suffocari præcepit. His pensatis, nemo multum, ut opinor, mirabitur, si facilenimis Arianis, S. Athanasium, & Episcopos Catholicos calumniantibus, fidem adhibuit. Eusebius, virtutum Constantini studiosissimus Præco, fatetur, multos fuisse, qui de nimia ejus facilitate quererentur, quo factum, ut vitia duo maxime noxia dominarentur, nimirum violentia potentiorum, ut insatiabili cupiditati satisfacerent, humiles opprimentium, & falsorum Christianorum hypocrisis, ut ejus favore potirentur, ad Ecclesiam convolantium. Tandem in ferendo de Constantini vitiis, & virtutibus judicio nemo errabit, qui hinc, si quæ mala de eo scripsit Eusebius, & inde, si quæ bona, Zosimus, crediderit.

Euſ. IV. vit. c. 54.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XII.

S. JULIUS, PAPA.
CONSTANTINUS II. CONSTANTIUS, & CONSTANS, IMPERATORES.

§. I.

Dissensio inter Constantini filios.

Sæculum IV. A. C. 337.

Tres Constantini filii, ut testamento jusserat Parens, Imperium divisérunt. Constantinus primogenitus Hispaniam, Galliam, & omnia, quæ citra alpes sita sunt, cepit, Constans natu minimus Italiam, Africam, Siciliam, & Illyricum, Constantio natu secundo Asia, Oriens, & Ægyptus cessere. Erat ipsis Patruus, Julius Constantius nomine,

Euſ. IV. c. 51. Zoſim. l. 2. p. 691. Aurel. Vict. epit.

Sæculum IV. A. C. 337.

ne, filius Constantii Chlori, non illa, qu
Constantinus, sed alia Matre natus, nem
pe Theodora, ex qua Constantius Chlo
rus alium quoque filium susceperat, Da
matium cognomento Hannibalianum
hic sub Constantino Censor fuerat, & de
cedens duos filios reliquerat, Julium Da
matium, & Claudium Hannibalianum
Constantinus Dalmatio Cæsaris Nomen
dederat, atque Thraciam Macedoniam
& Achajam regendam. Hannibaliano
Regis titulum cum potestate in Cappa
dociam, Pontum, & Armeniam; isque
Cæsareæ in Cappadocia sedem habebat.

Aliquamdiu post Magni Constantii
obitum milites nemini, ut ajebant, præ
ter filios ejus parere volentes, fratrem
ejus Julium, & nepotes Dalmatium, &
Hannibalianum occiderunt; has cædes
Constantius secreto mandasse accusatus
est, aut certe nimis leviter consensisse;
alii Constantinum hæc præcepisse, ante
quam obiret, dixere; ut ut res se habeat,
id ipsum novorum Imperatorum augen
dæ potentiæ profuit, Constantii quippe
Ditionibus Thracia cum Cappadocia,
Constantini Achaja, & Macedonia adje
ctæ. Duo filii Julii superfuere diversis
thoris nati, primus, nomine Gallus, ex
Galla, qua etiam Constantii Imperatoris
uxor genita erat, secundus, nomine Ju
lianus ex Basilina, filia Anicii Juliani,
illu-

Zosim. p. 693.

Sozom. V. hist. c. 8.

illustri quidem stirpe, sed pagana. Juvenibus his Principibus despectos esse profuit; Gallo quidem pepercerunt, quod tunc ægrotaret, nec ita affecto corpore diu vivere posse crederetur, Juliani vita infra persecutorum curam fuit, quod necdum infantiam esset supergressus, necdum enim annum ætatis octavum attigerat, natus Constantinopoli sexta Novembris anno 332. Pacatiano, & Hilariano Consulibus, unde dispicitur, Constantini morti, & fratris ejus, atque nepotum cædi aliquot annorum spatium intercessisse. Eusebius Nicomediensis educandorum Galli, & Juliani curam in se suscepit, quia Basilinam Juliani Matrem cognatione remota contingebat. In Cappadociam ad quemdam locum, Marcellum dictum, prope montem Argæum deducti sunt, ubi domus Cæsaris erat, magnificis thermis, fontibus hortisque exornata. Præceptores juvenibus dati, qui eos in litteris, scientiis, & exercitationibus, huic ætati convenientibus, informarent; etiam litteras sacras edocti, cum pronos ad pietatem animos ostenderent, Clericis adscripti sunt, & ordine Lectorum insigniti.

Sæculum IV. A. C. 337.

Ammian lib. XXII. c. 320. c. 9.

§. II.

Sæculum IV. A. C. 337.

§. II.

Ariani Constantium in suas partes trahunt.

Socr. II. c. 2. Soz. III. c. 1. Amm. l. IV. c. 3. XXII. c. 3. Jul. ad Athenienſ. Theod. II. c. 3.

Constantio Imperatore indulgente, regna Palatii Evnuchis erat potentia. hos inter facile Princeps fuit Euſebius cubiculariorum Præfectus, vir ſtolide elatus, avarus, æqui contemptor, & crudelis; cœterum, obſcuro loco natum, tam usque fortuna evexerat, ut Imperatoris animo dominaretur. Hic Euſebius in Arii errores lapſus eſt, illo Presbytero perſuadente, quem Magnus Conſtantinus ſui teſtamenti Depoſitarium fecerat, & cui tanta Principis fiducia auctoritatem, &, quoties vellet, Regiam adeundi libertatem paraverat; quin etiam Imperatricis mentem ſua hæreſi infecit.

Athan. ad ſolit. p. 819. p. 834. p. 856.

Ipſe Imperator in dubium revocare cœpit, quid de hac nova opinione eſſet ſentiendum; jamque omnes in Palatio, fœminæ, Evnuchi, ipſi Regii corporis cuſtodes de hac fidei quæſtione diſputare; inde in privatas familias, tum in alias urbes, & tandem in remotiores etiam Provincias propagatum eſt malum; nam cum non ſine tumultu hæc quæſtio agitaretur, omnes, & ſinguli in quæſtionis materiam inquirebant, moxque ipſi diſputationi implicabantur; attamen Illyricum, & reliquæ Occidentis Regiones nul-

lam

lam in his disceptationibus partem habuere, firmiter Synodi Nicænæ Decretis inhærentes. Tunc vero Eusebius Nicomediensis, & Theognis magnas spes conceperunt, utque S. Athanasio viam, & reditum Alexandriam præcluderent, alium suæ Sectæ Episcopum in illam Sedem intrudere statuerunt. *Sozom. III. c. 1.*

Sæculum IV. A. C. 338.

§. III.

S. Athanasius revocatur.

Hoc illorum consilium Constantinus junior Imperator subvertit, qui S. Athanasium in suam Ecclesiam jam anno 338 remisit cum epistola ad populum Catholicum Alexandrinum data, in qua dicit; S. Episcopum in Gallias missum fuisse, ut inimicorum suorum furori, & certæ morti eriperetur, Magni Constantini mentem fuisse, eum suæ Ecclesiæ restituere, sed morte præventum non potuisse. Et subjungit: *ubi ergo Athanasius ad vos pervenerit, quanto eum honore prosecuti fuerimus, cognoscetis, nec id vobis mirum videatur, vestra afflictio, qua ejus absentiam dolebatis, nobis non ignota, & maximi viri apud nos versantis reverentia ad eum colendum nos moverunt. Cæterum fratres chariſſimi Divinum vobiscum auxilium sit! datum Treviris decimo quinto Calendas Julii*, id est, 17. Junii. Constan- *Athan. ap. 2. p. 805. Theod. l. II. c. 2. V. Pagi ann. 338.*

Sæculum IV. A. C. 338.

ſtantio Imperatore Athanaſii revocati reſiſtere non audente, ipſe, relictis T viris, itineri ſe dedit, poſt annorum d rum, & quatuor menſium exilium. P

Syn. Alex. ap. Athan. 2. Apol. p. 728.

quam per Syriam in Ægyptum trans Alexandriam ingreſſus incredibili om um ordinum gaudio exceptus eſt, Cleric civibus, agreſtibus ad Epiſcopum vide dum turmatim concurrentibus, in om bus Eccleſiis precantium, & Gratias D agentium voces audiebantur. Alii qu que Epiſcopi, ſedibus ſuis pulſi, quos ter Aſclepas Gazenſis, & Marcellus A cyranus erant, reſtituti ſunt. Ariani p lam querebantur, Athanaſii revocatio Eccleſiæ Diſciplinam lædi, nec, a Co cilio Tyrienſi ſua Sede dejectum, ali quam alicujus Concilii Decreto rite re tui poſſe.

§. IV.

Novæ in S. Athanaſium calumniæ.

ap. Athan. p. 724.

Ad tres Imperatores ſcripſere epiſtola multis in Athanaſium criminatio bus congeſtis, prima erat, ipſum, ad Se dem ſuam redeundo, nullius Concilii au ctoritate fultum, Canones violaſſe. Re ditum ejus tumultus, & ſeditionum, A crymarum, & gemituum populi, invic eum recipientis, cauſam fuiſſe. Eccle

Athan. p. 730.

ſias Alexandrinas expilaſſe. Vi, & ca dibus profanaſſe. Redditus a Conſtan tino

tino Imperatore Viduis, & Clericis in Lybia, & aliis Ægypti locis sustentandis constitutos, in usus proprios convertisse, & frumentum illis eleemosinis destinatum, in privatam suam utilitatem, vendidisse. Etiam ab Imperatore Constantio Epistolam obtinuerunt, quæ hoc ultimum accusationis caput testatum faciebat, tantæ accusationes nec apud Constantem, nec Constantinum fidem plene invenerunt, quamvis Eusebiani ad eos misissent, qui veras esse testarentur, nam sua quoque ex parte S. Athanasius quosdam Clericos delegaverat, qui monstrata ejus innocentia inimicis ruborem excusserunt. Sæculum IV. A. C. 338. *ad solit. p.* 815. *Apol. ad Const. p.* 675.

Eusebiani Macarium Presbyterum, Martyrium, & Hesichium Diaconos Romam cum Epistolis ad Julium Papam miserunt, qui non solum S. Athanasium, sed etiam Asclepam Gazensem, & Marcellum Ancyranum accusarent; Delegati isti causam Pisti agebant, ab Eusebianis ordinati & Sedi Alexandrinæ destinati, qui tamen ejus possessionem nunquam cepit; postulabant, ut ei Papa scriberet, sicque cum eo se communionem habere comprobaret. (*) S. Athanasius etiam pro *Julius P. ap. Athan. Ap. 2. p. 743. Epiph. hær. 69. n. 8.*

(*) Ecce! Hæretici quoque Episcopi Romani Communionem exoptant, ut persuadere possint populis, Episcopi a se ordinati legitimam fuisse Electionem.

Sæculum IV. A.C. 338.

sua causa quosdam Presbyteros Roma misit, quos, jam jam urbem ingressu esse, ubi Macario relatum, timens, ne causa Pisti probrose convinceretur, actu, quamvis ægrotaret, & a Papa exi ctaretur, excessit, Martyrio, & Hesic remanentibus. Missi a S. Athanasio, pam docuerunt, hunc, quem Episcopu dicerent, Pistum ex primis Arii Disci lis esse, ipsum, & Secundum Ptolem denum, ejus Ordinatorem, a S. Alexa dro primum, & deinde a Concilio N cæno fuisse excommunicatos; nec tam fuit Martyrii Diaconi audacia, ut neg ret. Similiter omnia accusationis ca ta in colloquio publico coram S. Pontif ce magna Eusebianorum confusione d luerunt. Tandem Eusebianorum Del gati Papam rogarunt, Concilium convo caret, quo Athanasius, & accusatores e jus comparere tenerentur, ibi se accusa tionis argumenta prolaturos. Papa, con ditionem accipiens, utrique parti scripsit, & S. Athanasium privatim monuit, ut adesset.

Jul. ap. Ath. Apol. 2. p. 741. Ad solit. p. 819.

§. V.

Constantini junioris obitus.

Socr. ibi. c. 5. Zosim. L. 2. p. 692. Victor. Epist.

Constantinus junior, restituto Athanasio, haud diu superstes fuit. Ortus propter Africam, & Italiam lite, Constans, quo melius falleret, tribus annis i-

ram

ram in fratrem dissimulabat, tandem sciens eum terras Ditionis suæ ingressum, copias misit, quasi fratri Constantio, bellum in Persas moventi, auxilium laturas; ab his Constantinus ex improviso obrutus, haud procul Aquileja occisus est, Acyndino, & Proculo Consulibus, id est, anno 340. Provinciis, quæ fratris fuerant, a Constante receptis, universum Imperium in duas partes, Orientem, & Occidentem divisum. In Constantino Imperatore potentissimus Athanasii, & Ecclesiæ Catholicæ Defensor corruit.

Sæculum IV. A C. 340. An. 340.

§. VI.

Eusebii Cæsariensis mors, & ejus Doctrina.

Circa eadem tempora, id est, anno 340. Eusebius Pamphili, Episcopus Cæsareæ in Palæstina, sua ætate facile in Ecclesia doctissimus, vivere desiit. Præter opera, de quibus meminimus, nempe Tractatum contra Hieroclem, Præparationem, & Demonstrationem Evangelicam, Chronicum, & Historiam Ecclesiasticam, sub vitæ finem scripsit amplum Tractatum contra Marcellum Ancyranum, vitam Constantini Imperatoris, seu potius Encomia, & Panegyrin, quæ quasi vitæ ejus compendium est, eamque ipse Eusebius in solemnitate anni trigesimi

Socr. 2. c. 4. Soz. III. c. 2.

Sæculum IV. A. C. 340.

Regni Constantiniani, Imperatore pr
sente, pronuntiavit. Hæc quidem op
ra habemus, sed triginta libros con
Porphyrium, & plures alios desideram
Ex opere contra Marcellum potissimu
quænam Eusebii Doctrina de Verbo
vino fuerit, dispici debet, nam hoc op
conscripsit, postquam ab Arianis hæc qu
stio fuerat mota, ipsique a Concilio N
cæno damnati, & rursus tempore, qu
hæc disputatio maxime fervebat, & d
nique, quod hæc materia ex proposito
tractetur.

IV. vit. c. 46.

Ipsum hoc opus dividitur in quinq
libros, quorum primi duo simplicit
contra Marcellum Ancyranum inscribu
tur, & propemodum nihil aliud con
nent, quam Doctrinæ ipsius Marcelli
positionem, eaque sola, ut vult Eusebi
ad eum Sabellianismi convincendum s
ficit. Aliorum trium librorum titul
est: De Theologia Ecclesiastica, & a
Flaccillum Episcopum Antiochenum d
riguntur, in istis Eusebius Marcellum re
futat, eique Doctrinam, quam esse Eccle
siæ Catholicæ dicit, opponit; hæc ab ea
quam in aliis suis operibus tenet, pra
sertim in Demonstratione Evangelica
non multum differt; eos, qui Verbum
esse creaturam, & ex nihilo productu
dicere audebant, damnat, *Quomodo enim*
inquit: *esset Filius, & Filius Dei unige*
nitus

Theod. L. I. c. 9.

nitus, si ejusdem cum omnibus aliis creaturis naturæ esset? Rursus: *Qui duas ponunt hypostases, ingenitam unam, & ex nihilo creatam alteram, Dei unitatem quidem salvant, sed secundum ipsos jam non est Filius unigenitus, nec Dominus, nec Deus, nec quidquam cum divinitate Patris commune habet.* Et alibi, dum locum celeberrimum explicat, ubi juxta versionem Græcam Sapientia dicit: *Creavit me Dominus*, sic differit: *si quis creatum dicere velit, ne dicat in eo sensu, quasi non existens ad existentiam transiisset, aut ex nihilo extractus esset ad aliarum Creaturarum modum, sicut aliqui male intellexerunt.* Deinde hunc textum docte ex Hebraico explicat, ex quo, eum hujus linguæ non ignarum fuisse, cognoscitur.

Ibid. c. 10. *III. Theol. c. 2. p. 150.* *Prov. 8. 22.*

Dicit; Filium Dei esse fontem vitæ, vitam, lumen, ipsam rationem. Ita etiam loquebatur in Demonstratione Evangelica, adjiciens; esse ipsam pulchritudinem, & bonitatem, si hæc nomina rei productæ dare liceret. In eodem opere dicebat: *Periculosum est simpliciter affirmare, Filium ex nihilo productum, sicut alia producta, nam alia est generatio Filii, & alia creatio per Filium facta*; hæc verba eo sunt observatu digniora, quod ante Concilium Nicænum scripserit. Iterum in eodem opere dicit;

I. Theol. c. 8. *IV. Demonst. c. 2.* *V. Demonst. c. 2. p. 214.*

Eusebius Cæsariensis.

Sæculum IV. A. C. 340.

cit; intellectu noſtro concipiendum Filium, non quaſi aliquo tempore non exiſtentem, & deinde productum, ſed tanquam ante infinita tempora exiſtentem, præexiſtentem, & Patri ſemper coexiſtentem. Quantum hæc Doctrina Ario adverſatur! S. Alexandrum accuſanti, quod diceret: Semper Pater, ſemper Filius! Euſebius iterum in Theologia dicit; Filium a Patre fuiſſe declaratum, Dominum, Salvatorem, & Deum omnium, & Throni ſui participem. Hæc omnia, ſanam fuiſſe Euſebii fidem, probare videri poſſent.

Sup. L. X. L. I. c. 2.

Athan. de Syno. p. 886.

Attamen ad Epiſcopum Euphrationem ſcribens ſimpliciter dicere non erat veritus, Chriſtum non eſſe verum Deum, atque in ipſo hoc opere contra Marcellum quædam minus Catholice prolata inveniuntur. Diſtinctionem inter divinitatem Patris, & Filii ponere videtur, dum dicit: *Si timent, ne duos Deos aſſeramus, ſciant, quod confitendo Filium eſſe Deum, ideo tamen non niſi unus admittatur Deus, nempe ille, qui ſolus eſt ſine principio, & ingenitus, cui propria eſt divinitas, qui cauſa eſt, quod Filius ſit, & talis ſit.* Nunquam dicit expreſſione, poſtmodum in Eccleſia recepta, Patrem, & Filium eſſe unum Deum. Non utitur voce: conſubſtantialis, dumque illam in Concilio Nicæno recepit, id,

Sæculum IV. A. C. 340.

id, additis ejusmodi explicationibus, fecit, quæ perfectam æqualitatem non adstruunt, sicut ex ejus Epistola vidimus. Econtra Marcellum Sabellianismi insimulat, quod diceret, ante mundi creationem solum Deum fuisse, atque Deum, & Verbum ejus unam fuisse substantiam, quod hodie nemo Catholicus negat. Eusebius putat, eos, qui ita loquuntur, hypostasin Filii negare, eumque in Patre ponere, sicut accidens est in subjecto. Secundum hoc principium, ferre non vult dicentes; supremum Deum fuisse incarnatum, quia hoc nomen soli Patri tribuit. Iterum inæqualitatem inter Patrem, & Filium affirmare videtur, dum dicit: Non est necessarium duos Deos ponere, dum duas Hypostases ponimus, quia non ponimus dignitate æquales, nec ambas sine principio, & ingenitas, hinc ipse Filius docet, Patrem esse quoque Deum suum. Inferius dicit; non aliam ob causam nos Filio divinos honores exhibere, quam propter Patrem, quem in eo honoramus, sicut Regem in sua imagine. Et alibi; a Filio neminem nisi solum Patrem pro vero Deo agnosci, eo quod, quamvis ipse verus Deus sit, tamen tantum imago sit, & adjectum, *solus*, Patri conveniat, eo quod sit Prototypus.

Sup. L. IX. §. 26.

I. Theol. c. 16. 17.

II. Theol. c. 14. p. 122.

II. Theol. c. 4. Ibid. c. 7. p. 109.

Joan. 20. 17.

Ibid. p. III. c.

Ibid. c. 23. p. 141.

Sæculum IV. A. C. 340.

Tractatus contra Marcellum.

Multo magis inæqualitatem Patris, & Filii ſtatuere videtur, dum dicit; Filium nec eſſe ſupremum Deum, nec Angelorum unum, ſed medium, & mediatorem inter Patrem & Angelos. Eadem *L. 1. c. 1. p. 8.* in Demonſtratione Evangelica ſcribit; *IV. Demonſ. c. 6.* putatque ſe demonſtrare; neceſſarium fuiſſe, ut Deus ante reliqua omnia produceret poteſtatem quamdam mediam, quæ infinitam diſtantiam inter ſe, & creaturas temperaret. In eodem opere Fi- *ibid. c. 2. c. 4.* lium vocat Miniſtrum, & creationis inſtrumentum, imo vocat Dei opus, *Demiourgema.* Dicit; Patrem exiſtere, & ſubſiſtere ante generationem Filii, in quantum ſolus eſt ingenitus. Dicit; Filium non eſſe accidens inſeparabile, ſicut ſplendorem a luce, ſed per voluntatem Patris ſubſiſtere, (*) quem libere produxit. Dicit tandem, quod nulla ratione excuſari poſſe videtur, Spiritum S. nec eſſe Deum, nec Filium, ſed earum rerum aliquam, quæ per Filium factæ ſunt. Idque ab ipſo dictum in libro contra Marcellum invenitur. Nihilominus

c. 2.
c. 3. p. 147. p. 148.
III. Theol. c. 6. p. 175.

pleras-

(*) Quem libere produxit. Das hat unſer Proteſtant überſetzet: Der ihn mit gutem Bedacht hervorgebracht. Als wenn GOtt der himmliſche Vater eines mit beſſerem Bedacht hervorbrächte, als das andere. Nebſt andern Fehlern.

plerasque Euſebii expreſſiones benigne interpretari poſſumus, ſi conſideremus, ipſius tempeſtate, quamvis Doctrina Eccleſiæ eſſet certa, tamen de vocibus, quibus Altiſſimi Myſterii Notiones exprimerentur, necdum conveniſſe inter omnes, & necdum determinata fuiſſe vocabula, quibus omnes illius temporis Hæreticorum argutiæ jugularentur. Ita Marcellus Ancyranus in Aſterio reprehendebat, quod in Trinitate duas Perſonas diſtinctas admitteret, quia nempe Græcum vocabulum *Proſopon*, quod Perſonam ſignificat, in iſta materia necdum apud omnes receptum erat. Poſſet etiam ad excuſandum Euſebium dici, ab eo illa, quæ JEſu Chriſto ſecundum Naturam divinam, & humanam conveniunt, non ſatis fuiſſe diſtincta.

ap. Euſ. III. Theol. c. 4. p. 168.

Quamquam autem Euſebii Doctrina excuſationem admitteret, difficulter tamen ejus agendi ratio defendi poteſt; ipſo litis initio inter Epiſcopos notatur, qui Arium contra S. Alexandrum Alexandrinum defendendum ſuſceperunt. In Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica contentionis celeberrimæ nec uno verbo meminit, nec ad iſtud reſpondere licet, Hiſtoriam ejus ibi finiri, ubi illa incepit, nam in vita Conſtantini nihilo clarius de ea loquitur, contentus dicere generatim, diſſenſiones fuiſſe

Sup. L. X. §. 34. §. 42.

Sæculum IV. A. C. 340.

fuisse in Ecclesia, præsertim in Ægypto, at dissensionum causam nunquam explicat; si præter ipsum nemo alius scripsisset, credere debuissemus, in Concilio Nicæno nullam majoris momenti quæstionem, quam de celebrando Paschate fuisse motam. Dum Leges a Constantino contra Hæreticos latas memorat, illam, qua Arii scripta ad flammas damnabantur, reticet. Ubi de Concilio Tyriensi loquitur, de Athanasii accusationibus, quæ totam Concilii materiam constituebant, altissimum silentium. Hoc præparatum silentium Eusebii majorem veritatis speciem quibusdam veterum Scriptorum eum Arianismi incusantibus, quam ab ista labe purgare conantibus adstruxit. Id autem certum, Acacium Discipulum ejus, & in Sede Cæsariensi Successorem, exinde Arianorum caput evasisse. Iste Acacius erat monoculus, ipsique inde cognomentum adhæsit; cæterum ingenio valens, & eruditus, plura opera composuit, & inter alia Eusebii vitam. (*)

v. Testim. de Eus. ap. Socr. 2. hist. c. 4.

§. VII.

(*) Ad hunc Paragraphum Anonymo I. videtur Fleurius nimis Eusebio favere, nimis excusare. Judicet Lector.

Sæculum IV.
A. C. 340.

§. VII.

S. Alexandri Constantinopolitani obitus. Paulus Episcopus. Et deinde Eusebius.

Circa illud tempus humanis excessit S. Alexander Constantinopolitanus, annos natus nonaginta octo, quorum viginti tres in Episcopatu transegerat. Fato proximum Clericis suis interrogantibus, cui, ipso defuncto, Ecclesiæ Regimen esset committendum? *Si virum quæritis*, inquit: *optimi exempli, & instruendis Fidelibus parem, habetis Paulum, si vero virum vultis, externis negotiis, & Principum commercio idoneum, & præseferentem pietatis speciem, Macedonius aptior est.* Erat Paulus Thessalonicæ natus, adhuc juvenis, sed cujus prudentia annos anteverterat, jam semel Constantino Magno jubente, & urgentibus Arianis exilium passus. Macedonius senex erat, & a multis annis Diaconus. Quamdiu S. Alexander vixit, potiores fuere Constantinopoli Catholicorum partes, ipso mortuo creverunt Arianorum vires, ita ut Macedonium in Sedem Constantinopolitanam se posse intrudere crederent, unde nonnulli tumultus exorti, quippe Catholicis Paulus placebat, & tunc quidem prævaluerunt. Itaque Pau-

Socr. 2. c. 6. Soz. III. c. 3. v. Pagi 340. n. 9.

Athan. ad solit. p. 813.

Sæculum IV. A. C. 340.

Paulus ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus in Basilica pacis, post hæc S. Sophiæ juncta. Macedonius quidem

Athan. ibid.

initiis accusationem contra Electum intentabat, sed a proposito diversus, unit se Paulo, & Presbyter deinde creatus

Socr. 2. c. 7. Soz. III. c. 4.

sub eo ministravit. Pauli Electio absente Constantio Imperatore facta, ubi Constantinopolim rediit, superbi Principis animum graviter offendit; indignum Episcopatu edixit, tum, coacta inimicorum ejus factione, effecit, ut deponeretur, &

Socr. 5. hist. c. 7.

Eusebius Nicomediensis in ejus locum subrogaretur, qui hoc modo, repugnantibus licet Ecclesiæ canonibus, secunda vice translatus est.

§. VIII.

Concilium Alexandrinum pro S. Athanasio.

Athan. 2. Apol. p. 720. Id. Afric. p. 920.

Interim Alexandriæ Concilium centum ferme Episcoporum Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, & Pentapolis collectum fuerat, qui omnes deinde simul ad Episcopos Catholicos totius mundi Epistolam Synodalem dederunt, in cujus ingressu queruntur; Eusebianos S. Athanasium persequendi finem non facere, eorum invidia in exilium pulsum, quem etiam, si mala processissent consilia, hac aura frui passi non essent; post ipsius reditum eos

Epi-

Sæculum IV. A. C. 340.

Epistolam ad tres Imperatores misisse, novis calumniis refertam, nec vulgaria tantum crimina, sed homicidia etiam imputari; *Etsi veræ essent accusationes*, inquiunt: *tamen non leviter Eusebiani in Christianæ Religionis Leges peccarent, dum accusationes de perpetratis cædibus contra Episcopum ad Sæcularium Principum aures deferunt*, (*) *sed etiam omnia, quæ dicunt, putida sunt mendacia, & atroces calumniæ, quas nos vel refutare pudet.* Tum, quæ ad defensionem S. Athanasii faciunt, afferentes, dicunt: *Carceres, & cædes nescit nostra Ecclesia. Athanasius neminem carnifici, neminem carceri tradidit. Purum est, sicut semper fuit, nostrum Sanctuarium, & in solo JEsu Christi sanguine gloriatur. Athanasius nullius occisi Presbyteri, nullius Diaco-*

2. *Apol.* 723.

p. 724.

(*) Diese Worte hat der Protestant also gegeben auf seiner 471. Seite im zweyten Theile: Wenn diese Beschuldigungen, sagten sie, wahr wären, so würden sie die Gesetze des Christenthums verletzen, wenn sie die Bischöfe bey dem Kayser des Mords wegen nicht anklagten. Das Wortlein: nicht, ist unverschämt hinein geflicket. Wie verdienet nun ein solcher Uebersetzer einen Glauben, wenn er die Befreyung des geistlichen Standes von der weltlichen Gerichtsbarkeit antastet?

Sæculum IV. A. C. 340.

Diaconi reus est, ipso Auctore nemo in mortem, vel exilium ivit. Ipsorum inimicorum ejus clara confessione in sua Epistola patet, quosdam privatos ab Ægypti Præfecto fuisse damnatos; latum a Prætore, mortis sententiam Eusebiani non erubescunt adscribere Athanasio, necdum Alexandriam reverso, sed tunc temporis in reditu ab exilio in Syria commoranti; in dictis judiciis de nulla causa Ecclesiastica agebatur, prout ex actis, quæ vobis submittimus, videbitis, ea enim curiosa diligentia exquisivimus, postquam, quid Eusebiani fingerent, audivimus. Ex his judicate, quantum jam antebac mentiti fuerint.

p. 725.

Tum ab origine persecutiones, quas S. Athanasius tulit, referunt; jam ab Arii depositione Athanasium, adhucdum Diaconum, Arianorum odium incurrisse, quod eum Alexandri Episcopi sui amicitia valere cernerent; primis his odii causis haud parum incrementi accessisse in Concilio Nicæno, ubi, quanto Religionis zelo ferveat Athanasius propria experientia didicissent; cum eum deinde Episcopum viderent, & apertum hæresis hostem, eorum malitiam in varias machinationes prorupisse, quibus Imperatorem ad iracundiam concitassent, comminati, se in Conciliis hanc causam definituros, quale Concilium Tyriense fuit.

Deinde

Deinde ad refellendas calumnias in S. Athanasium conjectas conversi, quarum prima erat, eum occulte a sex, septemve Episcopis ordinatum, *Imo*, inquiunt: *nos testes sumus, nec nos soli, sed & universa civitas, & tota Provincia, omnem populum Ecclesiæ Catholicæ unanimi voce Athanasium Episcopum postulare, & a majori nostrum parte coram totius populi facie fuisse ordinatum, nobis autem hæc videntibus, & facientibus major fides, quam tunc absentibus habenda est.* Sæculum IV. A. C. 340. *Sup. L. XI. §. 29.*

At vero Eusebio causæ sunt, cur ordinationem Athanasii probare non velit, Eusebio, inquam! de quo nescimus, an unquam in Ecclesia ordinatus fuerit, & forte non fuit! qui ipsemet ordinationem suam, si quam aliquando accepit, irritam fecit, & nullam; primo Beryti erat Episcopus; hanc Ecclesiam deseruit, ut veniret Nicomediam; utrumque contra Canones factum! secundam Ecclesiam habendi cupido, amorem, quo primam prosequi debuisset, extinxit; sed utinam in secundæ possessione, quamquam injusta, acquievisset! secundam quoque repudiasse, videmus, & alterius Ecclesiam rapuisse; nempe Religionis zelum in divitiis ponit, & urbium amplitudine, eique hæreditas, quam Dei providentia sortitus est, vilescit. (Hic Episcopi Ægyptii translationem Eusebii Nicomedia Constanti- Concilium Alexandrinum.

Sæculum IV. A. C. 340.

ſtantinopolim carpunt) & ſic pergunt: *Domini effatum ignorat, dicentis: Ubi duo vel tres in nomine meo congregati ſunt, in medio eorum ſum!* Matt. 18. 20. *nec meminit verborum Apoſtoli: Non gloriamur in alienis laboribus; nec illius præcepti,* 2. Cor. 10. 15. *quod Apoſtolus tradit: Si ligatus es uxori, noli quærere ſolutionem; ſi enim tam indiſſolubile eſt vinculum viri cum muliere, quanto magis Epiſcopi cum Eccleſia? quicunque ſemel per Epiſcopatum Eccleſiæ junctus eſt, non quærat aliam,* 1. Cor. 2. 27. *ne divinarum Scripturarum teſtimonio adulter comprobetur.* Hæc tunc de translationibus opinio SS. Epiſcopis fuit. Inde in ſua Epiſtola tranſeunt ad Concilium Tyrienſe, oſtenduntque Euſebii factionem ibidem dominatam fuiſſe, potentia Comitis Dionyſii, & brachii ſæcularis ſuffultam; S. Athanaſium inde fuga ſe ſubtrahere coactum, & apud Imperatorem conqueri; novamque ab Euſebianis de frumento Conſtantinopolitano confictam fabulam meminere. Concilium nominari non debere aſſerunt Conventum, in quo omnia ex Principis auctoritate acta fuerint, Epiſcopi comparere coacti, ubi denique Comes, & milites quaſi Epiſcoporum ſatellites adfuiſſent. Deinde S. Athanaſium ab Arſenii nece, & calicis Iſchyræ confractione innocentem probant, ubi verba ſequentia notatu

notatu digna videntur: *Cum ibi nulla fuerit Ecclesia, nec, qui sacrificaret, Presbyter, cumque dies hoc Sacrificium non exigeret, utpote non Dominica, quomodo calix mysticus frangi potuisset?* (*) *Multi calices in domibus, & in foris inveniuntur, qui sine impietatis nota franguntur, calicem autem Mysticum temere frangere, impium est. Hic non nisi apud Presbyteros legitime ordinatos invenitur, hunc populo porrigere vobis congruit, quem ex Legibus Ecclesiæ accepistis. Si vero, qui calicem frangit, impius est, multo magis, qui JEsu Christi sanguinem profanat.* Sæculum IV. A. C. 340. pag. 731.

Dum postea de delegatione in Mareotidem loquuntur, totam judicii formam illegitimam fuisse probant. *Sacrorum Ministris exclusis*, inquiunt: *coram Paganis quæstio urgebatur de Ecclesia, de Calice, de Mensa, de SS. Mysteriis, &, nefas! Pagani pro testibus adducebantur.* Multa Alexandriæ vi acta memorant Philagrii Præfecti auctoritate, & adjungunt; quatuor Presbyteros hujus urbis in exilium pulsos, qui p. 733.

(*) Testimonium omni exceptione majus! creditum fuisse illa ætate, Missam esse Sacrificium, & alia, quæ hodieque creduntur. Hæc verba P. II. pag. 472. Protestans impudenti solertia corrupit.

Sæculum IV. A. C. 340.

tamen Tyri non fuerant. S. Athanasi innocentiam demonstrant adversus calumniantes, quod frumentum, a Constantino Magno pro viduarum sustentatione in Lybia, aliisque Ægypti partibus constitutum, in proprium commodum vendidisset, cum tamen illius frumenti distributio nunquam fuerit interrupta, nec Athanasio quidquam præter laborem ex hac cura redierit.

p. 737.

p. 738.

Ulterius Episcopi Ægyptii loquuntur in hunc modum: *Misimus vobis testimonia Episcoporum Lybiæ, Pentapolis, & Ægypti, ut, nota vobis fieret calumnia. Hæc omnia Eusebiani agunt eo consilio, ut Arianorum hæresis stabiliatur, & veritatis Defensores deterreantur, sed, quæ vestræ pietatis laus est singularis! sæpius Arianis anathema dixistis, nec locum eis in Ecclesia dedistis. Eusebiani autem facile erroris convincuntur, nam post prima eorum de Arianis scripta, quorum exempla vobis transmisimus, illos ipsos Arianos, quos Ecclesia anathematizavit, in eam concitant; Episcopum eis dederunt;* (hic verosimiliter de Pisto sermo est) tum sic prosequuntur: *Minis, & terroribus Ecclesiam in partes scindunt, ne alicubi impietatis eorum ministri desint; Ariani Diaconos submittunt, qui publice in illorum conventibus recipiuntur; scribunt Epistolas,*

Epistola Synodalis pro Athanasio.

stolas, & rescriptas accipiunt, impia com- Sæculum IV.
municatione Ecclesiam dividentes. Quo- A. C. 340.
quoversum Epistolas mittunt, ut hæresin promoveant, quod ex iis, quæ ad Episcopum Romanum, aut fortasse vosmetipsos scripserunt, cognoscetis.

Hæc, cum ita sint, nos, hic congregati, scribimus vobis, & obtestamur, ut hoc testimonium recipiatis, Confratri nostro Athanasio compatiamini, bono zelo in Eusebianos exardeatis, horum malorum Auctores, ut futuris scandalis caveatur. Tot criminum vindictam a vobis exposcimus, juxta Apostoli effatum: Aufferte 1. Cor. 5. 13. *malum ex vobis ipsis; quia operibus suis se ipsos Communione Fidelium indignos reddunt. Nolite igitur eos audire, si ultra quidquam contra Episcopum Athanasium scribant, nihil enim præter mendacia proferunt. Si vero Epistolæ eorum nomina quorumdam Episcoporum Ægypti præferrent, nullius certe ex nobis nomen erit, sed Meletianorum, hodieque in schismate, & seditione perseverantium. Sine necessitate, aut utilitate viros ordinant, vix Ethnicis meliores, & talia committunt, quæ referre pudor est, ab his autem, qui vobis has litteras reddent, discere poteritis.* In hunc modum claditur Epistola, quam Episcopi Ægypti ad omnes Episcopos, & speciatim ad Julium Papam scripserunt; plura acta ad- *Athan. p. 739*

Sæculum IV. A. C. 340.

junxerunt in dictorum suorum argumenta, nempe processum Judicialem de illorum causa, quos ante Athanasii adventum Ægypti Præfectus mulctaverat; Epistolam a Constantino Magno scriptam, cum Arsenium inter vivos degere rescisset; Epistolam Alexandri Thessalonicensis; Retractationem Ischyræ, Clericorum Alexandrinorum, & Mareotidis protestationes; diversorum Episcoporum Ægypti, & Lybiæ testimonia, frumentum viduis a S. Athanasio fideliter fuisse dispensatum; & Epistolam Eusebianorum, qua Arianis patrocinantur. Plures alii Episcopi S. Athanasio faventes Epistolas ad Julium Papam dederunt.

ap. Athan. p. 745.

§. IX.

S. Antonii Vaticinium.

vit. Ant. c. 28. p. 497.

Interim S. Antonio, quæ Ecclesiæ Alexandrinæ futura erant, cœlitus revelata sunt. Cum quadam die cum fratribus sederet, quasi in extasin rapi, & diu sibi objecta inter crebros gemitus contemplari visus est. Post horæ spatium, ad præsentes conversus, ingemiscere, trepidare, ad precandum surgere, & flexis genibus ad Deum orare; precibus peractis, perfusum lacrymis fratres attoniti circumstant, quid hoc sibi vellet, interrogant, nec instare desinunt, donec tandem

tandem ad profandum cogerent; tunc longo suspirio ducto, *O mei Filii!* inquit: *utinam moriar, antequam ea, quæ vidi, eveniant!* Illisque adhuc urgentibus, lacrymans dixit: *Heu! ira Dei veniet super Ecclesiam, & tradetur ferociæ hominum brutis animalibus similium; vidi mensam sanctam undique mulis circumdatam, atque ea, quæ in mensa erant, impactis calcibus eversa, qualia fieri solent, dum hæc animalia petulanter exsiliunt, & recalcitrant. Dum me suspirantem vidistis, audiebam vocem dicentem: altare meum profanabitur.* Hæc quidem tunc S. Senex, & duobus post annis, quæ prædixerat, contigerunt. Solatium tamen Discipulis suggessit, adjungens: *nolite concidere animo, Filii! sicut iratus est jam Dominus, ita & miserebitur nostri, redibit Ecclesiæ decus, & splendor, persecutionem passi restituentur, impietas in suas latebras repelletur, libere ubique terrarum fides Catholica prædicabitur. Tantum ne vos Arianorum veneno inficiamini, hæc enim Doctrina Ecclesiæ non est, sed Dæmonum, & Patris eorum Diaboli; sterilis est, & mulorum instar absque intellectu.* Hucusque S. Antonius, designans his ultimis verbis proprietatem Arianæ Hæresis, fœcunditatem Naturæ Divinæ, & Verbi Divinitatem negantis.

Sæculum IV. A. C. 340.

inf. n. 14.

Sæculum IV. A. C. 341.

§. X.

Concilium Antiochenum. Dedicatio.

Ecclesia, quam Constantinus Magnus Antiochiæ Regia magnificentia ædificare cœperat, non ante decem annos ad perfectionem perduci potuit, nempe anno quinto Imperii filiorum Constantini. JEsu Christi 341. Anni quintus, decimus, vigesimus, quo Principes regnabant, cum Solemnitate celebrari solebant, itaque hoc anno Ecclesia Antiochena dedicanda erat, in quem finem magnus Episcoporum numerus illuc congregatus. Eusebius Nicomedienſis, hac occasione prensata, numerosum Concilium coegit, ut, quæ sibi proposuerat, in S. Athanasii exitium exequeretur. Nonaginta septem Episcopi convenerunt, quorum pars maxima Catholicorum erat, tamen quadraginta Ariani numerabantur; collecti ex sequentibus Provinciis Syria, Phœnice, Palæstina, Arabia, Mesopotamia, Cilicia, Isauria, Cappadocia, Bithynia, & Thracia. Notissimi inter Episcopos Arianos fuere, Eusebius Constantinopolitanus, Dianeus Cæsariensis in Cappadocia, Flaccillus Antiochenus, Theodorus Heracleensis, Narcissus Neroniadenus, Macedonius Mopsuestanus, Maris Calcedonensis, Acacius Cæsariensis in Palæstina, Patrophilus Scythopolitanus,

Socr. II. c. 8.
Soz. III. c. 5.
Pallad. vita Chrys. p. 78.

tanus, Eudoxius Germanicensis in Syria, Georgius Laodicenus, Theophronius Thyaneus. Catholicorum Metropolitani aderant quatuor, Antiochenus, Heracleensis, & utriusque Cæsareæ. Marcellus Ancyræ, Metropolitanus Galatiæ quintus fuit, si credere debemus, sicut omnino valde credibile est, ipsum huic Concilio interfuisse. S. Maximus Episcopus Jerosolymitanus abesse voluit, memor fraudum, quibus ad subscribendum S. Athanasii condemnationi inductus fuerat. Nemo Italiæ Episcoporum adfuit, aut ex reliquis Occidentis partibus, nec quisquam a Julio Papa missus, quamvis exstiterit Canon prohibens, ne Ecclesiæ sine consensu Episcopi Romani quidquam statuant. Hæc sunt verba Socratis, quæ de statutis generalibus, non autem particularibus intelliguntur.

Sæculum IV. A. C. 341.

Socr. II. c. 8. Soz. II. c. 6.

v. Vales. hic.

Concilium hoc Antiochenum Marcellino, & Probino Consulibus, Indictione decima quarta, id est, anno 341. ante mensem Septembrem actum est. Ipse Constantius Imperator aderat. Cum Eusebiani scirent, ab omnibus aliis hæresis incusari, statim fidei Confessionem per modum epistolæ composuerunt, iisque tradiderunt, ne secum communicare detrectarent. Erat autem hujusmodi: *Arii Sectatores non fuimus, quomodo enim Presbyterum sequeremur Episcopi?*

Athan. de Synod. p. 891. Socr. II. c. 10.

Sæculum IV. A. C. 341.

nullam aliam fidei professionem amplexi sumus, quam quæ ab initio credenda proposita fuit, sed fidem ejus sollicite examinatam recepimus, & nostram agnovimus, non alienam secuti sumus. Quod ex his, quæ jam professuri sumus, videbitis. Ab initio docti sumus credere in unum Deum, Summum, Creatorem, & Conservatorem omnium rerum intelligibilium, & sensibilium; & in Filium unicum Dei, ante omnia sæcula subsistentem, & coexistentem Patri, qui eum genuit, per quem omnia visibilia, & invisibilia facta sunt; Qui in novissimis diebus secundum Beneplacitum Patris descendit, carnem sumpsit ex S. Virgine, & omnem voluntatem Patris sui implevit, qui passus est, resurrexit, & in Cælum rediit; qui sedet ad dexteram Patris, & qui venturus est judicare vivos, & mortuos, qui Rex, & Deus permanet per omnia sæcula. Credimus etiam in Spiritum S. &, si addere necesse est, credimus quoque in resurrectionem carnis, & vitam æternam. Eo modo concinnata erat hæc formula, ut Catholicis simul, & Arianis posset satisfacere; nihil continebat, in quod pars utraque non consentiret, nec ulla vox, quæ non esset ex Scriptura, audiebatur; hic Filius coæternus, aut consubstantialis Patri nec affirmabatur, nec negabatur. Hæc epistola Eusebianorum cura ad omnium civitatum Episcopos missa;

Soz. III. 5.

missa; eos autem, qui tunc Antiochiæ præsentes erant, illa fuisse contentos, credere oportet, quod deinde cum Eusebianis communicaverint. Sæculum IV. A. C. 341.

Cæremonia Dedicationis peracta, de Ecclesiæ negotiis tractari cœptum, & quidem primo de iis, quæ ad fidem spectabant. Nulla ulterius mentio rediit de hæresi Patris, Filii, & Spiritus S. diversam esse substantiam affirmante, id est, Arii errore, utpote jam ab omnibus damnato, &, saltem ut videbatur, rejecto; sed in illam hæresim insurrexerunt, quæ etiam post Concilium Nicænum dicebat; tria tantum Patris, Filii, & Spiritus S. esse nomina, quæ Soli Patri tribuebantur. Suspicio erat unum Episcoporum hunc errorem fovere, & ex sequentibus patebit, eum fuisse Marcellum Ancyranum, quem Sabellianismi accusabant. Ad condemnandam hanc hæresin visum est producere fidei confessionem, olim a S. Luciano Martyre compositam, quam manu ejus descriptam, & inventam ferebant. Hæc omnibus nonaginta novem Episcopis probata est. Erat autem hujus tenoris: *Hilar. de Synod. p.* 333. 334. *Soz. III. c.* 5.

§. XI.

Fidei formula.

Ex traditione Evangelii, & Apostolorum credimus in unum Deum Patrem omni- *Athan. de Synod. p.* 892.

Sæculum IV. A. C. 341.

omnipotentem, verum omnium Creatorem. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, per quem omnia facta ſunt, qui ex Patre natus eſt ante omnia ſæcula, Deum de Deo, totum de toto, ſolum de ſolo, perfectum de perfecto, Regem de Rege, Dominum de Domino; Verbum vivens, Sapientiam, vitam, veram lucem, viam, Veritatem, Reſurrectionem; Paſtorem, Portam, immobilem, & immutabilem; Imaginem invariabilem Divinitatis, Eſſentiæ, Potentiæ, Voluntatis, & Gloriæ Patris; Primogenitum ex omni Creatura, qui erat in Principio in Deo, Verbum Deum, ſicut in Evangelio dicitur: & Deus erat Verbum, per quem omnia facta ſunt, & in quo omnia ſubſiſtunt. Qui noviſſimis diebus deſcendit ex alto, natus eſt ex Virgine ſecundum Scripturas, & homo factus eſt, Mediator Dei, & hominum, fidei noſtræ Apoſtolus, auctor vitæ. Et poſt pauca: *Credimus etiam in Spiritum S. qui datus eſt Fidelibus pro conſolatione, Sanctificatione, & perfectione eorum. Sicut Dominus Noſter JEſus Chriſtus præcepit Diſcipulis ſuis, dicens: ite, docete omnes nationes, & baptizate in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. clarum eſt, quod hoc ſit accipiendum de Patre, qui vere Pater eſt, de Filio, qui vere Filius eſt, & de Spiritu S. qui vere Spiritus S. eſt; non ſunt nomi-*

Hilar. de Syn. p. 333. Socr. II. c. 10.

na

na simplicia in vanum attributa, sed ex- Sæculum IV.
acte significant substantiam, ordinem, & A. C. 341.
Gloriam cuivis eorum, qui nominatur, propriam, ita ut tria sint entia, quantum ad subsistentiam, unum, quantum ad concordiam. Et deinde: *Si quis dicat, tempus fuisse, aut Sæculum, antequam Filius Dei genitus fuerit, anathema sit. Et si quis dicat, Filium esse Creaturam, sicut ex aliis creaturis unam, aut productum, sicut alia producta sunt, & se non traditioni Scripturarum subjiciat, anathema sit.*

S. Episcopis, quibus hæc fidei confessio probabatur, nullum aliud erat propositum, quam errorem tollere, quo veritas Distinctionis inter Personas Divinas impugnabatur, & perverse plura Nomina soli Patri attributa dicebantur; Hinc tres Hypostases ponebant, ut per hanc vocem tres Personas subsistentes significarent, non autem ut substantiam Patris, Filii, & Spiritus S. diversitate essentiæ dividerent. Nihil in hac formula invenitur, quod distinctionem Essentiæ, & naturæ inter Patrem, & Filium indicet, cum dicatur Deus, de Deo, totus de toto, perfectus de perfecto. Dicitur unus ex uno solo, ut Ideæ generationis humanæ excludantur. Dicitur Rex de Rege, Dominus de Domino, ut æqualitas potentiæ ostendatur; illud vero omnem omnino *Hilar. de Synod. p. 334. 335.*

Sæculum IV A. C. 341.

Concilium Antiochenum.

omnino diversitatem excludit, quod dicatur immota, & immutabilis Divinitatis, Essentiæ, & Gloriæ Patris imago, ut demonstretur natum esse ex Patre absque ulla vel in Patre vel in Filio naturæ Divinæ mutatione. Ita aliquot post annos S. Hilarius hanc Professionem fidei explicabat, eamque ex toto Catholicam esse ostendebat. Vocem græcam *ousia* per vocem latinam: essentia, interpretatur, quamvis sæpius per vocem: substantia, reddatur; hoc autem ideo facit, quia per vocem latinam: subsistentia, vocem græcam: hypostasis, reddit, quam ego per vocem: substantia, reddidi. Hæc formula sequentibus temporibus evasit celeberrima, inter illos præprimis, qui, quamvis proprie cum Arianis non sentirent, tamen vocem: consubstantialis, rejiciebant.

Athan. de Synod. p. 894.

Cum tamen hanc formulam sua prolixitas redderet subobscuram, Theophronius Episcopus Thyaneus breviorem proposuit in hæc verba: *Deus scit, & testem eum invoco in animam meam, quod credam; in Deum Patrem omnipotentem Creatorem universi; de quo sunt omnia, & in Filium ejus unicum, Deum Verbum, Potentiam, & Sapientiam, Dominum nostrum JEsum Christum, per quem sunt omnia, ex Patre ante Sæcula genitum, Deum perfectum de Deo perfecto, qui in Deo*

Deo est per hypostasin, qui novissimis die- Sæculum IV.
bus descendit, natus ex Virgine. Et reli- A. C. 341.
qua, quæ ad incarnationem pertinent. Tum subjungit: *Et in Spiritum S. Consolatorem, Spiritum veritatis, quem per Prophetas suos Deus in servos suos effusurum se promisit, & Dominus missurum Discipulis suis, & promissum dedit. Si quis contra hanc fidem doceat, aut cogitet, anathema sit! sive teneat opinionem Marcelli Ancyrani, aut Sabellii, aut Pauli Samosateni, anathema sit ipse, & omnes, qui cum eo communicant.* Theophronius ubi hanc fidei professionem conscripserat, eam in Concilio protulit, cui omnes Episcopi subscripserunt. Hæc formula in duobus a prioribus differt; primum est, quod clarius distinctionem Personarum absque diversitate substantiæ explicet, dum dicit, Verbum esse in Deo per Hypostasin, id est, per se ipsum subsistens, non autem sicut accidens in subjecto; alterum, quod Episcopum nominet, cujus suspecta fides his symbolis proponendis occasionem dedit, nempe Marcellum Ancyranum, & duos hæreticos antiquiores, quos sectari dicebatur.

§. XII.

Canones Concilii Antiocheni.

Concilium, rebus, quæ ad fidem pertinebant,

Sæculum IV. A. C. 341.

nebant, ita compositis, viginti quinque Canones circa Disciplinam Ecclesiasticam tulit, ab universa deinde Ecclesia receptos. Canone primo statuitur, ut, qui pertinaciter adhucdum Decretum Concilii Nicæni de celebrando Paschate contemnunt, excommunicentur, & ab Ecclesia ejiciantur, si Laici tantum sint, si vero Clerici, id est, Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, hos Concilium ipso facto ab Ecclesia separatos declarat, utpote non suorum tantum, sed & populi peccatorum reos, quem suo exemplo pervertunt, dum, a Christianis recedentes, Pascha cum Judæis celebrant. Non solum depositi sint, sed etiam honoribus externis, qui Clericis exhiberi solent, careant, & qui post eorum depositionem cum ipsis communicare præsumpserint, eandem pœnam incurrant. Ecce hic videmus censuram pleno jure latam, nullo præcedente judicio, & ad eos, qui cum reis communicabant, extensam.

Can. Antioch. to. 2. p. 561.

Canone secundo illi damnantur, qui Ecclesiam intrantes lectionem SS. Scripturarum quidem audiebant, sed ex Spiritu inobedientiæ precibus communibus cum populo non intererant, & communionem Evchariſtiæ accipere recusabant; hi Ecclesia expellantur, donec peccatum suum confiteantur, pro obtinenda venia supplicent, & fructus pœnitentiæ ostendant.

Non

Non licet cum excommunicatis communicare, aut in domibus convenire ad orandum cum illis, qui cum Ecclesia non orant; aut in unam Ecclesiam recipere tales, qui a Conventu alio separati sunt. Si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut quicunque ex Clericis cum excommunicatis communicet, excommunicetur. Duos hos canones occasione Audianorum Schismaticorum latos fuisse, conjectura est, quippe isti, unacum Arianis nati, Pascha celebrabant cum Judæis, spreto Concilii Nicæni Decreto; cum aliis, quam qui eorum Sectæ essent, non orabant, & volebant peccata simplici cæremonia remittere, omissis pœnitentiæ temporibus a Legibus Ecclesiæ præscriptis. Canon quintus iterum Schismaticos respicit, & ita sonat: *Si Presbyter, vel Diaconus, contempto suo Episcopo, ab Ecclesia se separet, conventum particularem agat, altare erigat, & Episcopo obedire nolit, semel, bisve monitus, absque restitutionis spe deponatur. Si pergat Ecclesiam turbare, potentia externa tanquam seditiosus reprimatur.* Hoc est, quod hodie vocamus, auxilium brachii Sæcularis implorare. Tum Concilium prosequitur: *Qui ab Episcopo suo excommunicatus fuerit, ab aliis non recipietur, nisi in aliquo Concilio, probata sua innocentia, benigniorem Sententiam impetraverit.*

Sæculum IV. A. C. 341.

Sup. l. X. §. 4. Epiph. hær. 70. Theod. hær. fab. IV. c. 10.

c. 6.

Sæculum IV. A. C. 341.

rit. Hæc Regula tam pro Clericis, quam pro Laicis valet. Nullus extraneus sine litteris pacis recipiatur. Presbyteri rurales tales litteras non dent, aut alias epistolas canonicas, nisi ad vicinos Episcopos; Chorepiscopis autem litteras pacis dare liceat.

c. 7. *c.* 8.

De stabilitate, & Residentia Ecclesiasticorum Concilium Antiochenum, insistens Concilio Nicæno, ita statuit: Si quis Presbyter, Diaconus, aut alius Clericus, relicta sua Diœcesi, ad aliam transeat, diu ibi mansurus, & sedem fixurus, ei omnes functiones interdicantur, præsertim, si ab Episcopo revocatus, in suam Diœcesin redire noluerit. Si inobediens perseveret, sine spe restitutionis deponatur. Si quis Episcopus ob talem causam depositum suscipiat, in Concilio tanquam legum Ecclesiasticarum violator punitur. Si quis Episcopus, Presbyter, aut alius Clericus absque consensu, & litteris Episcoporum Provincialium, præcipue autem Metropolitani ad Imperatorem proficisci audeat, non tantum Communione, sed etiam Dignitate privetur, quod contra leges Ecclesiæ Imperatoris auribus importunus accidere præsumpserit; si rebus ita poscentibus aulam adeat, consilio Metropolitani, & Provincialium suorum accedat, atque eorum epistolis munitus.

Can. 3.

Can. Nic. 15. 16.

Con-

Contra translationes Episcoporum speciatim hæc habentur: Episcopus ab una Diœcesi ad aliam non transeat, neque seipsum ingerendo, aut vehementi populi postulationi, aut cogentibus aliis Episcopis cedens; sed in Ecclesia, quam a Deo pro sua hæreditate primam accepit, remaneat, velut priora Decreta statuunt. Hic Nicænus Canon decimus quintus denotatur, eumque eludendi omnes prætextus amputantur, ut si quis dicat, se populi affectu, aut Episcoporum electione coactum. Ex hoc Canone cognoscitur, Eusebii Constantinopolitani haud magnam fuisse in hoc Concilio auctoritatem, nisi forte, propria ambitione satiata, aliorum cupiditatem coerceri non ægre passus sit. Sæculum IV. A. C. 341. *Can.* 11.

Si quis Episcopus, cui propria Ecclesia non est, Ecclesiam vacantem invadat, & absque Concilio legitimo illam sedem usurpet, expellatur, quamvis omnis populus illius Ecclesiæ usurpatorem eligeret. Concilium legitimum illud dicitur, in quo Metropolitanus præsens est. Si quis Episcopus, accepta manuum impositione, Ecclesiam, sibi commissam, adire non vult, ut ibi ministret, excommunicetur, donec obediat, aut Concilium Provinciale disponat. Si quis Episcopus ordinatus possessionem Ecclesiæ suæ absque sua culpa adire non potuit, puta, ob re- *Can.* 16. Canones Concilii Antiocheni. *Can.* 17. *Can.* 18.

Sæculum IV. A. C. 341.

sistentiam populi, aut quamcunque aliam causam, quam ipse non posuit, honoribus gaudebit, & functiones suæ Dignitatis peraget, at negotiis Ecclesiæ, in qua Divinis officiis intereſt, se non ingeret, & Decretis Concilii Provincialis subditus erit. Talis est, quem Canon decimus sextus Episcopum sine propria Ecclesia vocat, non autem legitur, populum, cui regendo destinabatur, ad eum recipiendum cogi debere; quod nempe Regimen Ecclesiasticum lenissimum sit, & non nisi in volentes exerceri oporteret.

Can. 19. Episcopus in aliquo Concilio, Metropolitano, & omnibus Provinciæ Episcopis præsentibus ordinetur, quos Metropolitanus per epistolas convocet. Consultissimum, si omnes adsint, si magna difficultas id non permittat, saltem pars major præsens sit, aut per litteras consensum indicent, ut ordinatio legitima sit, alias nullius sit valoris. Si autem ordinatio juxta Canones facta sit, & aliqui obstinate repugnent, plura suffragia vincant. *Conc. Arel.* 1. *c.* 20. Concilium Arelatense, & Concilium Nicænum jam antea idem statuerant. *Nic. c.* 4. *c.* 23. Concilium Antiochenum ulterius statuit: Episcopo Successorem sibi nominare, etiam fatis urgentibus, non liceat; si fecerit, nulla sit ordinatio, sed servetur regula, neminem ad Episcopatum promovendum, nisi quem, Episcopo defuncto, Episcopi

copi in Concilio congregati, dignum judicaverint. Jam olim Origenes hunc abusum Episcoporum, Successores sibi nominantium, notaverat. Certum tamen est, sæpius morientis Episcopi, de cujus Sanctitate constabat, nominationem apud fideles populos plurimum valuisse. Sæculum IV. A. C. 341. *in Num. hom. 22.*

§. XIII.

Continuatio Canonum.

Contra perturbatores jurisdictionis Concilium statuit sequentia; Qui in oppidis, aut pagis morantur, aut Chorepiscopi nominantur, quamvis ordinationem Episcopalem acceperint, potestatis suæ limites non excedant, & solas Ecclesias sibi commissas regant; Lectores, Subdiaconos, & Exorcistas ordinare possunt, non autem Presbyteros, aut Diaconos sine civitatis Episcopo, ad cujus Ditionem pertinent. Qui hanc Regulam transgressus fuerit, deponatur. Chorepiscopus ab Episcopo civitatis ordinetur. Canon iste Chorepiscopis Caracterem Episcopalem tribuere videtur, quod tamen difficultate non caret. Canone decimo tertio prohibetur; ne Episcopus in aliam Provinciam transire audeat, ut ibi Clericos ad functiones Ecclesiasticas ordinet, quamvis alios Episcopos secum duceret socios, nisi a Metropolitano, & *Can.* 10. *v. Conc. Ancyr. c.* 13. *v. Conc. Neoc. can.* 14. *c.* 13.

Sæculum IV. A. C. 341.

Episcopis illius Provinciæ, quo vadit, per litteras vocatus fuerit; si, non vocatus, illuc iverit, & ordinaverit, aut de rebus Ecclesiasticis, ipsum non tangentibus, disposuerit, omnia erunt nulla; & in pœnam iniquæ molitionis, jam nunc depositus a S. Concilio declaratur. Uniuscujusque Provinciæ Episcopi sciant, Episcopo Metropolitano totius Provinciæ curam incumbere, cum omnes undecunque, quibus negotia sunt, ad Metropolim convolent. Hinc visum est, Metropolitanum cœteros honore antecellere debere, aliosque secundum antiquam Regulam, a Patribus nostris observatam, nihil majoris momenti sine ipso moliri oportere. Cujuslibet Episcopi jurisdictio non ultra suam Diœcesin extenditur, id est, Civitatem, & Ditionem eidem subjectam. Hanc in timore Domini regat. Presbyteros, & Diaconos ordinare potest, & privatorum causas judicare, majora sine Metropolitani consensu non agant, sicut Metropolitanus sine suorum Episcoporum consilio.

c. 9. Nic. c. 4.

De judiciis Ecclesiasticis ista decreta sunt; Propter Ecclesiæ necessitates, & dirimendas lites visum est statuere, ut cujuslibet Provinciæ Episcopi bis per annum in Concilium conveniant, a Metropolitano convocati. Primum quarta septimana post Pascha agetur, secundum

c. 20.

Idibus

Idibus Octobris nempe decima *Hyperbe-retee.* In his Conciliis Presbyteri, Diaconi comparebunt, & omnes, qui se læsos credent, atque, quod justum est, pronuntiabitur. Sed particularia Concilia, non præsente Metropolitano, prohibita sunto. Duo celebrari per annum Concilia jam in Concilio Nicæno præceptum fuerat, hic tantum aliud tempus assignatur. Ulterius in Concilio Antiocheno statuitur: si quis Episcopus accusatur, & opiniones Provincialium sint divisæ, ita ut ab una parte innocens, ab altera reus judicetur, Metropolitanus quosdam Episcopos ex Provincia vicina advocabit, ut dubium tollatur, & cum Provincialibus suis latum judicium confirmabit. Si autem Episcopus unanimiter ab omnibus Episcopis Provinciæ condemnatus sit, ab aliis judicari jam non poterit, sed hoc judicium subsistet. Si quis Episcopus a Concilio depositus, aut Presbyter, vel Diaconus a suo Episcopo in Ministerium, ut sicut prius functiones peragat, se intrudat, nulla ei restitutionis spes sit per aliud Concilium obtinendæ, nec ultra audiatur. Imo omnes, qui cum ipso communicant, Ecclesia ejiciantur, præsertim si illius condemnatio eos non latuerit. Iste canon, quamvis in se nihil contra æquitatem contineat, Eusebianorum fraude, sicut etiam sequens, insertus videtur, ut fo-

Sæculum IV. A. C. 341.

Nic. c. 5.

Can. 14. *Antioch.*

can. 15.

c. 4.

Sæculum IV veam S. Athanasio pararent, & profecto
A. C. 341. succesſit dolus. Si quis Presbyter, aut
c. 12. Diaconus a ſuo Epiſcopo, aut Epiſcopus a Concilio depoſitus, auribus Imperatoris audeat eſſe moleſtus, cum nullum ni ad majus Concilium recurſum habere debuiſſet, indignus venia judicabitur, nec ultra audiendus erit, nulla reſtitutionis ſpes ſit.

Quantum ſpectat ad bona temporalia
c. 24. Eccleſiarum. Omnia Eccleſiæ bona omni ſollicitudine, & fidelitate cuſtodiantur, coram Deo, qui omnia videt, & judicat. Hæc bona arbitrio, & auctoritate Epiſcopi adminiſtrentur, cui omnis populus, & Fidelium animæ concreditæ ſunt. Quæ bona propria ſint Eccleſiæ Presbyteri, & Diaconi accurate ſciant, & nihil eorum notitiæ ſubtrahatur. Ita, ut ſi Epiſcopus deceſſerit, quænam ad Eccleſiam pertineant, non ignorentur, ne quidquam perdatur, aut diſtrahatur, vel quæ ipſius Epiſcopi ſunt, occaſione bonorum Eccleſiæ litibus implicentur; æquum eſt coram Deo, & hominibus, ut bona Epiſcopi, iis, quibus legaverit, relinquantur, & Eccleſiæ, quæ ei propria ſunt, conſerventur. Sicut enim Eccleſiam indemnem eſſe oportet, ita ſpecie utilitatis Eccleſiæ Epiſcopi bona non rapiantur, nec litibus ejus propinqui vexentur, ne memoria defuncti reddatur invidioſa.

Epiſco-

Sæculum IV. A. C. 341.

Episcopo Bonorum Ecclesiasticorum administratio competit, ut iis, qui indigent, religiose, & in omni timore Dei dispenset. Ipsemet, si indigeat, sibi, & fratribus necessaria, quibus hospitalitatis officia exhibet, accipiat, ita, ut ipsis nihil desit secundum effatum Divini Apostoli: *habentes, quod manducemus, & quibus vestiamur, contenti simus.* Si superflua appetat, si bona Ecclesiæ in proprios usus vertat, si absque Presbyterorum, & Diaconorum consilio de redditibus disponat, si administrationem suis domesticis, fratribus, propinquis, liberis committat, occulto Ecclesiæ detrimento, hujus rei rationem in Concilio Provinciali reddet. Si aliunde Episcopus, aut ejus Presbyteri mala fama vapulent, quod in proprium commodum bona Ecclesiæ convertant, neglectis interim pauperibus, & manifesto Religionis probro, ex Concilii judicio castigabuntur. Canon iste Episcopis, & ex consequenti aliis Clericis, tunc tantum, quando indigent, & aliunde subsistere non possunt, Bonorum Ecclesiasticorum usum concedere videtur. Tales sunt viginti quinque Canones Concilii Antiocheni; his Nomine totius Concilii epistola Synodalis adjuncta, sicque ad omnium Provinciarum Episcopos missi sunt, qui rogabantur, ut suo eos consensu confirmarent; atque omnino, cum

c. 21.

1. *Tim.* 6. 8.

Tom. 2. *conc. p.* 60.

Sæculum IV. A. C. 341.

horum Canonum Disciplina sancta sit, & Apostolica, ab universa Ecclesia recepti sunt.

§. XIV.

Gregorius in Sedem Alexandrinam intrusus.

Ex his Canonibus, ut ut sanctis, Eusebianis ansam arripuere de novo S. Athanasium persequendi. Quarto, & duodecimo canone Episcopo depositi omnis spes restitutionis adimitur, si functionibus Episcopalibus non abstinuit, aut Imperatorem adiit. Utriusque reum esse Athanasium dicebant, ipsum enim Tyri depositum, querelis Magni Constantini aures fatigasse, & deinde ad suam Ecclesiam rediisse, nullius Concilii Decreto. Forte etiam ex his duobus canonibus unum conflarunt, quem totius Concilii auctoritate conditum venditarunt; quomodocunque hoc se habeat, omnes unitis viribus, erant autem quadraginta, & præsentia Imperatoris suffulti, alterius Episcopi Alexandrini, loco Athanasii depositi, ordinationem urgere cœperunt; hoc enim solum erat, quod tantis ambagibus quærebant, & unica causa, cur effecerint, ut Antiochiæ Concilium convocaretur. Igitur, quas nuper calumnias in Athanasium finxerant, imo & veteres repetere non erubuerunt, statimque, qui

v. Pagi. 341. *n.* 32. *&c.*

Socr. II. c. 8. *Soz. III. c.* 5.

et

ei in Episcopatu succederet, Eusebium, Epiſcopum exinde Emesinum, nominarunt. Is Edessæ in Mesopotamia nobili stirpe natus, a teneris sacris litteris imbutus fuerat, tum Græcorum scientiis in ipsa urbe Edessa instructus; tandem Patrophilus Scythopolitanus, & Eusebius Cæsariensis ei Sacros libros exposuerant. Antiochiæ degebat cum Eustathius deponeretur, mansitque apud Euphronium ejus Successorem. Sacerdotii honorem fugiens Alexandriam profectus est, ibique Philosophiæ studuit, Antiochiam deinde rediens Flaccillo Euphronii Successori adhæsit; talis erat rerum ipsius status, quando eum Eusebius Constantinopolitanus in Sede Alexandrina collocandum proposuit; ipse vero non ignarus, quantum S. Athanasius a populo suo amaretur, hunc Episcopatum acceptare renuit; itaque Eusebiani Eusebium Emesinis Episcopum dederunt; Hæc Eusebii ordinatio in populo Emesino tumultus causa fuit, nam Mathematicum, id est, Astrologum credebant, quorum hominum pessima erat apud Emesinos nota, ergo fugere cogitur, & postquam in Domo Episcopi Georgii Laodiceæ latuerat, Antiochiam ab eo reductus, Flaccillo, & Narcisso Patrocinantibus, in Sedem Emesinam restitutus est. Idem Eusebius, tenere errores Sabellii, incusatus est, sed hæc multo post tempo-

Sæculum IV. A. C. 341.

Socr. II. c. 9. Sup. XI. §. 43.

Sæculum IV. A. C. 341.

tempore contigerunt. Imperator Constantius, in Barbaros movens, eum secum duxit, atque quædam miracula edidisse dicebatur, quapropter factum, ut in aliquibus Martyrologiis apponeretur. Eusebius Imperatore Constantio regnante, mortalitatem exuit, Antiochiæ sepultus.

Hier. in Catal. Script.

Ingentem librorum numerum scripsit stilo eleganti, & arte dicendi ad populi Genium accommodata; eorum præcipui erant contra Judæos, Gentiles, Novatianos; & iterum Homiliæ breves in Evangelia. Sed hæc omnia hodie desiderantur.

Socr. II. c. 10.

Eusebio Emesino Cathedram Alexandrinam non acceptante, Eusebiani Gregorium præsentarunt, & sine mora ordinarunt. Gregorius iste in Cappadocia

Greg. Naz. orat. 21. p. 681.

natus, studiorum causa Alexandriæ moratus fuerat; eum S. Athanasius, benigne susceptum, paterno affectu, & fiducia ut filium foverat, quo non obstante calumniæ, in S. Athanasium confictæ de caso Arsenio, conscius fuisse incusabatur. Eusebiani, contra omnes Canones ordinatum, Ecclesiæ, quæ eum non postulabat, destinatum, & in qua ipsis nullum jus Episcopum ponendi competebat, tamen auctoritate Cæsaris freti, in possessionem mittere moliti sunt; ab Imperatore obtinuerunt, ut epistolas scriberet, & altera jam vice Philagrium Ægypti Præfectura dona-

Athan. ad solit. p. 815.

donaret, cujus odium in Catholicos, jam tum, cum inquisitiones in Mareotide agitatæ, ipsis perspectum fuit; erat Philagrius Gregorii popularis, Apostata, & quem nulla morum honestas commendabat. Philagrio in Ægyptum proficiscenti Imperator comites addidit Evnuchum, qui Arsacius vocabatur, & milites, ut, si opus esset, vim adhiberent. Primo aditu Præfectus litteras in forma Edicti promulgavit, quibus indicabatur, Gregorium ex Cappadocia cum Imperatoris mandato adesse, ut Athanasio succederet. Omnes rei non præviſæ novitas perturbavit. Populus Christianus turmatim ad Ecclesias concurrere, aperte coram Magistratibus, & tota civitate conqueri; Fidelibus nullam accusationis, nullam criminandi causam esse contra Athanasium, sed fraudes Arianorum prævalere; si vero alicujus criminis reus esset, in judicio legitimo fuisse citandum, ibi sententiam pronuntiandam, & tandem juxta canones successorem eligendum.

Sæculum IV. A. C. 341.

Sup. l. XI. Gregorius in Sedem Alexandrinam intruditur. *Athan. ad orthod. p.* 944.

At Philagrius Paganorum fæcem, Judæos, & improbos quosque promissis, quibus deinde stetit, ad ea, quæ perficere cupiebat, sibi devinxit; pueros pascendis gregibus præfectos, juvenes feroces, ex foris & compitis congregat, ad insolentiam incitat, atque turmatim gladiis, & fustibus instructos in Ecclesias, quo popu-

Sæculum IV. A. C. 341.

populus confugerat, immittit; hi in Ecclesiam, cui a Quirino Nomen, irrumpunt, templum, & baptisterium incendunt, nudantur virgines, modis indignis vexantur, ubi resistebant, vitæ etiam periculum subibant. Monachi ita pedibus proculcati, ut ipsa anima elideretur. Alii monachi mancipiorum more capti, alii ense, vel fuste occisi, alii vulnerati, aut saltem verberati. Sacra Mysteria ablata a Gentilibus in terram projecta, Sacra mensa avium, & strobilorum sacrificiis profanata, Gentilibus Idola sua laudantibus, & JEsum Christum blasphemantibus. Libros sacros in Ecclesia repertos combusserunt. Judæi, Gentilibus mixti, Baptisterium ingressi, projectis vestibus locum sacrum abominationibus polluerunt, quas narrare honestas vetat. Quidam impiam crudelitatem, qua Christiani tempore persecutionum afflicti fuerant, reducentes, Virgines, & Matronas, continentiam servantes, extrahebant in medium, ut ad blasphemandum, & negandum Dominum cogerent, renuentes verberibus tundebant, & calcibus impactis proterebant. Ex Ecclesia prædas agere impune erat, hi, quæcunque sub manibus erant, sibi capere, alii privatorum deposita inter se dividere. Vinum, quod copiose aderat, potant, effundunt, auferunt. Oleum diripiunt. Portæ, & chla-

Epist. Jul. ap. Athan. ap. 2. p. 749. c. 751. ad orthod. pag. 945. 946.

thri

thri confracti asportantur, lampades in terra ad parietem deponuntur, Ecclesiæ cereos ad Idolorum suorum honores accendunt. Capiuntur Presbyteri, & Laici, Virgines spoliatæ capitis velamine ad Præfecti tribunal raptæ, & carceri traditæ; alii pro mancipiis venditi, aut flagellis cæsi. Panes Ecclesiæ Ministris, & Virginibus debiti, ablati. Sæculum IV. A. C. 341.

Hæc omnia in quadragesima circa festum Paschatis agebantur. Die Parasceves Gregorius Ecclesiam adiens, Præfecto, & Paganis comitantibus, cum cerneret, quantum populus ingressum violentum horreret, Præfectum perpulit, ut triginta quatuor Fideles, Virgines, nuptas, viros nobiles publice virgis cædi, & in carcerem mitti juberet; Virginum una, cum cæderetur, psalterium adhuc manibus tenebat, quod a tortoribus laceratum est. Eadem, quæ prius relata, perpetrandi furiosis animus erat in Ecclesia, qua hisce diebus S. Athanasius ut plurimum morari consueverat, & captum interempturi erant, at ipse sciens, locum sui domicilii jam esse proditum, timensque, ne hæc quoque Ecclesia, sicut aliis factum, prædictis sceleribus profanaretur, se populo suo clam surripuit, antequam Gregorius adveniisset, & navem conscendit, Romam iturus, ut Concilio, ibi celebrando, assisteret. Gregorio Festi Pascha-

Sæculum IV. A. C. 341.

Paschalis Sanctitas non obstitit, quo minus ipsa die plures Catholicos custodiæ traderet, atque, occupatis omnibus Ecclesiis, Catholicos aut ingressu abstinere, aut cum Arianis communicare coegit.

Gregorius Anti-Episcopus.

Gregorius nequidem, quod Catholici domi suæ orarent, ferre poterat, talesque Præfecto denuntiabat; Sacrorum Ministri tam sedula improbitate observabantur, ut privati, periculose decumbentes, Baptismum accipere non potuerint, & ægroti Presbyterorum solatio privarentur, quod etiamsi ipso morbo acerbius accideret, eo auxilio tamen carere malebant, quam sustinere, ut Ariani capitibus suis manus imponerent. Ne tantæ oppressiones fama vulgarentur, Gregorius Navarchis, imo & vectoribus districte præcepit, ne contra se murmurarent, sed Epistolas suas deferendas acciperent; quidam, obedire recusantes, ideo carcerem, vincula, tormenta passi sunt. Præfectus ipso Auctore, contra Athanasium quasi populi Nomine scripsit ad Imperatorem Epistolam, tantis criminationibus repletam, ut, si reus fuisset Athanasius, objecta crimina non exilio satis, sed sola morte expiare potuisset. Huic Epistolæ Pagani, Idolorum custodes, mixtimque Ariani subscripsere.

Inter

Inter hæc Epistolæ ab Eusebianis al- Sæculum IV.
latæ sunt ad Philagrium, ut Gregorium, A. C. 341.
totius Ægypti Ecclesias visitantem, comitaretur. In hac visitatione Episcopi flagris cædebantur, & onerabantur vinculis. Serapammon Episcopus, & Confessor proscriptus. Potammon, etiam Episcopus, & Confessor, cui in persecutione oculus fuerat ademptus, tamdiu in cervice verberatus, donec exspirasse crederetur, vixque post aliquot horas fomentorum vi Spiritus revocari potuit; brevi tamen post migravit & vita duplicis Martyrii corona dignus. Idem hic est Potammon, Episcopus Heracleensis, qui Concilio Nicæno, & deinde Tyriensi interfuit; Ecclesia decima octava Maji ejus memoriam colit. Plures alii Episcopi verberibus affecti, plures solitarii fustibus cæsi; dumque hæc fierent, Gregorius cum quodam Ministro, cui Balacio nomen, & titulum Ducis gerebat, sedens inspectabat. His non obstantibus omnes & singulos ad secum communicandum invitabat, non videns, quantum suus agendi modus a sana ratione diverteret, dum hinc Catholicos tanquam impios puniret, inde eosdem ad communionem vocaret, tanquam Sanctos. In S. Athanasii fœminam consanguineam ultra mortem sæviit, quippe vivam persecutus, mortuæ sepulturæ honorem non

Sup. L. XI. §. 2. 48. *Martyr.* 18.

Athan. ibid. 817.

Sæculum IV. A C. 341.

indulsit, quo carere debuisset, nisi eam propinqui subtractam terræ mandassent. Pauperibus quibusdam inclusis eleemosynam deferri vetuit, navibus, vinum, leumque ad eorum usum portantibus ipsius jussu confractis. Hæc modo re censita, eorum omnium, quæ Gregorii auspicio, aut jussu per vim, & nefas fa cta, pars aliqua dici possunt.

§. XV.

S. Antonius S. Athanasio favet.

Cum igitur Gregorius in sola potestate Laicorum confideret, neglectis Episcopis, aut Monachis, Magistratuum sæcularium amicitiam ambiebat; quoties ei litteræ Imperatoris, alicujus Præfecti, aut Judicis redderentur, exultantis animi gaudium premere non poterat, talium latores indonatos nunquam dimittebat; litteras vero, a S. Antonio, de monte sibi scriptas, contempsit, & causa fuit, quod Dux Balacius quoque ab eodem viro sancto sibi missas contemptui habuerit. Namque ubi S. Antonius rescivit, quanto furore Balacius Arianorum crudelitati serviret, nempe ipso jubente Virgines verberibus obtundi, eremicolas vestibus spoliari, & flagellari, ad eum scripsit in hunc modum: *Video iram Dei irruere super te! cessa ergo Christianos persequi*

vit. S. Ant. c. 30. p. 500.

ne te imparatum occupet, jam enim cer- Sæculum IV.
vicibus tuis imminet! His lectis Balacius A. C. 341.
in risum solvi, chartam humi projicere, & conspuere; eos, qui attulerant, contumeliose habitos, Antonio renuntiare jubet hæc verba: *Cum tibi tantopere Monachi curæ sint, etiam ad te veniam.* At quintus necdum effluxerat dies, cum vindicantis Dei manum sensit. Ipse, & Nestorius Ægypti Vicarius equis vecti, quos ex Balacii stabulo inter omnes elegerant mansuetissimos, Cheream tendebant, ubi, ab Alexandria proficiscentibus, prima nocte cubandum erat, antequam ad diversorium perveniissent, equi, ut sæpius fit, colludere cœperunt, mox autem ille, cui Nestorius insidebat, alias moderaminis patientissimus, subito efferatus, in Balacium insiliens, morsibus femur ejus discerpsit; ipse in urbem revectus post triduum ex vulneribus vita excessit, omnibus promptissimum ultionis divinæ, a S. Antonio prædictæ, eventum *c. 29. p. 499.*
admirantibus; hinc aliorum Officialium crevit in S. Virum veneratio. Magistratus, cum S. Antonium propter hominum multitudinem, quæ ipsos justitiam petendi causa circumdaret, adire non possent, rogabant, a monte descenderet, ut saltem oculos aspectu ejus recreare liceret, atque ipso recusante, reos, militibus stipatos, ad eum mittebant; itaque com-

Sæculum IV. A. C. 341.

miseratione, & precibus eorum commotus ad exteriora montis procedebat, magno animarum emolumento. Judicia suadebat; justitiam super omnia amarent, Deum timerent, scirentque, idem judicium se quondam experturos, quod ipsi in alios usi fuissent. At solitudinis amor diu inter homines morari non sinebat; dum aliquando Centurionis cujusdam, qui Ducis titulo ornabatur, precibus coactus descendisset, paucis verbis monita salutaria dedit, atque instanti Duci, ut diutius maneret, respondit: *Sicut pisces moriuntur, si diu in sicco hærent, ita Monachi, si diutius vobiscum agunt, tepescunt, ideo nobis festinanter ad monasterium, sicut piscibus ad mare, redeundum.*

§. XVI.

S. Pauli Eremitæ obitus.

Hier. vit. Pauli.

Sancto Antonio, tunc nonagesimum vitæ annum agenti, in mentem venit, neminem præter se in deserto perfectum vivere; illa nocte dormienti revelatum est, vivere aliquem in interiori eremo se perfectiorem, & hunc sibi esse inquirendum. Quamprimum illuxit, S. Senex iter ingressus est, baculo innixus, nesciens quæ sibi via capessenda esset, at firma in Deum fiducia, quod sibi servum suum ostensurus esset, nec spes fefellit; qui de-

derat,

derat, ut ſervum Dei in Spiritu cognoſceret, docuit & viam ad habitationem ejus; tertia die ante ſolis ortum ad cavernam pervenit, quo S. Paulus primus Eremita ante ferme nonaginta annos ſeceſſerat, circa illud tempus, quo S. Antonius primo lucem aſpexerat. Ita obſcurus erat aditus, ut Antonius ſtatim nihil videret, progrediebatur tamen, leniter veſtigia ponens, oris halitum continens, & ſubinde ſubſiſtens, ut auſcultaret; tandem, a longe quadam luce conſpecta, dum properare vult, pedibus ſaxum movit, & ſonum edidit, quo audito, S. Paulus oſtium, quod erat apertum, claudit, obducto peſſulo; S. Antonius ante illud in terram proſtratus, usque ad meridiem perſeverabat, rogans, ut aperiret, & dicens: *Quis ego ſim, noviſti, unde, & quare venerim, non ignoras; ſcio, quod videre te dignus non ſim, attamen niſi te videro, non diſcedam. Hic ante oſtium tuum moriar, ſaltem corpus meum ſepelies.* Reſpondit Paulus: *Quis unquam rogavit, & minas addidit? num mirum tibi videatur, ſi te non recipio, qui dicis, ad moriendum te veniſſe?*

Sæculum IV. A. C. 341.

Sup. L. VII. §. 48.

Tunc aperuit ſubridens, & in amplexum ruit, alter alterum nomine proprio ſalutat, quamvis antea neuter de alio unquam aliquid audiviſſet, aguntque ſi-

Sæculum IV. A. C. 341.

mul Deo gratias. Post datum, acceptumque osculum sanctum, consederunt. Paulusque in hunc modum locutus est: *Ecce me! quem tanto labore quæsivisti, en corpus, senectute fractum, albentibus capillis, & incultis tectum, en hominem brevi in pulveres abiturum! Sed, edic quid novi mihi de genere humano affers? An urbes antiquæ novis ædificiis restaurantur? Qua ratione mundus regitur? An hodieque Dæmonum adoratores videre est;* Dum sic colloquuntur, corvum vident, ramo insidentem, qui leniter alas movens, panem integrum ante eos deposuit, rursusque avolavit; *Quam opportunè!* inquit S. Paulus: *quam bonus est Dominus, qui nobis servis suis prandium submisit! sexaginta anni sunt, ex quo singulis diebus medium panem accipio, te adveniente, JEsus Christus duplicavit annonam.* Dicta Benedictione, ad fontem sedentes amice cœperunt contendere, cujus eorum esset panem frangere? Paulus honorem Hospiti deferebat, Antonius rationem ætatis habendam esse existimabat, tandem, lite diutissime pendente placuit, ut quisque panis partem, ad se respicientem, trahendo sibi avelleret. Tum, admotis ad fontem labiis, pauxillo aquæ sitim restinxerunt, atque vigilando & orando, exegere noctem.

S. Paulus.

Luc

Luce redeunte S. Paulus ad S. Antonium: *Frater mi! diu est, quod te in hac Regione morari scio, Deus mihi promiserat, oculos meos te visuros; nunc autem, quia hora quietis meæ advenit, misit te, ut corpus meum terra operires.* S. Antonius inter lacrymas, & suspiria rogabat, ne se desereret, sed secum abduceret. Ille respondit: *Ne quæras, quod tibi commodum est; sed utile fratribus erit tuo exemplo adhucdum informari: rogo te, nisi forte grave sit, ut eas, & pallium, tibi ab Episcopo Athanasio datum, corpori meo, involvendo afferas.* Parum quidem Pauli intererat, quomodo corpus suum sepeliretur, sed Antonii dolori parcebat, & removebat, ne se morientem conspiceret. S. Antonius audito Athanasii nomine, & mentione de pallio, ac si JEsum Christum præsentem cerneret, nihil reponere ausus est, verum oculos ejus, & manus osculatus, iter ad Monasterium suum relegit, tanta celeritate, cui corpus ejus vigiliis, & jejuniis exhaustum sufficere vix credi potuisset. Duo Discipulorum ejus, qui jam diu seni ministrabant, venienti occurrentes, dicebant: *Pater mi! ubi tamdiu fuisti?* At ille: *me miserum peccatorem! sane nomen Monachi frustra gero; vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, vidi Paulum in Paradiso*; nec plura elocutus, pectus-

Sæculum IV. A. C. 341.

Sæculum IV. A. C. 341.

que percutiens, tulit e cellula pallium; rogantibus Discipulis, ut clarius loqueretur, respondit: *Tempus est loquendi, & tempus est tacendi.*

Eccles. 3. 7.

Cella igitur egressus, ne buccella quidem panis sumpta, per eandem viam rodibat, Paulum continuo in Spiritu, & ante oculos habens, timensque ne idipsum accideret, quod evenit; altera die tres horas processerat, cum Paulum, candidissima veste fulgentem, inter Angelorum, Prophetarum, & Apostolorum choros in altum vidit ascendere; ipse pronus in terram cadens, sabulo caput respergebat, dicebatque plorans: *Paule! quare me derelinquis? necdum valedixisti tibi; cur mihi tam sero cognitus es? cur tam cito amissus?* Reliquum viæ volare magis, quam pedibus incedere videbatur; ubi venit ad specum, vidit corpus genibus flexis, capite, manibusque erectis; credidit ergo adhuc vivum, & in oratione morari, cœpitque & ipse preces fundere, sed nulla, sicut nuper adverterat, audiens orantis suspiria, flens eum amplexus, agnovit, se exanimati corporis situ fuisse deceptum. Tum mortuum involvit, extrahit, hymnosque, & Psalmos ex Traditione Ecclesiæ recitat. Nova dolendi materies accessit, quod nihil ferramenti effodiendæ terræ a Monasterio attulisset; dum deliberat an præster-

SS. Pauli & Antonii Historia.

mane-

manere, vel ad Monasterium recurrere, duo leones jubas concutientes ex ultima eremo passus accelerant; videns Antonius infremuit quidem, sed in Deum confidens, substitit; illi recta ad corpus S. Pauli cursum dirigunt, cauda blandiuntur, & ad pedes ejus procumbunt, rugitum, quasi mœstitiæ signum, edentes; mox unguibus terram eruere, disjectoque sabulo, foveam, quæ commode hominem caperet, paravere; completo labore, ad S. Antonium demissis capitibus accedentes, commotione aurium quasi mercedem petebant, cognovit Antonius quod benedici cuperent, aitque: *Domine! sine cujus nutu nullus passer in terram cadit, da animalibus istis, quod ipsis conducere novisti!* dansque manu signum jussit abscedere. Dilapsis leonibus, corpus sepelivit, & tumulum de more levavit. Sequenti die S. Pauli tunicam, quam sibi ipsi ex palmæ foliis, ea arte, qua corbes texuntur, confecerat, accepit, & tanto spolio tumidus, ad Monasterium remeavit, ubi suis Discipulis, quæ acta erant, omnia ordine narravit. Exinde in festis solemnibus Paschæ, & Pentecostes S. Pauli tunica indutus comparebat.

Sæculum IV. A. C. 341.

Matt. 10. 29.

Sæculum IV. A. C. 341.

§. XVII.

S. Hilarionis miracula.

vita S. Hilarionis. c. 19. Sanctus Antonius magno non nunqua perfundebatur ſolatio, quotiescunq nimirum aliqua de S. Hilarione fama eum perferebat; ad hunc Epiſtolas da amabat, & accipere; venientibus ad ex partibus Syriæ, ut curarentur, dic bat: *Quare tanto itinere vexari vol ſtis, cum apud vos filium meum Hilari nem habeatis?* S. Hilarion, cum vigi duobus annis in deſerto egiſſet, circa a

Sup. L. X. §. 10. num 329. miraculis clareſcere cœpi Inter prima numeratur ſanitas tribus liis Elpidii, qui poſt hæc Præfectus Pr

c. 8. torii fuit, prodigioſe reddita; is cum liis, & uxore Ariſtenete, Chriſtiana, virtutibus illuſtri, a S. Antonio, quem inviſerat, domum revertebatur; Gaz filios ejus febris tertiana corripuit, ta taque erat vis morbi, ut medici arte ſuam ſuperari faterentur; afflicta mate ad S. Hilarionem in deſertum confugi aſino vecta, quibusdam fœminis, & e nuchis comitantibus; quamvis viro ſa cto firmiter propoſitum fuerit, nullum l cum ab hominibus habitatum ingred cum tamen mulier rogare non ceſſare venit Gazam, & ad lectos trium puer rum accedens, invocavit JEſum Chri ſtum; illico ex his corporibus, febri ar-

denti-

dentibus, tanta ſudoris copia cœpit ef- Sæculum IV.
fluere, ut humorem ex fontibus ſcaturi- A. C. 341.
re dixiſſes; mox cibum capiunt, Matrem agnoſcunt, benedicunt Deum, & viri Sancti manibus oſcula figunt. Hujus miraculi fama vulgata, populi ex Syria, & Ægypto certatim ad videndum Hilarionem concurrunt, multi Chriſtiana fide imbuti, multi vitam Monaſticam amplexi. Necdum ulla ea tempeſtate Monaſteria aut in Palæſtina, aut in Syria erant, ſed ibi ſuam originem S. Hilarioni debent, ſicut in Ægypto S. Antonio.

S. Hilarion viſum reddidit fœminæ ex oppido Facidia prope Rinocoruram in Ægypto; ea, per decem annos cœcitate afflicta, opes ſuas omnes in Medicorum mercedem expenderat; Huic vir Sanctus: *Si facultates tuas in pauperes diſtribuiſſes, JEſus Chriſtus verus Medicus tibi lumen reddidiſſet;* Tum mulieris oculos conſpuens, ſanavit. Multos Energumenos a Dæmonibus liberavit, atque inter alios, nomine Orionem, qui ab integra legione torquebatur; is, ſalute accepta, ad Monaſterium venit cum uxore, & liberis, maxima dona liberatori ſuo afferens, cui Hilarion: *An non legiſti, quæ Giezi, & Simoni facti ſint, illi, quod Gratiam Spiritus S. vendere, iſti, quod emere, voluerit?* Atque Orioni cum fletu dicenti: *Accipe, & da pauperibus,* reſpon-

c. 13. 4. Reg. 5. 20. 25. Act. 8. 10.

Sæculum IV. A. C. 341.

respondit: *melius hoc ipse facies, qui urbes frequentas, & cui pauperes noti sunt. Non est, cur alterius bona appetam, postquam, quæ mea erant, reliqui. Sæpe pauperum nomen avaritiæ obtenditur. Simplex charitas est. Nemo melius dat, quam qui nihil sibi retinet.* Oriens nihilominus mœsto, & sicut in fabula procubuerat, perdurante, ait: *Noli mærere, fili mi! quod facio, tibi, & mihi prodest; nam si munera tua accipio, offendam Deum, & Dæmonum legio in te revertetur.*

c. 15. Civis quidam Majumensis, cui Italicus nomen, Christianus, alebat equos, in Circo cursu certaturos cum equis cujusdam Duumviri Gazensis, cultoris Marnæ, erat autem Marnas nomen Idoli Gazensium, quod Syriace idem, ac generis humani Dominum, significat; Italicus, sciens ab adversario suo magicas artes adhiberi, quibus equorum suorum cursum retardaret, ad S. Hilarionem veniens, opem petebat; venerabili seni absonum videbatur, pro causa levicula Deum precari, aitque modico risu: Quin magis equorum tuorum pretium pauperibus erogas pro animæ tuæ salute? respondit Italicus; hos cursus onus esse a Republica sibi impositum, cui se subtrahere non posset, cumque esset Christianus, sibi veneficiis uti non licere, itaque se a JEsu

Both. Chan. L. II. c. 12. p. 824.

S. Hilarion.

JEsu Christi servo auxilium exspectare contra cives Gazenses, Dei inimicos, & Ecclesiæ insultantes. Rogantibus pro eo fratribus, S. Hilarion scyphum fictilem, ex quo bibere solebat, aqua impleri jubet, & ei dari; Hac aqua, Italicus stabulum, equos, aurigas, currus, & repagula aspergit. (*) Magna exspectatione suspendebatur populus, nam ejus adversarius, ut esset acerbius irridendi occasio, quid Italicus feciisset, vulgaverat. Dato signo, Italici equos, non pedibus terram tangere, sed avolare dixisses, econtra Duumviri Idololatræ pedicis impeditos hærere. Suboritur ingens clamor, ipsis Paganis dicentibus: Marnas a JEsu Christo victus est! devicti, pudore stimulante, tradi sibi Hilarionem Christianorum præstigiatorem, furiose deposcebant, ut punirent; at multi Infidelium ad fidem conversi sunt. Vir sanctus puellam quoque Gazensem liberavit, quam juvenis ad se redamandum fascino coegerat, quippe tabulam cupream, cui verba peregrina, & figuræ portentosæ impressæ, & filorum implexorum cirrum

(*) Ex his Aquæ benedictæ usus probatur, contra Interpretem nostrum, dicentem, ejusmodi Cæremonias esse recentioris superstitionis partus.

Sæculum IV. A. C. 341.

rum sub januæ limine depositum Dæmon alligatus esse putabatur, at S. Hilarion puellam sanavit, non passus juvenem quæri, aut maleficii signa; dicebat non necessarium videri debere, pactum tolli, antequam Dæmon ejiciatur, nec hujusmodi verbis aut figuris, semper fallacibus, fidem habendam.

6. 17. S. Hilarionis fama usque ad Imperatoris Constantii aulam pervaserat; Prætorianorum aliquis, ex eorum numero, quos propter vestimentum candidum, quod gerunt, Candidatos dicunt, ad eum venit, ut a Dæmone liberaretur, qui eum ab ineunte ætate cruciabat. Imperator proficiscenti vehicula publica concessit, & litteras dedit ad Palæstinæ Consularem; advenit ergo cum frequenti comitatu, namque Prætoriani, Principis latere adhærere soliti, omnibus in honore erant, & Centurionem adiens, quærebat, ubi Monachus Hilarion haberi posset? statim incolæ eum illuc deducunt, tum ut sciret, se honorari, tum etiam, ut S. virum mitigarent, quem durius offenderant, credebantque, Prætorianum ideo missum, ut hujus delicti pœnas exposceret. S. Senex in arena deambulabat, Psalmos recitans, dumque vidit tantam pompam ad se accedere, substitit, salutavit omnes, & manum levans, benedixit. Post horæ spatium cœteris omnibus dimissis,

missis, solum Candidatum cum mancipiis suis, & ministris comitantibus retinuit, jamque ex vultu, & oculis, cur advenisset, intellexerat. Erat ille natione Francus, quod ex nitido oris colore, & alba Cæsarie notabatur, nullam linguam præter latinam, & nativam, quæ erat Germanica, callens. Dum eum Sanctus Syriace alloquitur, statim ita erigitur, ut vix pedibus terram attingeret, & horrendum vociferans Syriace, & Dialecto Palæstinæ respondit, accentum, & aspirationes accurate pronuntians; tum ipsum Hilarion etiam Græce interrogat, ut ab Interpretibus suis, non nisi hanc linguam, & latinam doctis, intelligeretur; edixit Dæmon, quomodo in hominem intrasset, seque operationibus magicis illuc adactum credi volebat; at S. Hilarion: *Nihil interest, quomodo intraveris, sed in Nomine D. N. J. C. impero tibi, ut exeas!* Francus itaque liberatus, ut erat vir simplex, S. Hilarioni decem auri libras solvere parabat, cui ille panem hordeaceum dono dedit, inquiens: *Qui tali pane vivere contenti possunt, aurum vestrum non pluris, quam terræ lutum æstimant.*

Sæculum IV. A. C. 341.

§. XVIII.

S. Hilarion suos visitat.

Sancti Hilarionis exemplum innumeram Monasteriorum multitudinem in omnem

c. 9. *c.* 22.

Sæculum IV. A. C. 341.

omnem Palæstinam invexit, hæc ipse ce-
tis ante vindemias diebus visitare co-
sueverat, namque Monachi isti colen-
vites exercebantur. Omnes fratres
trem, Monasteria visitantem, comitaba-
tur, portantes annonam, qua subsisteren-
non nunquam ad duo millia conven-
bant; sequenti tempore oppidani luben-
animo vicinis, & notis Monachis victu-
c. 20. pro sanctis hospitibus conferebant. S. Hi-
larion nec fratrum minimum neglectu-
præteribat, visitationis commentariu-
scribebat, ut sciret, ubi de more dive-
tendum, ubi transeundum esset. Cu-
semel visitando transiret, venit Eleu-
in Idumæa, ea die, qua totus populus
Templo Veneris ad celebrandum ejus fe-
stum erat congregatus; nam Saracen-
hanc Deam propter Planetam ejusde-
nominis adorabant. Quia S. Hilario
e multis obsessis illius Regionis Dæmo-
nes expulerat, cum eum transire scirent,
turmatim processere Sancto obviam, cum
uxoribus, & liberis, inclinantes capita,
& clamantes *Barec*, id est Syriace: Be-
nedic! ipse lenitate, & humilitate Chri-
stiana omnes recipiebat, obsecrans, ut
verum Deum adorare mallent, quam la-
pides. Simul oculis in Cælum elevatis,
lacrymis diffluebat, &, si in JEsum Chri-
stum crederent, sæpius se venturum pro-
mittebat; illi a se discedere passi non sunt,

ante-

antequam Ecclesiæ ædificandæ typum in charta designasset, & Sacrificulus eorum, sicut erat profane coronatus, Christianorum Catechumenis fuisset adscriptus. Sæculum IV. A. C. 341.

§. XIX.

Epistola S. Athanasii ad Orthodoxos.

Interea S. Athanasius litteras circulares ad omnes Episcopos Orthodoxos scripsit, ut scirent, quibus auxiliis Gregorius Sedem suam invasisset. In his initium ducit ab Historia illius Levitæ, qui uxoris suæ, usque ad mortem vexatæ, corpus, in duodecim partes concisum, ad singulas Israelis tribus transmisit. Præsentem persecutionem temporis illius scandalo æquiparat, hortaturque omnes Episcopos, ut in hac calamitate Ecclesiam non destituant, sed animos, & vires uniant, nec disciplinam labefactari, & fidem corrumpi patiantur, *Utraque enim*, inquit: *periclitatur, nisi Deus cito tantorum criminum pœnas vestro Ministerio exposcat. Non heri primum Ecclesiæ Canones dati, sed eos a Patribus nostris sapienti, & firma traditione accepimus. Sed nec fides nostra heri nata, quæ a Domino per Discipulos ejus ad nos pervenit. Ne igitur, quæ a principio in Ecclesiis hucusque conservata sunt, in diebus no-* *Athan. to. I. p. 943.*

Judic. 19. 39

Sæculum IV. A. C. 341.

stris, & culpa nostra pereant, & eorum quæ nobis commissa sunt, ratio a nobis exigatur, exsurgite, Confratres mei! tanquam Dispensatores Mysteriorum Dei cum Bona vestra ab extraneis diripi videtis. Plura ex Epistolæ hujus latoribus discetis, at contineri non possum, quin sutem compendio rem vobis narrem, ut intelligatis, nihil unquam simile ab Ascensione Salvatoris in hanc usque diem in Ecclesia auditum fuisse.

p. 944. Tum de modo, quo intrusus fuerit Gregorius, loquitur, quem ab Eusebianis, seu potius ab ipso Eusebio Ariani submissum dicit. Quantum ejus ordinatio in Canones peccet, ostendit, aitque: *Si me accusandi causa fuisset, juxta Canones, & S. Pauli præceptum, congregandus erat populus cum Spiritu eorum, qui me ordinarunt, & D. N. J. C. potestate; omnia rite examinanda coram populo, & Clericis Episcopum sibi dari poscentibus; quis autem ferat, hominem extraneum, hominem, qui Nomen Episcopi pecunia data emit, se ipsum vi, & judicum sæcularium auctoritate in Ecclesiam Fidelium intrudere, qui eum non postulant, nec noverunt, & nihil eorum omnium quæ acta sunt, sciunt? hæc tolerare, esse Canones irritos facere, & Gentilibus suspicandi causam dare, quod ordinationes inter nos non juxta aliquam Legem divi-*

1. Cor. 5. 4.

nam

Sæculum IV. A. C. 341.

nam fiant, sed ambitu, & sæculari potestate. Gregorii deinde ingressum, vimque, plurimis illatam, se ipsum, ut vitam servaret, fugere compulsum, & persecutionem, quam populus, & Clerici passi essent, ut ad communicandum cum Gregorio adigerentur, memorat.

His addit: *Ergo Gregorius Arianus est, & ab Arianis missus, nemo enim præter eos ipsum expetiit; hinc quia mercenarius est, & alienigena populum Catholicum, fretus Præfecti potentia, crudeliter habet. Notum vobis est, quod Eusebiani jam prius Pistum pro Arianis ordinaverint, eumque, postquam id ad vos perscripseram, ab omnibus, quotquot estis, Catholicis Episcopis fuisse rejectum, & anathematizatum; inde est, quod jam Gregorium iisdem Arianis submiserint, atque, ut probrum, sibi secundo ex Epistolis, quas adversus eos daturi sumus, nasciturum evitent, potestatem sæcularem in nos armavere; putant quoque, quia Ecclesias tenent, se ab Arianismi suspicione posse liberos esse. Sed etiam hac vice spe sua delusi sunt, nemo enim Gregorium sequitur, nisi hæretici, aut propter crimina sua Ecclesia ejecti, & qui timore Præfecti dissimulant. Multo jam tempore Eusebiani meditantur, & moliuntur pulcherrimum facinus!*

p. 948.

Sup. §. 4.

Sæculum IV. A. C. 341.

Deinde, ut causam communem fo titer defendant, Episcopos in hunc m dum excitat; *Si vobis*, inquit: *in Ec siis vestris sedentibus in medio populi, nulla adversum vos quevela, alius sub adveniens cum Imperatoris imperio Cathedram vestram irrumperet, quis bis animus ad rei insolentiam esset? non judicum fidem implоraretis? æqu igitur est, ut iis, qui jam tantum n contra Leges Ecclesiasticas ausi sunt, vehementer succenseatis, ne, si dissimulet malum alias quoque Ecclesias corrip* p. 950. *& sic Pastorale docendi munus in Eccl in mercaturam, & negotiationem tem* S. Athanasii Epistola. *ralem transeat.* Et inferius: *Si anno periore, antequam hæc omnia contigerin fratres nostri, qui Romæ sunt, Con lium exposcendum esse existimarunt, qu jam tum contra Leges acta ulciscerem quanto magis indignari vos oport postquam veteribus erratis nova scele accumulata sunt?* Sub finem Epistolæ r gat Episcopos, ne Gregorii litteras, scriberet, acciperent, sed lacerarent, e rumque bajulos tanquam homines im pios, & ministros iniquitatis spernerent *Si autem*, inquit: *vobis scribere audea cum formula pacis, id est, non ut E piscopus, sed ut privatus Fidelis, nolit litteras suscipere, nam qui eas afferun non nisi Præfecti timore adacti, id fe*

ciunt

ciunt. Cavete etiam, ne vos Eusebiani de- Sæculum IV.
cipiant, qui forte clientem suum apud vos A. C. 341.
laudabunt. Cæterum quomodo Gregorius Arianum se esse neget? cum Ammon ille Gregorii epistolas manu sua signet, quem Beatus Alexander jam diu propter impietatem suam Fidelium communione ejecit? rogo vos, per quidquid possum, ut mihi respondeatis, & impios damnetis, sic enim Clerus noster, & populus de vestra unione læti solatium capient, & rei ad pœnitentiam provocabuntur.

§. XX.

S. Athanasius Romæ.

Sanctum Athanasium Romæ advenientem multi primæ nobilitatis amice exceperunt, Eutropia Imperatorum affinis, Abuterius, & Sperantius; Julius Papa aliquando Deo gratias reddere auditus est, quod sibi concessum fuerit, noscere tantum virum. Julius Marco Papæ successerat, septima Octobris anno 336 defuncto. Sacra Sedes vacavit menses quatuor, & Julius 18. Jan. anno 337 electus fuerat; atque tunc a quatuor annis Sedi Romanæ præerat. S. Athanasius, causæ suæ curam Ecclesiæ relinquens, nihil potius habebat, quam Divinis interesse Officiis. Quosdam Monachos secum adduxerat, inter quos erant

Athan. ap. 1. *p.* 677. 978. *Mart.* 7. *Oct.*

Pagi. an. 336. *n. ib. p.* 675.

Sæculum IV. A. C. 341.

Ammonius, & Isidorus. Ammonius ... curiositatis vitium in se suppresserat, ... nullius ædificii magnificentiam, qua ... Romana inter omnes reliquas latiss... celebrabatur, conspicere dignaretur; ... Socr. IV. hist. c. 23. sub fin. Pal. Lausiac. c. 1. Iam SS. Petri, & Pauli Ecclesiam adi... Is cum post hæc vi traheretur, Episcop... ordinandus, fugit, sibique auriculam ... stram abscidit, ut hac difformitate or... nationem amoliretur. Isidorus in Sacr... litteris doctissimus erat, & Theologus ... mius; mansuetudo singularis virum ... iam Gentilibus commendabat. Is Pre... byter exinde ordinatus, & Superior ... Nosocomio Alexandrino constitutus ... vixit annos octoginta quinque, quorum ... forte vigesimum tertium numerabat, cum ... Romam venit. S. Athanasii opera Pro... fessio monastica primo innotuit, eo ... tem maxime, quod vitam S. Antonii, tun... quidem adhucdum viventis, a se confec... ptam attulisset. Hactenus vita monasti... ca, tanquam nova, contemptui fuerat, ... hancque Matronæ Romanæ penitus igno... rabant; Marcella omnium prima hu... exemplo cæteris viam præivit. S. Athan... nasius mensibus decem, & octo Roma... egit, Eusebianorum adventum frustra ex... spectans.

Hier. ep. 16. ad Princ.

Epist. Jul. ap. Athan. p. 748.

Ap. 2. pag. 739. ad solit. p. 816.

Interim Julius SS. Pontifex Eusebi... nos litteris, ut Romam venirent, invita... vit, & adessent Concilio, quod eorum dele...

delegati petierant. Certam diem dixit, qua si non comparerent, suspicionem fraudis non effugerent; Julii epistola ad eos solum data erat, quorum litteras ipsi Martyrius, & Hesychius attulerant, & suo tantum scripta nomine, quamvis omnes Italiæ, & vicinarum Provinciarum Episcopos eadem secum sentire, compertum haberet. Hanc epistolam duobus ex suis Presbyteris Elpidio, & Philoxeni ferendam tradidit, qui eam Eusebianis Antiochiæ adhuc morantibus reddidere. Illi inexspectatum nuntium, Romæ esse Athanasium, valde mirati, facile intellexerunt, futurum Romæ Concilium juxta canones judicaturum, nullum ibi Comitem, nullos ad januam milites excubituros, nihil Imperatoris mandata valitura; igitur conscii, quid a Concilio legitimo timere meruissent, Romam ire ausi non sunt; Presbyteris, a SS. Pontifice missis, ultra terminum in litteris præscriptum apud se retentis, quartam fidei formulam aliquot mensibus, quam priores scripserant, posteriorem composuere, in qua nihil aliud expresse, nisi orthodoxum legebatur, vocem tamen consubstantialis suppressere, quamvis non alium sibi finem in condenda hac formula, sicut & in prima, proposuisse videantur, quam se ab Arianismi suspicione purgare.

Sæculum IV. A.C. 341.

Sozom. 3. c. 8.

Athan. de Synod. p. 894. 895.

Athan. ad solit. p. 813. *Marcell. lib. ap. Epiph. hær.* 72. *n.* 2.

Sæculum IV. A. C. 342.

Marcellus quoque Ancyranus, nuper Antiochiæ damnatus, Romam venit, quo cum Papa communicare non dubitaret, quippe, qualis esset fides ejus, ex Concilio Nicæno contra Arianos satis constabat. Is etiam quindecim menses, adversarios suos exspectando Romæ transegit. Præter Athanasium, & Marcellum plures Episcopi Thraciæ, Syriæ, Phœniciæ, Palæstinæ, Presbyteri Alexandrini, & ex aliis locis Romam se contulerant; inter illos Episcopos recensentur Asclepas Gazensis, & Lucius Andrinopolitanus Arianorum factione pressi, & Sedibus suis pulsi. Quisquis Episcoporum oppressionem patiebatur, confugium & opem in SS. Pontifice requirebat, cui Dignitas sua & Sedis prærogativa omnium Ecclesiarum curam suscipiendi tribuebat auctoritatem. In hunc modum loquuntur Sozomenus, & Socrates Scriptores Græci, atque eo ipso, quod Ecclesiæ Romanæ adulari voluerint, nullatenus suspecti. (*)

Epist. Jul. ap. Athan. p. 751.

Socrat. II. c. 15.

Soz. III. c. 8.

§. XX.

(*) Diese Zeilen des Herrn Fleury hat unser Protestant, als ein herrliches Zeugniß wider sich selbst, und seine Glaubensgenossen, redlich übersetzet.

§. XXI.

Sæculum IV. A. C. 342.

S. Paulus Constantinopoli in Sedem suam reducitur, rursusque pellitur.

Eusebius Constantinopolitanus Concilio Antiocheno non diu supervixit, eumque ad summam senectutem devenisse necesse est, si jam tunc provectæ ætatis fuit, cum viginti ante annis Ariana hæresis orco emersit. At non simul cum eo Arianorum factio deleta; qui hactenus sub eo adjutores erant, Sectariorum Duces facti sunt Theognis Nicænus, Maris Calcedonensis, Theodorus Heracleensis, Ursacius Singidunensis, & Valens Mursensis ex Superiore Pannonia. Eusebio satis functo populus Catholicus Constantinopolitanus Paulum in Sedem suam, qua contra fas omne dejectus fuerat, restituit, Ariani econtra, Theogni, & Theodoro auctoribus, in alia Ecclesia Macedonium ordinarunt. Eo crevit populi in partes divisi ardor, ut seditio Belli civilis speciem haberet, pugnæ continuæ non sine cædibus committebantur. *Epiph. hær. 69. n. 5. Socr. II. c. 12. Soz. III. c. 7.*

Tanta rerum perturbatio brevi ad aures Imperatoris Constantii delata, adhuc Antiochiæ degentis; & tunc forte Hermogenem Militiæ Magistrum in Thraciam mittebat, huic in mandatis dedit, ut per illam Regionem transiens, Paulum ejiceret. Hermogenes Constantinopolim ad- *Socrat. II. c. 13.*

Sæculum IV. A. C. 342.

veniens, tumultum auxit, nam cum Imperatoris jussa, vi adhibita, exequi pareret, restitit populus, ut Episcopum charissimum defenderet, vim vi repulsurus dumque instat Hermogenes, & armata manu Paulum rapere tentat, multitudo plebis, ut fieri solet, in rabiem acta, Hermogenis domui flammas injicit, ipsum crudeliter interfectum, per urbem raptat. Hæc furiose gesta sunt, duobus Imperatoribus, Constantio tertio, & Constante secundo Consulibus, id est, anno 342. Constantius, audita Hermogenis cæde, equum conscendens, relicta Antiochia, Constantinopolim per nives, & imbres contendit, ex quo colligas, quod hæc hieme acta fuerint; neminem tamen capite mulctavit, sed populi, senatusque cum lacrymis obviam sibi procedentium miseratus, non graviori pœna in civitatem animadvertit, quam quod mediam frumenti partem, Alexandria advehi soliti, ipsis abstulerit; nempe Pater ejus Constantinus civitati Antiochenæ octoginta modios gratis tradendos præceperat, quem numerum Constantius ad quadraginta reduxit; at Paulum urbe expulit, nec tamen Macedonii Electionem confirmavit, offensus, quod, suo consensu non requisito, fuisset ordinatus, quodque ipsum non minus ac Paulum seditionis causam fuisse sciret; eum igitur tantum non

Litan. Basilit. p. 128.

non urbe expulit, sed eum in Ecclesia, qua ordinatus fuerat, conventus agere passus, ipse Antiochiam rediit. Sæculum IV. A. C. 342.

§. XXII.

Concilium Romanum.

Eusebiani, quibus, mortuo licet Eusebio, diu nomen hæsit, adhucdum Antiochiæ congregati, Elpidium, & Polixenem Papæ legatos detinebant; remisere tandem mense Januario cum epistola, qua excusabant, Romam se proficisci non posse ob bellum contra Persas imminens, viæ longitudinem, & præscripti ad veniendum temporis brevitatem; querebantur deinde novum Concilium convocari non sine præteritorum injuria, in quibus de iisdem jam causis tractatum fuisset; nempe in Concilio Tyriensi contra S. Athanasium, & Constantinopolitano contra Marcellum Ancyranum, & aliis. Improbant etiam, quod Papa ad Communionem admisisset duos Episcopos, qui (ipsorum opinione) erant condemnati. Ecclesiæ Romanæ Primatum agnoscebant, adjecta adnotatione, quod Evangelii Prædicatio in Oriente exordium sumpserit. Æqualem esse Episcoporum potestatem dicebant, quæ ex urbium magnitudine æstimari non deberet. Totius epistolæ stilus astutiam, illusionem, contentionem,

Athan. Ap. p. 744. Epist. Jul. ibid. p. 740. &c.

Sæculum IV. A. C. 342.

tionem, & puerilem eloquentiæ jactantiam redolebat. Elipidius, & Philoxenes Romam redeuntes hanc epistolam retulerunt, afflicti vehementer, ob perversam agendi rationem, quam Antiochiæ experti erant, & vulgata crimina Alexandriæ commissa.

Julius Papa acceptam Orientalium epistolam, omnibusque serio pensatis, occultam eam tenuit, quod speraret, quosdam ex illo orbe mittendos esse, sicque hanc epistolam premi posse, sciens, quantum, hac epistola in vulgus missa, aliqui Romæ existentes dolituri essent. Tandem, cum certo constaret, Orientales non venturos, Concilium ferme quinquaginta Episcoporum convocavit, in quo S. Athanasii, aliorumque, qui Eusebianos accusatum venerant, causa ageretur. S. Paulum quoque Constantinopolitanum, ab Imperatore depulsum adfuisse ferunt. Concilium Romæ in Ecclesia celebratum, ubi Vitonus Presbyter populum convocare consueverat, id est, secundum nostrum hodie dicendi modum, ubi erat Parochus. Idem Presbyter Vitonus unus eorum est, qui in Concilio Nicæno a S. Papa Sylvestro missi, legatione functi fuerant.

Athan. ad solit. 818.

Socrat. II.

Soz. III.

Athan. Ap. p. 739.

S. Athanasii causa denuo in hoc Concilio examinata; quæ Pontifex cum Eusebianis egerat, approbata, nempe epi-

stola

stola per Elpidium, & Philoxenem ad eos missa, & longa patientia, qua SS. Pontifex eorum adventum exspectasset. Quod venire renuissent, postquam per legatos Concilium celebrari petierant, omnibus merito suspectum fuit; at cum eorum epistola publice fuisset prælecta ingens admiratio omnes, quosdam etiam dubitatio corripuit, an hæc epistola ab Episcopis proficisci potuisset, a spiritu simplicitatis & charitatis Ecclesiasticæ tam aliena? econtra epistola Concilii ante duos annos Alexandriæ coacti, in quo S. Athanasius testimonio centum Episcoporum absolvebatur, plurimum valuit. Plures alii Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ex Mareotide, aliisque locis Romam venerant, S. Athanasii causam defensuri; hi Eusebianorum Tyrannidem, & ea præprimis, quæ, dum Gregorius Episcopatum invaserat, multi passi erant, recensentes, omnium animos miseratione implebant, etiam epistolas Episcoporum, & Presbyterorum Ægypti afferebant, querentium, quod Romam ad Concilium ire volentes, prohibiti fuerint. Hæc omnia valde S. Athanasii causæ favebant.

Sæculum IV. A. C. 342.

Sup. §. 8.

Quod autem rei caput, nulla eorum, de quibus accusabatur, argumenta afferebantur. Arsenius, quem occidisse dicebatur, inter vivos erat. Nullum altare eversum fuerat, aut confractus calix

in

Sæculum IV. A. C. 342.

in domo Iſchyræ, quod propria ejus confeſſione patebat, & ex inquiſitionibus, quas ipſi accuſatores in Mareotide fecerant, miſerantque ad SS. Pontificem, quippe earum nullitas ex ſola lectione apparebat. Itaque judicium Concilii Tyrienſis, cui Antiochenum innitebatur, juſtitiæ, & Canonibus adverſum pronuntiatur, S. Athanaſius innocens declaratur, & in Eccleſiæ Communione ut Epiſcopus legitimus confirmatur.

§. XXIII.

Profeſſio Fidei Marcelli Ancyrani.

Epiph. hær. 72. n. 2. Epiſt. Jul. ap. Athan. apol. 2. p. 750.

Marcelli Ancyrani quoque cauſa examini ſubjecta; & veroſimiliter in hoc Concilio lectus eſt commentarius, quem ad modum epiſtolæ Papæ inſcripſerat, petenti, ut fidem ſuam explicaret. Erat autem hoc ſcriptum ejusmodi tenoris: *Sanctiſſimo meo Collegæ Julio in JEſu Chriſto Salutem! Cum aliqui ex illis, qui ob errores ſuos in fide condemnati fuere, quosque in Concilio Nicæno erroris convici, me criminari veriti non ſint, & ad tuam Sanctitatem ſcribere, ſenſa mea Eccleſiæ fidei eſſe contraria, neceſſarium duxi, ut Romam venirem, teque rogarem, ut illi quoque advocentur, quos præſentes convincam, falſo me ab illis accuſatum, ipſos vero in priſtina hæreſi perſeverare, atque*

inau-

inaudita contra Ecclesias, nosque Ecclesiarum Rectores, ausos fuisse. Ipsi interim comparere noluerunt, quamvis Presbyteros ad eos miseris, & ego quindecim mensibus integris Romæ exspectaverim; igitur antequam revertar, fidei meæ professionem manu mea scriptam in omni veritate tibi trado, qualem ex Divinis Scripturis didici, & sermonum eorum fallacias, quibus auditores suos seducunt, tibi ante oculos pono.

Sæculum IV. A. C 342.

Deinde Marcellus adversarios accusat, quod dicerent; Dominum nostrum JEsum Christum non esse verum Dei Verbum, sed dari aliud Verbum, aliam Sapientiam, aliam Virtutem, per quam ipse factus, Verbum, Sapientia, & Virtus dictus esset. Hinc ei aliam hypostasim, ab hypostasi Patris distinctam tribuebant. Dicebant Patrem Filio præexistere, nec eum aliter de Deo esse agnoscebant, quam sicut omnes alias Creaturas; tempus fuisse, in quo non exstiterit, eumque Dei creaturam esse, & opus. *Ego vero*, inquit: *credo unum Deum, & Filium ejus unicum, Verbum, semper coexistentem Patri, cui non est existentiæ initium; qui vere de Deo est, non creatus, non factus, sed semper existens, & semper cum Deo Patre regnans. Ipse est Filius, Virtus, Sapientia; proprium, & verum Dei Verbum, Dominus noster JEsus Christus.* Et inferius:

Sæculum IV. A. C. 342.

rius: *Ex SS. Scripturis doctis sumus, D*
vinitatem Patris, & Filii esse indivisi
ibid. n. 3. *lem, nam si quis separet Filium, id e*
Verbum, a Deo omnipotente, necesse e
ut duos Deos credat, quod a vera Doctr
na alienum est, aut confiteatur, Verbu
non esse Deum, quod nihilo minus a fi
Catholica abhorret, dicente Evangelist
Joan. 1. *& Deus erat Verbum. Ego certissimum*
neo, Filium esse Virtutem Patris inse
rabilem, & indivisibilem, cum Jes
Jo. 14. 10. *Christus ipse dicat: Pater in me est, &*
ego in Patre sum. Et iterum: Pater, &
ego unum sumus. Item: qui videt m
Jo. 10. 30. *videt & Patrem. Hæc est fides, quam e*
SS. Scripturis hausi, & a Patribus nostr
Spiritualibus accepi. Hanc in Ecclesia Do
prædico, hanc modo tibi scriptam trad
aliud exemplum apud me reservo, & rog
te, ut ejus descriptionem in epistola, quam
ad Episcopos daturus es, inseras, ne fort
aliqui, quibus animi mei sensa ignota sunt
calumniatoribus meis fidem adhibeant, &
decipiantur. Talis fuit Marcelli Ancyra-
ni commentarius.

§. XXIV.

Julii Papæ epistola.

Ap. Athan. Apol. 2. p. 736. & to. 2. Conc. p. 193.

Concilio Romano hæc Marcelli profes-
sio satisfecit; simulque Athanasius,
Marcellus, & Asclepas innocentes, mal-
damnati

damnati, & sine causa depositi pronuntiantur. Credibile est, etiam alios Episcopos, qui advenerant, ut de illatis sibi injuriis quererentur, fuisse restitutos. Omnium vero consilio audito, Julius Papa ad Orientales scripsit in hunc modum: *Julius, Danio, Flaccillo, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro, aliisque, qui Antiochia ad nos scripserunt, fratribus nostris in Domino nostro Salutem!* Danius, seu Dianeus, qui hic primus ponitur, erat Episcopus Cæsareæ in Cappadocia. Eusebius iste verosimiliter est Episcopus Emesinus. Post hoc exordium sequens est epistolæ tenor: *Litteras vestras, quas mihi Presbyteri mei Elpidius, & Philoxenes attulerunt, legi, & satis mirari non potui, quod mihi, in charitate, & simplicitate cordis scribenti, stilo haud sane congruo, verbisque contentionem, fastum, & sæcularem jactantiam sapientibus, responderitis, talia a fide Christiana sunt alieniſſima; cum in charitate vobis scripserim, simili charitate, & non in Spiritu dissensionis respondere vos oportuit; quid enim, an non charitate urgente missi ad vos Presbyteros, ut afflictis compateremur? & illos, qui mihi scripserant, ut venirent, hortatus sum, ut ærumnæ fratrum nostrorum, & accusationes, contra vos allatæ, finem haberent?*

Sæculum IV. A. C. 342.

Sozom. III. c. 5. ib. c. 6.

Sæculum IV
A. C 342.

p. 740.

Deinde subjungit: *si, qui vestram epistolam dictavit, vanam Rhetoricæ laudem aucupatus est, haud sane viro Ecclesiastico digna cogitavit. In negotiis Ecclesiæ non verborum ostentatione agendum, sed canonibus Apostolicis, maxima adhibita cura, ne cuiquam scandalo simus. Si quæ jurgia, & contentiones inter tales, quibus curta supellex, exortæ, huic epistolæ vestræ causam dederunt, at non debebat ob super iracundiam eorum occidere, aut saltem ita coercere oportebat, ne in litteras publicis appareret. Quid enim inveniss in epistola mea, cur irascamini? an quod vos ad Concilium invitaverim? multo magis gaudere vos decuisset; nam qui de factis suis securi sunt, ea ab aliis examinari non succensent, nec timent, ne lata sententia, semel justa, naturam exuat. Hanc magnum Concilium Nicænum permisit, ut unius Concilii Decreta in sequenti ad examen revocari possint, sicque judices futurum latæ suæ sententiæ judicium timentes, majori sollicitudine in causæ æquitatem inquirant, & tandem ne partes animo, pravis affectibus in transversam actas pronuntiatum fuisse credere possint. Hanc regulam honeste rejicere non potestis, nam quod semel in Ecclesia in consuetudinem transiit, & a Conciliis confirmatum est, a paucis aboleri non debet.*

Julius

Julius Papa ulterius Eusebianis exprobrat, quantum sanæ rationi adversentur, dum invitatos se ad Concilium queruntur, quod tamen ipsi per suos Delegatos Macarium Presbyterum, & Diaconos Martyrium, & Hesychium postulassent, tunc, cum a legatis Athanasii convicti, erubescere coacti fuissent. Inde transit ad aliam querelam, quam Eusebiani moverant; dicebant, quæcunque in aliquo Concilio rata fuissent habita, in nullo alio infirmari posse debere, probrosum esse judici, si alio judicio ejus sententia ad trutinam revocetur; hæc dicendi causa erat, ut Concilia sua Tyriense, & Constantinopolitanum defenderent; ad hæc autem Julius respondebat: *Attendite fratres mei, ego vobis ostendam, quinam illi sint, qui Concilio probrum intulerint, quinam latam sententiam contempserint, & ne quemquam nominem, ea solum referam, quæ nuper facta sunt, & sine audientium horrore percipi nequeunt; Ariani, ab Alexandro Episcopo Alexandrino felicis memoriæ expulsi, non solum in singulis civitatibus excommunicati, sed etiam ab universo Concilio Nicæno anathematizati, quorum crimen maximum est, cum non in hominem peccent, sed in JEsum Christum Filium Dei viventis, isti, inquam, Ariani abjecti, & in tota Ecclesia infames, tamen hodie a quibusdam in communionem recipi*

Sæculum IV. A. C. 342.

Sup. §. IV.

p. 742.

S. Julii Epistola.

Sæculum IV. A. C. 342.

dicuntur! non puto, vos ipsos sine indigna-tione hæc audire posse. His addit S. Jo-lius; a Gregorio intruso Episcopo Alexan-drino ad se Romam missos esse Cam-nam, aliosque Arianos manifestos, atque iterum, ipsos eorum Delegatos Mac-rium, Martyrium, & Hesychium sibi persuadere voluisse, ut Pisto in pace scri-beret, quem ante Gregorium ad Catho-dram Alexandrinam destinaverant; jam, p. 743. inquit: *quæso! edicite! quinam illi sint, qui Conciliorum auctoritatem vilipendunt? illi certe, ut ego quidem existimo, qui tre-centorum Episcoporum suffragia nihili faciunt; nam quis nescit, Arianorum hæ-resin ab omnibus orbis terrarum Episcopis damnatam, atque proscriptam? plures au-tem sunt, qui Athanasii, & Marcelli fidem ore, & calamo defendunt. Testimonio pro-borum virorum tenebamus, Marcellum in Concilio Nicæno Arianis virili constan-tia obstitisse, Athanasium in Concilio Ty-riensi ne quidem fuisse condemnatum, & in Mareotide, ubi in facta ejus inquisitum ajunt, non fuisse præsentem; non ignora-tis autem, Chari fratres! ea, quæ in par-tis unius absentia fiunt, nulla esse, & suspe-cta. Hæc omnia cum sciremus, nihilomi-nus, ut veritas clarius eluceret, nec præ-judicio contra vos, aut contra eos, qui il-lorum causæ faventes nobis scripserunt, lo-cus esset, omnes huc ad nos vocavimus, ut*

omnia

omnia in Concilio matura deliberatione pensarentur, ne aut innocens condamnaretur, aut absolveretur reus.

Sæculum IV. A. C. 342.

Nemini mirum videatur, quod Papa, ad Eusebianos scribens, Arianos depingat tanquam hæreticos, quos omnes Boni rejicerent, & abominarentur, id enim ipsi Eusebiani aperte negare non audebant, & quamvis eorum factio vires omnes ad hanc hæresin restituendam, seu potius conservandam conferret, maxima tamen solertia cavebant, ne Arianos se dicerent, aut interrogantibus faterentur. Id ex prima fidei formula, quam Antiochiæ in festivitate Dedicationis professi fuerant, dignoscitur. Illo tempore nihil aliud sibi esse propositum, videri volebant, quam condemnationem Athanasii, Marcelli, aliorumque inimicorum suorum urgere, atque, ne in suas Sedes reponerentur, prohibere.

S. Julii Papæ Epistola in Eusebianos.

Eusebiani, ut Conciliorum auctoritatem extollerent, exempla eorum, a quibus Novatus, & Paulus Samosatenus damnati, adduxerant; ad hæc SS. Pontifex respondet; His exemplis Concilii Nicæni auctoritatem firmari, & Arianos, ab hoc Concilio damnatos, non minus hæreticos esse, quam Novatiani, & Paulianistæ essent. Aliud etiam facinus in Concilium Nicænum ausos esse, objicit, nempe transtulisse Episcopos; utque confundat,

Sæculum IV. A. C. 342. in eos ipsos, quæ ad Ecclesiæ Romanæ extenuandam auctoritatem produxerant, retorquet. *Si vere creditis*, inquit: *dignitatem Episcopalem ubique æqualem esse, fallique eos, qui ex amplitudine urbis, in quisque sedet, Episcopi potestatem metiuntur volunt, illum, cui modica Ecclesia commissa fuerat, in ea relinquere oportebat, ipsumque non transire ad alienam; non oportebat, inquam: Ecclesiam a Deo sibi traditam, imo Deum ipsum, qui tradiderat, contemnere, ut vanam hominum gloriam captaret.*

De temporis brevitate, intra quod ad Concilium venire debuissent, querentibus, respondet; inanem esse excusationem, cum ne quidem se in viam dederint, suosque Presbyteros usque ad mensem Januarium fuisse detentos; argumentum ergo esse, quod causæ suæ differerent. Querebantur præterea, quod soli Eusebio, & non magis sibi omnibus scripsisset; ad hoc ait, se illis solis respondisse, qui prius ad se scripserant, & subjungit: *sciendum autem vobis est, quamvis solus scripserim, non tamen scripsisse ex mea unius sententia, sed omnium Episcoporum Italiæ, & vicinarum Regionum; nolui ab omnibus petere, ut scriberent, ne eis, ad quos scribebam, tanta litterarum copia molestus essem. Interim tamen Episcopi dicta die advenerunt, & in eandem con-*

sensu

sensere sententiam. Ex his colligitur, hanc Julii Papæ epistolam Concilii Romani Decretalem esse, in qua non sibi soli definiendi auctoritatem attribuit. (*) Sæculum IV. A. C. 342.

§. XXV.

Continuatio epistolæ Julii Papæ.

His discussis S. Julius ad summam rei venit, probatque, se non temere, sed juxta æquitatis leges S. Athanasium, & Marcellum Ancyranum in suam Communionem recepisse; *Eusebius*, inquit: *prior mihi scripsit contra Athanasium, vos ipsi nuperrime scripsistis; at altera ex parte plures Episcopi Ægypti aliarumque Provinciarum pro ipso ad me scripserunt; litteræ, quas ad me dedistis, non constant sibi, posteriores prioribus contrariæ sunt, nihil probant. Præterea vos vultis, ut fides vestris litteris habeatur, quare autem eadem fides contraria scribentibus de-* p. 745.

(*) Ad hunc locum dicit Anonymus I. virtute Potestatis, a JEsu Christo S. Petro concessæ, satis Auctoritatis esse Papæ, ut solus ea præcipiat, quæ ad Ecclesiæ Regimen pertinent. Quæstio delicate tractanda! interim istud ex universa Historia Ecclesiastica liquet, SS. Pontifices in causis majoris momenti S. Pauli dictum observasse; multa mihi licent, sed non omnia expediunt, 1. Cor. 6, 12.

Sæculum IV. A. C. 342.

negetur? & Athanasium defendentibus cum multo magis fidem mereantur qui vobis in remota Regione degentibus, qui in iisdem locis sunt, quæ acta sint, scitu virum ipsum noverunt, de moribus ejus testantur, & affirmant, quæcunque contra Athanasium afferuntur, mendacia & calumnias. Hic factum Arsenii exponit, & moratur longius in facto Ischyræ, quod jam superius memoratum; ostendit, Calumniatores esse Eusebianos, et ipsorum inquisitione in Mareotide probari; non omittit extollere ineptiam decentium, Ischyram (ex morbo retro jacentem parvi cubiculi decumbentem) tum Sacrificium obtulisse, cum tamen ad hoc munus stare ad altare debuisset; nec minus absurdum, quod rei testem adducerent catechumenum, cum hora oblationis omnes Catechumeni dimitti solerent. *Obstupuimus*, inquit: *dum vidimus inquisitionem de Calice, de mensa Sacra agitatam in præsentia Præfecti, & cohortis, coram Gentilibus, & Judæis, nec adduci potuissemus, ut talia crederemus, nisi acta publica fidem facerent. Exclusis Presbyteris, legitimis Sacramentorum Ministris, coram judice sæculari, Catechumenis præsentibus, &, quod multo pejus, coram Gentilibus, & Judæis infensissimis Nominis Christiani hostibus judiciales quæstiones de corpore, & sanguine JEsu Christi*

Sup. l. XI. §. 46. 47. 49.

p. 747.

750.

sti formantur. Si crimen admissum fuis- Sæculum IV.
set, legitime in Ecclesia, a viris Eccle- A. C. 342.
siasticis perquirendum erat.

Ulterius de illegitima Gregorii ordi- *p.* 748.
natione agens, *Videamus*, inquit: *quis-nam ex nobis Canones transgressus fuerit? nos, qui virum, innocentem probatum, recepimus? an illi, qui Antiochiæ, urbe triginta sex dierum itinere distante, homini extraneo Nomen Episcopi tribuerunt, & cum militum præsidio Alexandriam miserunt? id autem, cum Athanasius in Galliam mitteretur, non factum; fieri tamen oportuisset, si vere fuisset condemnatus. Interim ex Gallia rediens Ecclesiam suam vacantem invenit, & receptus est. Modo, qua ratione omnia peracta fuerint, nescio. Et primo quidem, postquam scripseramus, convocandum esse Concilium, futurum hoc judicium anteverti non debuerat.* Hic Concilium Antiochenum fuisse præcipitatum reprehendit. Deinde pergit: *Tam peregrina agendi ratio in Ecclesiam non erat inducenda; quis enim quidquam simile in Canonibus, aut Traditione Apostolica inveniat? ut tranquilla Ecclesiæ pace, tot Episcopis cum Athanasio Episcopo Alexandrino communicantibus, illuc quidam Gregorius alienigena mittatur, ibi non baptizatus, ignotus omnibus, nec a Presbyteris, nec ab Episco-*

Sæculum IV. A. C. 342.

pis, nec a populo poſtulatus, Antiochiæ ordinatus, & Alexandriam miſſus, non cum illius civitatis Presbyteris, aut Diaconis, aut Ægypti Epiſcopis, ſed cum militibus? Hæc quippe illi, qui huc ad nos venerunt, narrant, & deflent. Etiam ſi Athanaſius poſt actum Concilium inventus fuiſſet reus, tamen alius contra Leges, & conſuetudines Eccleſiæ non fuiſſet ordinandus; ſed Epiſcoporum illius Provinciæ fuiſſet, ex ejusdem Eccleſiæ Presbyteris, vel Clericis virum ordinare. Quæſo! ſi cui ex vobis tanta injuria illata fuiſſet, an non Eccleſiæ auctoritatem in remedium vocaretis? Charissimi fratres! in veritate loquimur, & coram Deo! iſta agendi ratio nec legitima, nec Viris ſanctis, nec Eccleſiaſticis digna fuit. Hic Electionis Regulas teſte hoc S. Papa habemus.

p. 750. Ad cauſam Marcelli Ancyrani tranſiens, teſtatur, fidem ejus ſibi integre probari, atque Eccleſiæ Catholicæ eſſe conformem; tum ſubdit: *Affirmat nobis, ſemper eandem ſibi fuiſſe mentem, & Presbyteri noſtri, qui Concilio Nicæno interfuere, ipſum eſſe Orthodoxum teſtati ſunt.*

S. Julii Papæ Epiſtola.

p. 751. Et mox ait; eadem fuiſſe peccata Ancyræ, quæ Alexandriæ, quod Marcello, aliisque referentibus didiciſſet. Tum ſic proſequitur: *Accuſationes, contra aliquos ex vobis (ego enim neminem nomi-*

nomino) ad nos perlatæ, ita atroces sunt, Sæculum IV.
ut eas chartæ committere permoveri non A. C. 342.
potuerim, sed forte hæc aliunde vobis nota. Hæc præprimis causa fuit, cur scripserim, & vos, ut adveniretis, invitaverim, ut hæc vobis oretenus communicarem, &, quæcunque errata essent, emendarentur. Hæc quoque vobis incitamento sint, ut veniatis, quod si facere recusatis, nemo non merito suspicabitur, pessimam esse vestro ipsorum judicio causam vestram, quam defendi posse desperetis.

Tandem hortatur, ut tantis malis *p. 753.*
tollendis adlaborent, & inter alia, *Fratres mei!* inquit: *hodie Ecclesiastica judicia non amplius secundum Evangelium pronuntiantur, jam ad exilium, ad mortem tendunt. Si Athanasius, & Marcellus rei fuere, nobis omnibus scribendum erat, ut judicium ab omnibus approbaretur; Episcopi, & integræ Ecclesiæ premebantur, nec Ecclesiæ vulgares, sed tales, quas Apostoli per se rexerunt. Quare ergo præcipue in causa urbis Alexandrinæ nihil ad nos relatum? An ignorare potuistis, consuetudinem postulasse, ut nobis statim scriberetis, unde & causæ definitio petenda erat?* (*) *Si ergo*

(*) Eximium pro Auctoritate Romanæ Ecclesiæ

Sæculum IV. A. C. 342.

ergo tantæ ſuſpiciones in Epiſcopum illius loci cadere potuerunt, ad noſtram Eccleſiam erat recurrendum. Nunc cum nemo nobis cauſam expoſuerit, & omnia pro lubitu veſtro confecta jam ſint, absque cognitione cauſæ noſter conſenſus petitur. Non hæ ſunt Regulæ, quas Paulus præſcripſit, non hæc Patrum noſtrorum Traditio eſt, nova ſunt omnia. Rogo, ut boni conſulatis, propter utilitatem publicam vobis ſcribo; quod a Beato Apoſtolo Petro didicimus, declaramus vobis, & hoc ipſum ab univerſis ita cognitum eſſe credo, ut ne quidem hoc ſcribere neceſſe eſſe putaſſem, ſi quæ facta ſunt, non contigiſſent. Notanda hic ſunt, quæ Julius Papa de judiciis Eccleſiaſticis, & Auctoritate Romanæ

cleſiæ in Eccleſias Africæ Teſtimonium! Hinc fruſtra eſt, Auctor Libelli de mala Fide, dum ad hunc numerum Fleurium arguit, quod aliqua SS. Pontificis Auctoritati faventia omiſerit, cum iſtud, & alia ſimilia, quæ ex S. Julii Epiſtola excerpſit, ſufficiant. Tum P. Balduinus iterum ad diverſos Libros, & Numeros digreditur ſine ullo ordine; ſed quia nihil novi affert, non eſt operæ pretium diutius inquirere. In hac etiam Reflexione ſua P. Balduinus de Decretalibus primorum Sæculorum tanquam Authenticis mentionem facit. An erudite pronunciet, Eruditorum judicium eſto!

Sæculum IV. A. C. 342.

næ Eccleſiæ dicit, ſine qua maximi momenti cauſæ, qualis eſt, Epiſcoporum primarum & Apoſtolicarum Sedium depoſitio, definiri non poſſunt. At ſimul obſervandum, quod hanc auctoritatem non ſibi ſoli tribuat, ſed ſuæ Eccleſiæ; verba etiam illa: Nobis omnibus ſcribendum erat, latius extendi videntur, nempe ad omnes Italiæ Epiſcopos, aut forte totius Occidentis, mos quippe erat in graviſſimis cauſis eorum conſilium exquirere, teſte S. Ambroſio Epiſcopo cum aliis Italiæ Epiſcopis in aliqua Epiſtola quadraginta abhinc annis ad Imperatorem Theodoſium Magnum data. Illud evidenter apparet, Judiciorum Eccleſiaſticorum vim in conſenſu univerſali conſtitiſſe. Julius Papa Epiſtolam claudit ſine ullis minis, rogans Orientales, ne ultra ſimile quidquam admittant, ſed magis contra horum malorum Auctores ſcriberent, *Ne vos ipſos*, inquit: *Gentilium ludibrio exponatis, ante omnia vero, ne Dei Vindicis iram provocetis, cui omnes, & ſinguli in die judicii rationem reddere cogemur.* Non aliud exemplar primævum habemus hujus Epiſtolæ, quam Græcum a S. Athanaſio relatum, cumque non dicat fuiſſe translatum, credere poſſumus, fuiſſe illa lingua ſcriptam; nec enim SS. Pontificibus interpretes, & amanuenſes deerant.

Ambroſ. Epiſt. 13. *novæ edit. p.* 816.

Valeſ. obſer. Eccleſ. l. 1. c. 8

§. XXVI.

Sæculum IV. A.C. 342.

§. XXVI.

Delegatio Orientalium ad Constantem.

Soz. II. c. 18. Socr. III. c. 10. Athan. de Synod. p. 894.

Julius Papa, nullo Epistolam suam subsequente effectu, Constanti Imperatori indicat, quantam S. Athanasius, & S. Paulus Constantinopolitanus injuriam paterentur. Imperator, rei indignitate motus, ad Constantium fratrem scribit, rogans, ut sibi tres Episcopos mitteret, ob depositionem Pauli, & Athanasii rationem reddituros; Constantius misit eorum quatuor, nempe Narcissum Neroniadenum, Theodorum Heracleensem, Marim Chalcedonensem, & Marcum Arethusanum ex Syria; qui, tanquam Concilii Antiocheni delegati, in Galliam, ubi Imperator agebat, venerunt. Maximinus Trevirensis noluit eos recipere, & ipsi colloquium instituendum cum S. Athanasio acceptare renuerunt, volentes quæ acta erant defendere, & Orientalium sententiam propugnare; Cum ab iis professio fidei peteretur, suppressa illa, quæ Antiochiæ fuerat publicata, nempe secunda, ultimam Imperatori Constanti tradiderunt, aliquot post menses conditam. Itaque Imperator facile deprehendit, hos duos Episcopos ab illis injustam persecutionem passos, nec alicujus criminis convictos, ut Eusebiani falso affirma-

firmabant, sed ideo cum Catholicis communicare nolle, quod in Doctrina dissentirent; his cognitis Imperator, cui nihil eorum, quæ cupiebant, persuadere potuerunt, eos dimisit. Sæculum IV. A. C. 342.

§. XXVII.

Leges adversus Idololatriam.

Non nullæ Leges extant, a duobus Imperatoribus latæ contra Idololatriam, Constantii una anni 341. qua Sacrificia prohibentur, altera hujus anni 342. ad Romæ Præfectum directa, ex quo sequitur Constantis esse, qua præcipitur, templa, extra urbem posita, integra esse conservanda, ob spectacula, quibus originem dedissent, iisque populum Imperator privare non vult; cœterum omnis superstitio aboleri mandatur. Alia Lege hujus anni 342. Imperator jubet, templa ubique claudi, nec cuiquam accedere liceat; Sacrificia sub pœna capitis, & privationis bonorum prohibentur, adjectis minis, Provinciarum Rectores iisdem pœnis fore obnoxios, si eorum negligentia crimina illa manssissent impunita. *L. 2. Cod. Theod. de Pag. L. ibid. v. Gothofr.* *L. 4. ibid.*

§. XXVIII.

Persecutio in Persia. S. Simeon, & S. Usthazadius.

Interim Sapor Rex Persarum Christianos, quo- *Soz. II. c. 8. 9 Acta Sinc. p. 632.*

Sæculum IV. A. C. 343.

quorum magna copia erat in Regno ejus, crudeliter persequebatur; occasione commercii, quod inter Provincias Osroenes, & Armeniæ erat, invectam fuisse fidem credunt, quæ tempore subsequente ita dilatata est, ut plurimæ Ecclesiæ numerarentur. Hæc novæ fidei incrementa Magi impotenter dolebant, quippote, qui ab ipso illius Gentis primordio Sacris præerant, & Genus Sanctum habebantur, in quo Sacerdotium per successionem hæreditariam propagabatur. Judæos quoque, quibus innatum in Christianos odium, felix successus urebat. In tempestate Simeon, cognomine Fullo, alias Jombapheus Seleuciæ, & Ctesiphontis Archiepiscopatum tenebat, erant ambæ urbes Regiæ, haud ultra triginta passuum millia, aut decem Leucas distantes. Seleucia etiam Salec nominabatur. Simeon apud Regem Saporem defertur, quod esset Imperatoris Romanorum amicus, eique consilia Persarum publica proderet; Sapor calumniæ fidem habuit, cœpitque intolerabili tributorum onere Christianos premere, ut ad ultimam paupertatem redigeret, haud ignarus, quod plerique eorum divitiarum contemptum profiterentur. Harum exactionum curam hominibus commisit, de quorum crudelitate constabat, miserorum gemitibus moveri non posse. Tum Presbyteros, &

& Dei Miniſtros gladio occidi juſſit, Ecclesiam dirui, Theſauros ad fiſcum conferri, & Simeonem, Religionis, & Regni proditorem ſibi ſiſti. Hæc perſecutio anno Conſtantii ſeptimo, JEſu Chriſti 343. cœpit. Magi brevi tempore, Judæis ſtrenue adjuvantibus, Eccleſias deſtruxere. Sæculum IV. A. C. 343. *Hier. in Chron.*

Simeon comprehenditur, & vinculis onuſtus in conſpectum Regis adducitur, cumque in terram ſe non proſterneret, quod tamen antea facere conſueverat, concitatior Rex pervicaciæ cauſam exquirit, cui Simeon: *Nunquam ante hunc diem vinctus coram te adductus ſum, ut verum Deum negarem, ideo aliorum morem ſecutus, Regiam Dignitatem venerabar, hodie vero comparentem, ut pro Religione depugnem, in terram me demittere non oportet;* Ita locutum Rex ſolem adorare jubet, magna obedientem præmia manere, ſin parere detrectaret, ſciret, ſibi, & ſecum omnibus Chriſtianis moriendum. His minis haud quaquam territus in carcere diebus aliquot detinendus abducitur, eſtque veroſimile, Regem per hanc moram virum mutari poſſe, ſperaſſe. Evnuchus quidam ſenex, nomine Uſthazadius, qui Saporis infantiam rexerat, familiæ Regiæ Princeps, forte ante Palatii fores ſedebat, cum Simeon ad carcerem duceretur, illico ſur-

Sæculum IV. A. C. 343.

gens ante eum venerabundus procubuit, at Simeon asperis verbis vecordiam ejus increpans, vultu averso præteriit; indescendi causa erat, quod Usthazadius cum esset Christianus, ad adorandum solem permoveri se novissime passus fuerit. Tum vero Usthazadius, flens ea ta voce, & deposita, qua ornabatur, veste candida, pullam in luctus signum sumpsit, atque, ante Palatium sedens, gemitus, & lacrymas solvebatur; *Heu me!* inquiebat: *quid mihi a Deo, quem negavi, exspectandum, cum jam mortem propter Deum Simeon antiquus meus amicus, faciem avertens, ne quidem colloquio dignatus sit?*

Ubi id Sapor comperit, Usthazadium vocat, quærit luctus causam, & an quid triste in familia ejus accidisset? respondit ille, *non se luctuosum familiæ suæ sum deflere, sed utinam o Rex!* inquit *omnia potius mala in me, meosque ruissent, mitius dolerem, quam unicum, quod admisi nefas! jam tædet me vivere, & solem aspicere, quem adorare me simulavi, ut tibi placerem. Duplici scelere mortem merui, quod JEsum Christum prodidi, & te Regem meum decepi.* Juravit deinde per Creatorem cæli, & terræ, nunquam amplius fore, ut hanc mentem exuat. Rex inexspectatam mutationem valde miratus, multo magis in

Persecutio Christianorum in Persia.

Chri-

Christianos exarsit, quod crederet, perditorum hominum carminibus id effectum; necdum tamen omni in virum senem, & sibi amicissimum misericordia extincta, jam blandus, jam crudelis videri poterat, ut sibi obsequentem redderet; at tandem, Usthazadio affirmare perseverante, nunquam se in eam lapsurum insaniam, ut creaturam relicto Creatore adoraret, rediit furor, jussitque senem capite plecti. Jamque lictoribus eum ducentibus, rogavit, ut paulisper subsisterent, esse enim, quod ad Regem deferri cuperet, tum ad quemdam Evnuchorum fidissimorum, propius accedere jussum, meo nomine, inquit: Sapori dices: nullius testimonio mihi opus est, ut te doceam, quanta charitate a juvenilibus annis tibi, & ante te Patri tuo servierim, hoc satis tibi notum, unam jam rependas gratiam, peto, ut facias, ne illi, quos mortis meæ causa latet, me ut Reipublicæ proditorem, aut cujuscunque alterius criminis reum puniri credant, hinc rogo, ut Præco proclamet, Usthazadio cervices abscindi non ut nocenti, sed ut Christiano, & quia Deum suum offendere noluit, ut obediat Regi. Ita nempe Usthazadius scandalum, quod Solem adorando dederat, tollere cupiebat; Sapor, quod moriturus petebat, concessit, eo fine, ut Christianos terreret, si videSæculum IV. A. C. 343.

Sæculum IV. A. C. 343.

rent, Regem viro Seni, qui se educave-
rat, & domesticorum fidissimo non pa-
cere.

Simeon, audito in carcere Usthaz-
dii Martyrio, Deo Gratias egit. Sequen-
ti die, quæ erat Paraſceves, Rex jussit
ut & ipse gladio feriretur, nam iterum
coram Rege adductus, magna constantia
de veritate Religionis disseruerat, atque
nec Regi, nec Soli cultum exhibuerat.
Eadem Paraſceves die Rex centum alios
Christianos captivos percuti, atque Si-
meonem, postquam omnes necari con-
spexisset, omnium ultimum interfici
mandat; erant illi Episcopi, Presbyteri
& in variis ordinibus Clerici; cum ad
supplicium ducerentur, Magorum Prin-
ceps accessit, quærens an vivere vellent,
quod etiam possent, si Solem adorarent
& Regis Religionem sequerentur? Nulli
eorum hac conditione placuit vitam re-
dimere. Ubi ad destinatum locum per-
ventum, carnifices primorum capita de-
metere cœperunt, quos inter medius
stans Simeon ad constantiam hortabatur,
non tam præsentem mortem, quam fu-
turam resurrectionem cogitarent, ex SS.
Scripturis ostendens, talem mortem esse
veram vitam, vere autem illos mori, qui
vecordes Deum negarent; inter omnia
bona opera excellentissimum esse, pro
Deo mori. Integra Martyrum centuria
immo-

immolata, additus est Simeon cum Abdechala, & Anania, duobus senibus, & suæ Ecclesiæ Presbyteris, qui cum suo Episcopo comprehensi ejus in carcere comites fuerant. Sæculum IV. A. C. 343.

Posicheus, operis Regiis Præpositus, morientibus adstabat, cumque Ananiam, quem ad excipiendum fatalem ictum parabant, trepidare cerneret, *Pater mi!* ait: *claude tantisper corporis oculos, & forti animo esto, jam jam videbis Gloriam JEsu Christi;* vix pauca hæc elocutus, comprehenditur, & in conspectum Saporis ducitur, quem, Christianum se esse fatentem, atque libere Religionem, & Martyres laudantem, Rex novo mortis generi addicit, eique, perforato jugulo, qua per nervos aditus est, extractam linguam avellunt. Filia ejus, Virgo Deo devota, eodem tempore accusata, victima Religionis cecidit. c. 11.

§. XXIX.

Alii Martyres. S. Sadothus. S. Tarbula.

Anno sequenti eadem die Parasceves, per omnem Persidem Edictum Saporis promulgatum est, quo non solum Clerici, sed omnes, quotquot Christianos se faterentur, morti adjudicabantur. Tunc vero Christianos multitudine in-

Sæculum IV. A. C. 344.

numerabiles ferro consumptos ferunt. Magi enim in urbibus, & agris eos, qui se occultabant, diligenter inquirebant, aliis se ipsos manifestantibus, ne suo silentio JEsu Christo renuntiare viderentur. Dum promiscue omnis conditionis Christiani inhumane mactantur, plures in ipsa Regia interfecti; hanc sortem etiam Evnuchus Azadius expertus est, charissimum Regi caput, cujus nece intellecta, ingens dolor amantis pectus obruit, effecitque, ut juberet, ne impostarum Christiani omnes nullo discrimine, sed tantum Clerici necarentur.

Acta Sinc. p. 642.

S. Simeonis successor in Episcopatu urbium Seleuciæ, & Ctesiphontes fuit S. Sadothus, seu Sadostus, quod vocabulum idem dicit, ac amicus Regis, & re vera Regis cœlestis amore ardebat. Is convocatis Presbyteris, & Diaconis suis, qui metu persecutionis in latebris errabant, objectum sibi somnium narravit in hunc modum: *Vidi hac nocte scalam lucidam superiori parte cælum tangentem, qua S. Simeon Episcopus, immensa gloria fulgens, consistebat, & ego ad scalæ pedem, dicebatque ad me lætabundus: Ascende! Sadoche! ascende! ne timeas! heri ego ascendi, tu hodie ascendes.* Verbis istis me ad JEsu Christi Confessionem vocari credidi, & intellexi, me hoc anno Martyrii honore donandum, sicut

sicut & ipse anno superiore; exinde Clericos suos ad mortis contemptum, & gloriæ æternæ desiderium cœpit excitare. Sæculum IV. A. C. 344.

Hoc anno Rex Sapor Seleuciam venit; accusatur Sadochus, eumque Rex cum Clericis suis, aliisque Ecclesiasticis vicinæ Regionis, Monachis, & Sanctimonialibus, universim viginti octo animas, sibi sisti jubet; onerantur vinculis, tetro, & incommodo carceri intruduntur, ubi quinque mensibus extrema passi sunt; funibus crura eorum constringebantur, scapulæ, & lumbi lignis extendebantur, ita ut distracta ossa eum ad modum crepitarent, ac si lignorum fascis comprimeretur. Cum torquerentur, erant, qui ad eos dicerent; *Adorate solem! Regi obedite! & vivetis.* S. Sadostus omnium nomine respondebat; adorare se Creatorem, non vero Solem, creaturam ejus, neque ignem, cui Persæ divinos honores ferrent. Tandem omnes capitis supplicio damnantur, extra urbem producuntur, & Dei sui laudem jugiter prædicantes conficiuntur. S. Sadostus catenis constrictus in Regionem Bethuzam, & urbem Bethlapat, seu Bethelabad translatus, ibi capite truncatus est; Latini hos SS. Martyres 21. Febr. & Græci 19. Octobr. venerantur. S. Sadochus.

Sæculum IV. A. C. 344.

c. 12.

Circa idem tempus Regina in morbum incidit, & Judæi S. Simeonis Episcopi sorores insimularunt, quod ei venenum propinassent, ut fratris sui necem ulciscerentur. Duas Simeon sorores habuerat, unam Sanctimonialem nomine Tarbulam, seu Pherbutam, alteram viduam, quæ secundas nuptias respuerat. Facile apud fœminam calumnia fidem invenit, ita quippe ægroti plerumque comparati sunt, ut in remediis inusitatis fiduciam ponant, præterea Reginæ cor, quantum erat, Judæi possidebant, idem de Religione sensus erat, iisdem cæremoniis utebatur. Duæ ergo sorores, & cum iis Tarbulæ ancilla, etiam Virgo comprehenduntur, in Palatium ductæ, Magorum manibus traduntur, qui in hac causa judices futuri erant. Muptezius ita Magorum Summus Pontifex vocabatur, advenit, ut captivas interrogaret, quæ cum se veneficii accusari intellexissent, Pherbuta respondit; Lege divina veneficos æque, ac Idololatras ad mortem damnari, nec minus se ab isto crimine, quam ab Idololatria esse alienissimas; quia autem tantum scelus tentasse, ut necem fratris vindicarent, dicebantur, iterum Pherbuta, *Ecquod tandem malum*, inquit: *fratri nostro intulistis verum quidem, quod vestra invidia ei vitam corporis ademerit, at interim, &*

Acta Sinc. p. 639.

Persecutio in Persida.

melius

melius vivit, & regnat in cælis. Post hanc quæstionem in carcerem deductæ sunt. Sæculum IV. A. C. 344.

Pherbuta puella erat formæ in paucis raræ, & Magorum Præses, dum eam intuetur, cupidinis telo læsus est; altera ergo die, attamen secreto, mittit, qui promitteret, si uxor ipsius esse vellet, eam, & sodales suas, intercedente Pontifice, apud Regem vitæ gratiam impetraturas; ipsa oblatam vitæ conditionem contemptim, & indignanter rejecit, se esse JEsu Christi Sponsam, nec mortem timere, qua charissimo fratri jungeretur. Postquam Judices ad Regem retulere, has fœminas veneficii esse convictas, nihilominus salvas fore edici jussit, si Solem adorarent, quod cum facere recusassent, Magorum arbitrio relictum, quo mortis genere tollendæ essent; illi non alio modo Reginam sanitati restitui posse pronuntiant, quam si per media damnatarum corpora in duas partes secta transiret; tunc SS. Fœminæ ante urbis portam educuntur, singulæ duobus palis hinc collo, inde pedibus alligantur, sic extensæ per medium serra dissecantur, atque ex utroque plateæ latere tribus stipitibus terræ infixis mediæ corporum partes suspenduntur; in eandem plateam advecta Regina, per hanc lanienam deducitur, sequente ingenti populi multitudine, quæ

Sæculum IV. A. C. 344.

illo tempore ad pendendum Regi tributum confluxerat. Cœterum antiqua hæc erat inter Orientales cæremonia, ut præsertim in pangendis fœderibus medi per dissecta victimarum membra transirent, cujus rei usus exemplo e S. Scriptura desumpto comprobatur. Macedones quoque credidisse leguntur, exercitus suos expiari, si per medium utrinque positarum dissectæ canis partium transire juberentur.

Gen. 15. 10. *Jere.* 34. 18. *Liv. L. XL. c.* 6. *Curt. X. c.* 9.

§. XXX.

Alii Martyres. S. Acepsimas. &c.

Cum solos Ecclesiasticos Religionis causa morte afficere liceret, Magi, totam Persiam pervagantes, Episcopos, & Presbyteros persequebantur, plurimum autem in Provincia Adiabenes, ubi plerique incolarum Christiana Sacra sequebantur, quod esset Romanis contermina. Captus est Episcopus Acepsimas cum pluribus suorum Clericorum; tum Magi, postquam deliberassent, solo retento Præsule, reliquos, bonis spoliatos, dimiserunt. Unus Presbyter, nomine Jacobus ultro Acepsimæ adhærens, a Magis obtinuit, ut in eodem carcere includeretur; is alacri animo Episcopum Senem, omnibus, quibus indigebat officiis, fovebat, curans vulnera, & opem, quam poterat, ferens.

Soz. II. c. 13.

Post-

Sæculum IV.
A. C. 344.

Postquam enim fuerat comprehensus Episcopus, eum Magi loris crudis atrociter cæciderant, ut solem adorare cogerent, tandem constanter renuentem carceri dederant. Alius quoque Presbyter Aithalas nomine, Azadanus, & Abdiesu Diaconi, prius a Magis crudeliter cæsi, etiam propter fidem vincula ferebant; Abdiesu significat servum JEsu. Post longum tempus Magorum Princeps de his captivis ad Regem refert, qui eidem, nisi solem adorarent, permisit, ut talem, quæ placuisset, in eos pœnam statueret; Mago mandatum Regis nuntianti, laconice responderunt; ne speraret, eos unquam JEsu Christi proditores futuros. Tum SS. Confessores omni deposita humanitate cruciavit; Episcopus Acepsimas constanter in Confessione fidei perseverans Spiritum reddidit, cujus reliquias Armeni, in Persia obsides, secreto ablatas sepelierunt. Reliqui Martyres eadem crudelitate cruciati præter spem omnem vivebant, &, quia propositum non mutabant, in carcerem reducuntur. Inter hos videre erat Aithalam, cui ob verberum, & contorsionum immanitatem brachia, qua humeris junguntur, situ naturali dimota; manus enerves pendebant, & cibus alterius manu ori ejus admoveri debebat.

Eodem

Sæculum IV. A. C. 344.

Eodem Principe regnante Presbyterorum, Diaconorum, Monachorum, Virginum, aliorumque hominum Religioni servientium multitudo, quanta numeri non potest, Martyrium tolerarunt. Viginti trium Episcoporum nomina litteris mandata, posteris servata sunt, quos inter Dauses, & Millesius fuere. Dauses a Persis captus in quodam loco Zabdee dicto, cum Mareabde Chor-Episcopo, & Clericis ferme ducentis quinquaginta tunc captivis, Martyrio coronatus est.

c. 10. Millesius primo militiam in Persia secutus, vitam deinde Apostolicam amplexus est, & in quadam Regionis illius urbe Episcopus ordinatus; multa, & varia illi passus, sæpe verberibus contusus, & reptatus, neminem tamen ad fidem potuit perducere, ergo maledicens huic urbi, migratus recessit; & ecce post modicum temporis spatium, cum urbis primores iram Regis in se provocassent, immissus est exercitus cum trecentis Elephantis, urbs eorum subversa, & ita solo æquata, ut exinde arabilis terra esset. Interim Millesius piam peregrinationem Jerosolymam suscepit, nihil aliud quam librum Evangeliorum in sacco secum ferens; inde in Ægyptum migravit, Monachos invisurus; tandem Martyrii Lauream consecutus est; ejus vitam, miraculis plenam Syri conscripserunt. Quis omnes Marty-

Martyres in numeros conferat, qui tunc in Perside exquisitis tormentis excruciati, nempe fertili crudelium inventionum Regione; sexdecim millium utriusque sexus Martyrum nomina memoriæ prodita; quot autem universim pro Christi Nomine sanguinem profuderint, nescitur, nec unquam eorum numerum Persæ Christiani, Syri, & Edesseni incolæ quantamcunque industriam adhibuissent, inire potuerunt. Sæculum IV. A. C. 344.

§. XXXI.

Missio Theophili Indi.

Interim Christiana fides ultra Imperii Romani fines proferebatur, quam propagationem ut promoveret Imperator Constantius, legationem misit ad populos, quos tunc Homeritas dicebant, & extrema Arabiæ felicis versus Oceanum incolebant; hi ab aliquibus pro antiquis Sabæis habebantur. Circumcisionem die octava observabant, utpote Abrahami ex Cetura progenies, quo non obstante Solem, Lunam, & Regionis Dæmones adorabant. Plurimi illa Gente permixti Judæi degebant. Illuc Constantius ut Principis nationis illius benevolentiam captaret, legatos cum Regiis donis, & ducentis ex Cappadocia generosissimis equis misit, rogare jussos, Ecclesias ædificare liceret ad usum Romanorum, illuc advenien- *Philostorg. lib. III. c. 4. 5. 6.*

Sæculum IV. A. C. 344.

nientium, eorumque ex indigenis, qui fi-
dem amplecti vellent; opes exstruendis
ædificiis pares legati afferebant. Inter
præcipuos hujus legationis habebatur
Theophilus Indus, qui olim ab incolis
Insulæ Diu, Patriæ suæ, admodum juve-
nis ad Constantinum Magnum obses mis-
sus, inter Romanos diu vixerat, & statum
Monasticum magna virtutis existimatio-
ne profitebatur; Eusebius Nicomediensis
eum Diaconum ordinaverat, utque ad
hanc legationem esset aptior, Ariani ei
dignitatem Episcopalem conferri volue-
runt; erat enim eorum factionis homo.
Forte quis haud quaquam falleretur, si
conjiceret, Arianos invidia adductos, ut
hanc missionem adornarent, & illam, qua
Frumentius ex altera maris rubri ora in
Æthiopia functus erat, & S. Athanasius
Sup. l. XI. §. 38. sua auctoritate promoverat, imitarentur.
Hoc saltem indubitatum, Arianorum par-
tibus addictum fuisse Theophilum & eo-
rum laudibus usque ad sidera elatum, cui
miraculorum donum, cœlitus datum, di-
xere.

Prospere processit legatio, ringenti-
bus etiam Judæis. Homeritarum Dux
ad fidem conversus, tres Ecclesias non
quidam Imperatoris, sed suis sumptibus
ædificavit, unam in totius Gentis Metro-
Theophilus Indus. poli, quæ *Tafar*, seu *Dafar* dicebatur, al-
teram in *Adan*, seu *Aden*, urbe, ad quam
mer-

mercatores Romani ex Oceano advecti, appellere consueverant, tertiam ad ostia Sinus Persici, in illa urbe, quæ erat commercii Persici Emporium. Theophilus, postquam has Ecclesias dedicavit, & ornamentis ut potuit, donavit, in Insulam Diu, natale solum trajecit, atque inde in alias Indiarum partes, ubi non nullos abusus in Cæremoniis Religiosis abstulit, quod inter alia Evangelii lectionem sedentes auscultarent, & plura contra canones facerent. Tandem ex magna Arabia in oram maris rubri adversam ad Æthiopes Auximitas, quibus Frumentius Episcopus præerat navigavit. Post tot itinera deinde redux, magnis honoribus ab Imperatore Constantio exceptus, semper Episcopi titulum, nulli particulari Ecclesiæ alligatus, retinuit.

Sæculum IV. A. C. 345.

§. XXXII.

Longa Orientalium Formula.

Eusebiani Antiochiam convenerunt anno 345. post annorum trium spatium, ex quo ad Occidentales quartam fidei formulam, de qua diximus, miserant. In isto Concilio iterum novam condiderunt, quæ propter suam longitudinem dicta est macrostica, seu a longis lineis, nihil, quod simpliciter damnari posset, continens. Primo ponitur fidei expositio ex meris ferme

Athan. de Synod. p. 895. Socr. II. c. 19. Soz. III. c. 11. v. Pagi 344. n. 2.

Sæculum IV. A. C. 345.

ferme S. Scripturæ verbis, ſed vox co
ſubſtantialis, aut ſubſtantia non occurri
Deinde illi condemnantur, qui dicun
Filium ex nihilo, aut ex alia hypoſtaſi
non ex Deo eſſe productum, atque fuiſ
tempus, aut Sæculum, quo non exti
rit. Illi quoque condemnantur, qui d
cunt, tres dari Deos, aut JEſum Chriſtu
non eſſe Deum, aut ipſum ante Sæcu
nec Chriſtum fuiſſe nec Filium Dei; au
Patrem, Filium, & Spiritum S. eosdem
eſſe; aut Filium non eſſe genitum, au
Patrem ipſum non genuiſſe per volunta
tem, id eſt, ut ipſi deinde explicant, no
eſſe dicendum, quod Deus Pater invitu
genuerit Filium, & neceſſitate coactus
Dicunt Patrem, Filium, & Spiritum S
eſſe tria entia, ſeu tres Perſonas. Pa
lum Samoſatenum condemnant, negan
tem, JEſum Chriſtum fuiſſe Deum ante
Sæcula, & affirmantem, eſſe purum ho
minem, qui ob merita ſua factus eſt Deus
Agnoſcunt Filium eſſe natura Deum ve
rum, & perfectum, qui cum eſſet Deus
factus eſt homo, manens, quod erat.

Eos quoque condemnant Euſebianos
qui Filium vocant ſimplex Verbum Dei
& ſine propria ſubſiſtentia, quaſi eſſet in
alio velut Verbum prolatum, aut Ver
bum conceptum, vel volunt, ipſum ante
Sæcula nec fuiſſe Chriſtum, nec Filium
Dei, nec imaginem ejus, nec Mediatorem,

ſed

sed ab incarnatione factum fuisse Christum, & Filium Dei, id est, ab annis circiter quadringentis; tunc Regnum ejus cœpisse, quod in ultimo judicio finem esset habiturum; talia, inquiunt: Sectatores Marcelli, & Photini Ancyrani docent; postquam hæc refutarunt, subjungunt: *credimus, JEsum Christum nullam novam Dignitatem accepisse, sed semper fuisse perfectum, & per omnia Patri similem. Eos etiam condemnamus, qui dicunt, eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum S. tria nomina uni soli, & eidem Personæ tribuentes, quia per incarnationem faciunt Patrem comprehensibilem, & passibilem, qui est incomprehensibilis, & impassibilis. Hos Romani vocant Patropassianos, & nos Sabellianos.* Tandem his verbis finiunt: *Hanc expositionem fidei prolixiorem publicare debuimus, postquam priorem in compendio dederamus. Quod hoc faciamus, causa non est ostentatio, sed ut omnem suspicionis umbram ex mentibus illorum tollamus, qui fidem nostram ignorant, ut omnibus Occidentalibus hæreticorum calumniam detegamus, & puram Orientalium Doctrinam, invincibili Scripturarum testimonio fundatam, manifestemus.*

Sæculum IV. A. C. 345.

Photinus, qui hic cum Marcello Ancyrano damnatur, erat Episcopus Sirmii, Illyrici Metropoli. Natus in Galatia, & in

Hier. script. Socr. II. c. 18.

Sæculum IV. A. C. 345.

in ipsa urbe Ancyra Episcopum Marcellum, cujus Diaconus fuit, Magistrum habuerat; is naturali facundia præditus aliis facile, quodcunque sibi proposuisset, persuadebat, hinc, ubi ad Episcopatum evectus est, haud alius populo suo citerior fuit. At depravatis erat moribus & brevi, a sana Doctrina deficiens, in hæresin incidit. Trinitatem negabat unam tantum operationem, seu energiam in Patre, Filio, & Spiritu S. agnoscens. Ipsius opinione, solus Pater Deus erat, Spiritus S. personaliter non subsisteret, Christus, & Filius Dei ante Mariam non erat, nec Deus, sed purus homo, tamen ex Virgine per operationem Spiritus S. natus. Sic errores Sabellii, & Pauli Samosateni conjungebat. In hoc Concilio Photinus primo invenitur damnatus, sæpius exinde damnatus est, & quia nomen ejus Græce significat luminosum, non nunquam ab antiquis dictus est Scotinus, seu tenebrosus.

Sev. Sulp. p. 2. Vinc. Lyr. Comm. 1. Epiph hær. 71. Hilar. fragm. p. 411. Edit. Paris. 1605.

inf. §. 39.

§. XXXIII.

Concilium Mediolanense.

Orientales miserunt in Occidentem Eudoxium Germanicienſem, Macedonium Mopsuestanum, Martyrium, Demophilum, & quosdam alios Episcopos, longam formulam ferentes. Hi plures Episco-

Soc. II. 20. Sozom. III. c. 11. Athan. Syn. p. 895. p. 676.

Sæculum IV. A. C. 346.

Episcopos Occidentis, Mediolani congregatos, invenerunt, ubi ipse Imperator Constans erat, quo etiam S. Athanasium advenire jusserat. Occidentales novæ fidei formulæ, quantumcunque Orientalium Delegati instarent, subscribere noluerunt, dicentes, sibi fidem Nicænam sufficere, nec se ultra eam quidquam requirere; ipsi econtra ab Orientalibus enixe petere, ut Doctrinam Arii damnarent, quod hi facere renuentes, non sine bile e Concilio Mediolanensi recesserunt; id anno 346 contigit. S. Athanasius ad hoc Concilium venerat, nescius, quid ageretur, ibique comperit, quosdam Episcopos Imperatorem Constantem rogasse, ad fratrem suum Constantium scriberet, ut Concilium ex Oriente, & Occidente convocaretur, quo medio Ecclesia divisa uniretur, atque Athanasius, & Paulus in Sedes suas restituerentur; quod ut fieret, Constans sæpius Constantium per litteras, sed frustra, rogaverat. Placuit Constantio propositio Concilii, & utrinque convenit, ut illud Sardicæ in Illyrico, Dacorum Metropoli, in utriusque Imperii confiniis sita, ageretur. Inter alios maxime Julius Papa, Osius, & S. Maximinus Trevirensis Constantem Imperatorem ad petendum a fratre Concilii hujus convocationem impulere.

Apol. 1. epist. 2. Liber. ad Const. Pagi 344. n. 3. & c. Apol. 1. ibid. Socr. II. c. 20. Sozom. II. c. II.

Epist. Pseudo Syn. ap. Hilar. frag. & to. 3. Conc. p. 700.

Sæculum IV.
A. C. 347.

§. XXXIV.

Concilium Sardicense.

Athan. ap. 2. p. 754. c. 20. Socr. III. c. 11. inscript. epist. Synod. & ep. Pseud. Syn. Athan. ad solit. p. 819.

Igitur Concilium Sardicæ celebratum utriusque Imperatoris consensu, & Imperio, anno ab obitu Constantini Magni undecimo, Eusebio, & Rufino Consulibus, id est, anno 347. Ultra trigintà quinque Provinciæ sunt, ex quibus Episcopi convenere, atque inter alias ex Italia, Hispania, Gallia, Africa, Pannonia, Dacia, Thracia, Macedonia, Thessalia, Achaja, Cycladum, Cretæ, Phrygiæ, & aliis Asiæ minoris Provinciis; ex Cappadocia, Galatia, Cilicia, Syria, Mesopotamia, Phœnicia, Palæstina, Arabia, Thebaide, & Ægypto. Episcoporum numerus ferme ad centum, & septuaginta excreverat; ex Occidente centum, alii ex Oriente venerant. Hos inter celeberrimi fuere Osius Cordubensis, Protogenes Sardicensis, Protasius Mediolanensis, Severus Ravennatensis, Lucillus Veronensis, Januarius Beneventanus, Vincentius Capuanus, Veriſſimus Lugdunensis, Maximinus Trevirensis, Euphratas Colonensis, Gratus Carthaginensis; S. Athanasius, Marcellus Ancyranus, & Asclepas Gazensis ab hoc Concilio non abfuere, cujus pars magna futuri erant. Julius Papa absentiam excusavit, quod timeret, ne schismatici, & hæretici ipso peregrinante

Athan. ad solit. p. 811.

Synod. ad Ju.

grinante gregem ſuum invaderent; quam excuſationem Patres boni conſuluere; Legatos vero ſuos miſit Archidamum, & Philoxenem Presbyteros, & Leonem Diaconum. Sæculum IV. A. C. 347.

Ex parte Orientalium, ſeu verius Euſebianorum, præcipui erant Epiſcopi Theodorus Heracleenſis, Narciſſus Neroniadenus, Stephanus Antiochenus, Acacius Cæſarienſis in Palæſtina, Menophantes Epheſinus, Urſacius, & Valens, Quintianus Gazenſis, Marcus Arethuſanus, Eudoxius Germanicienſis, Baſylius Ancyranus, Callinicus Pelluſinus, Meletianus, & famoſus Iſchyras. Duos ſecum Comites adducebant, Muſonianum, & Heſychium, qui Caſtrenſis munere fungebatur, id eſt, Imperatori a cubiculis erat. Euſebiani in hoc quoque Concilio ope poteſtatis Sæcularis, ſicut alias conſueverant, dominaturos ſe ſperabant, inde haud ſegniter advehebantur. *Cang. Gloſſ. Gr. & Gloſſ. lat. Athan. 2. apol. p. 754. & ad ſolit. p. 818.*

At ubi ipſis compertum fuit, Occidentalibus ſolum Oſium præfuturum, Judicium fore pure Eccleſiaſticum, nihil a Comitum, nihil a militum præſentia ſperandum, male ominantis conſcientiæ ſtimulis turbari cœpere. Athanaſium, aliosque accuſatos, quos, comparere non auſuros, crediderant, liberrime ibi verſari cernebant. Attoniti etiam videbant, contra ſe ipſos ex diverſis Eccle-

Sæculum IV. A. C. 347.

siis adveniſſe accuſatores, paratas probationes afferentes; quosdam, a ſe proſcriptos, cum catenis injectis, huc ſe intuliſſe. Quosdam Epiſcopos veniſſe, pro aliis fratribus, adhuc in exilio exiſtentibus, cauſam dicturos; amicos, & propinquos eorum, quibus mortis cauſa fuiſſent, adveniſſe. Epiſcopos alios narrare, qua ratione Euſebianorum calumniis ſibi vitæ periculum creaſſent, aliqui Confratrum ſuorum omnino periiſſent, atque inter alios Epiſcopus Theodulus, in fuga mortuus eſſet; hi gladiorum ictus in ſuis corporibus exhibebant, alii ob famem, quam diu tolerare coacti fuerant, querebantur. Non privati ſolum, ſed integræ Eccleſiæ per ſuos Delegatos referebant, paſſas ſe fuiſſe militum, & plebis efferatæ injurias, judicum minas, litterarum ſuppoſitarum calumnias; querebantur, Virgines, turpiter nudatas, Miniſtros Sacrorum carceribus incluſos, Eccleſias incendio concrematas. Et hæc omnia, ut Catholici cum Arianis communicare cogerentur. Præterea videbant Euſebiani, Epiſcopos duos Orientales Arium, ſeu Macarium Petrenſem in Palæſtina, & Aſterium Petrenſem in Arabia, itineris ſocios, a ſe defeciſſe, & Occidentalibus junctos, quibus fraudes ſuas, & timores prodidiſſent.

Epiſt. Syn. ad omn. Epiſc. ap. Athan. p. 762.

Cum

Cum hæc omnia scirent, tamen, ut causæ suæ fidere crederentur, Sardicam ire statuerant, quo vero ubi advenerunt, Palatio, quod occupaverant, se includentes, alter in alterius aures mussitare: *longe alia, quam exspectabamus, invenimus; Comites adduximus, sed huic Judicio non intererunt. Nihil certius, quam futura damnatio nostra. Omnes scitis, qualia Imperatorum mandata sint. Athanasius acta inquisitionis in Mareotide tenet, quibus innocentiam suam, & opprobrium nostrum probet. Quid ergo hic facimus? causas prætexamus, & discedamus; satius est fugere, ut ut probrosum sit, quam convinci, & calumniatores declarari. Si fugerimus, partes nostras ab interitu salvabimus; si absentes damnamur, Imperator tuebitur, nec ex Ecclesiis nostris pelli patietur.* Hæc tunc erant Eusebianorum consilia. Osius, aliique Episcopi, sæpe iis collocuti, referebant, quantum Athanasius, & cœteri accusati bonæ causæ confiderent; *vos vero*, inquiebant: *si judicium timetis, quare venistis? aut comparendum non erat, aut persistendum. Ecce Athanasius, iique, quos absentes accusabatis, sistunt se, ut eos convincatis, si convincere potestis; si autem probare promittitis, quod non potestis, calumniatores estis manifesti. Non alia vos in judicio sententia manet.*

Sæculum IV. A. C. 447.

ad solit. p. 818.

Concilium Sardicense.

Sæculum IV. A. C. 347.

Talia Concilii Patres sæpe Orientalibus tam viva voce, quam scripto demonstrarunt; primo Eusebiani causabantur, se Occidentalibus ideo jungi non posse, quod cum Athanasio, Marcello, & aliis accusatis communicarent; eos etiam sedere, & in Ecclesia ad consultandum admitti; (hic, Patres de more in Ecclesia sediisse, & cum iis SS. Mysteria celebrasse, adnotatur) petebant ergo, ut ante omnia alia Occidentales Athanasium, & reliquos a sua communione excluderent; hi econtra monstrare, se, si id facerent, contra æquitatem peccaturos, nec omnino esse possibile, cum Athanasius pro causa sua non modo Julii Pontificis sententiam, sed etiam octoginta Episcoporum testimonium allegare posset. Orientales dicebant, Athanasium, Marcellum, & alios, qui accusati fuerant, in Conciliis fuisse damnatos, a quibus non daretur appellatio, eo minus, quod plerique testes, judices, & alii, ad discutiendam causam necessarii, humanis excessissent. Responsum est, Concilium Sardicense hunc in finem fuisse convocatum, ut hæc ipsa, ita dicta judicia, in trutina expenderentur; adesse jam Athanasium, judicium postulantem, quia absens fuisset condemnatus; cæterum, omnia acta circa ipsius causam huc esse allata, ut in judicio legitimo prælegi possent.

Epist. Syn. ad Alex. item epist. ad omn. Episc.

Ep. Pseud. Synod.

Tan-

Tandem Orientales ad hoc unum di- Sæculum IV.
cendum redacti sunt: *cum ex illis Episco-* A. C. 347.
pis sex, qui in Mareotide inquisierant, quinque adhucdum inter vivos versentur, in quemlibet locum, ubi Athanasius crimina commisit, quosdam Episcopos esse mittendos, censemus, si falso accusatus est, damnationem feremus, nec ultra ab Imperatore, aut Concilio, seu aliis Episcopis audiendi erimus; si delicta ejus probentur, vos condemnabimini, nusquam alibi audiendi, vos, qui cum Athanasio, jam diu damnato, communicastis. Hæc propositio ab Occidentalibus non accepta, cum manifeste ad judicium eludendum inquisitionibus supervacuis tenderet, & præterea, Gregorio in Ægypto dominante, Eusebiani omnia pro suo arbitratu acturi essent. Osius in Ecclesia, ubi ipse morabatur, semel ad se invisentes invitabat, ut, quæ contra Athanasium haberent, exponerent, fidenter eloquerentur, & æquissimum judicium exspectarent. Ubi sæpius eadem promisisset, addidit; *si coram toto Concilio sua in medium afferre nollent, saltem coram se solo id facerent; fidem meam interpono;* inquiebat: *si Athanasius reus deprehendatur, a nobis certissime rejicietur; & quamvis innocens inveniatur, vosque calumniæ convincat, si tamen gravissimum vobis accidat, eum recipere, efficiam, ut se mecum in Hispaniam*

Concilium Sardicense.

Epist. Osii ap. Athan. ad solit. p. 839.

Sæculum IV. A. C. 347.

abduci patiatur. In ea, quæ promittebat Osius, Athanasius consentiebat; sed ipsis, ejus inimicis, causæ hujus iniquitas ita erat perspecta, ut hoc, & omnia alia, quæ proponebantur, recusarent.

Cœterum quam parum Eusebiani sincera mente agerent, Macarius, & Asterius, qui eorum ex Oriente itineris socii fuerant, relictis eorum partibus, Concilii Patres certiores fecerant; hi duo Episcopi narrabant, Eusebianos in isto profectione sæpius consilia agitasse, in quibus decrevissent; ubi Sardicam pervenissent, nullius se judicio submissuros, nec cum Concilio coituros, sed, postquam suam præsentiam cum protestatione significassent, prompte discessuros. Reipsa etiam, postquam advenerunt, eos, qui secum ex Oriente secuti fuerant, ab ingressu Concilii prohibuerunt, quibus nequidem propius ad Ecclesiam, in qua Concilium agebatur, accedere licuit; plures quippe erant Episcopi Orientales, sanæ Doctrinæ addicti, qui se ab ipsis separassent, nisi minis, & promissis fuissent impediti; cujus rei testes erant Macarius, & Asterius, toto itinere oppressionem eorum, & vim experti.

Synod. ap. Athan. p. 767.

§. XXXV.

Sæculum IV.
A. C. 347.

§. XXXV.

Orientalium discessus. Concilii Judicium.

Eusebiani, ut sibi constarent, die, ad ferendam sententiam destinata, jam præterlapsa, dixerunt, cogi se, ut discederent, quod Imperator ad celebrandam victoriam, de Persis reportatam, per litteras se advocasset, nec eos per Eustathium Ecclesiæ Sardicensis Presbyterum ad Concilium excusationem ridiculam mittere puduit. Concilium, cui malitia eorum erat exploratissima, rescripsit laconice: *Aut veniendum vobis, & crimina, quorum accusamini, præsertim vero obtrectationis, diluenda, aut Concilium vos Calumniatores, eos econtra, qui cum Athanasio sunt, innocentes, & injuste damnatos pronuntiabit; eligite!* eos plus mala conscientia, quam hæc epistola urgebat, hinc strenue fugam capessentes, Philippopolim in Thracia pervenerunt. *Sozom. III. c. 2. Athan. ad solit. p. 819.*

Tria capita in Concilio præprimis tractanda erant; Fides Catholica, causæ eorum, quos Eusebiani accusabant, & querelæ illorum, a quibus Eusebiani accusabantur. Nonnulli existimabant, novam fidei professionem esse concinnandam; hanc autem propositionem, quam Auctores ejus præfervide defendebant, Concilium cum indignatione rejecit; sed præcepit, *Synod. ad Julian. Ath. ad Antioch. p. 756.*

Sæculum IV. A. C. 347. cepit, nihil circa fide ſcriberetur, & Symbolum Nicænum omnibus ſufficeret, cum in nullo deficiat; ſi alia formula conderetur, Nicænum Symbolum imperfectum videri poſſe, atque illis exemplum præberi, quibus in novas ſemper fidei formulas ſcribendas manus prurirent. Nihilominus illius propoſitionis fautores formulam conſcripſerunt, quam non nulli exinde, quaſi auctoritate Concilii Sardicenſis conditam, venditarunt.

ap. Theod. II. c. 8.

Tum cauſa S. Athanaſii diſcuſſa; quamvis enim adverſariorum ſuorum fuga ſatis abſolveretur, tamen eorum accuſationes, quantum in abſentia ipſorum poterant, de novo examinatæ. Quod ad ea-dem Arſenii ſpectabat, calumniæ impudentia evidenter patebat, cum ille viveret, ſeque ipſum viſuris oſtenderet. Quod autem ad calicem in domo Iſchyræ fractum; ipſa acta inquiſitionis ab adverſariis ejus in Mareotide factæ, ſecum ipſis pugnantia ſuam falſitatem prodebant. Aliunde duo Presbyteri, olim Meletiani, poſtmodum a S. Alexandro recepti, teſtimonium reddebant, Iſchyram nunquam, nec tempore Meletii fuiſſe Presbyterum; Itaque juſtitia ſententiæ, Romæ a Julio Papa pro S. Athanaſio latæ, ab omnibus agnoſcitur, ſicut etiam teſtimoniorum, ab octoginta Ægypti Epiſcopis præſtitorum, veritas. Nulla in cauſa Athanaſii difficul-

Epiſt. ad Synod. ad Alex. ap. Athan. p. 757. 758. it. ad omn. Epiſc. ibid. p. 763.

ficultas inventa, omnes Episcopi, innocentem declaratum, in Ecclesiæ Communione confirmarunt. Præterea quatuor Presbyteri Alexandrini, nempe Aphtonius, Athanasius Capitonis filius, Paulus, & Plutio, quos Eusebianorum persecutio, ut morti se eriperent, fugere coegerat, innocentes pronuntiantur; eorum nomina, si Paulum excipias, in fine Protestationis contra inquisitionem Mareoticam leguntur, unde eos S. Athanasio faviſſe scimus. Sæculum IV. A. C. 347. *P.* 759. *P.* 791.

Jam in Concilio causa Marcelli Ancyrani examini subjecta; Eusebiani accusationis summam in scripto ejus adversus Asterium ponebant, idque hæresi plenum affirmabant; ergo jubente Concilio lectum est illud scriptum, statimque apparuit, Marcellum illa per modum quæstionis proponere, quæ Adversarii ejus asseri dictitabant; si antecedentia, & sequentia combinarentur, perspectum erat, ipsum orthodoxe sentire, nec enim, ut ipsi obtrectabant, dicebat; Verbum Dei a S. Maria Virgine initium sumpsisse, neque Regnum ejus finem habiturum, sed Regnum hoc absque Principio, & fine durare. Hinc a Concilio absolvitur. Asclepas Gazensis acta Antiochiæ in præsentia accusatorum suorum, & Eusebii Cæsariensis produxit, atque ipsius innocentia eluxit ex sententia eorum, qui Judices ipsius fuerant *Ep. Pseud. Synod. ap. Athan. p.* 764. *Sup. l. X.* §. 40.

Sæculum IV. A. C. 347.

fuerant in eodem Concilio, ubi, calumniis oppressus, S. Eustathius Antiochenus depositus fuerat. Igitur Patres Concilii Sardicensis Asclepam plene absolutum judicarunt.

Post hæc Patres ad tertiam quæstionem, quæ decidenda erat, & haud dubie inter cœteras maximi momenti, processerunt, nempe ad accusationes undique adversus Eusebianos allatas. Gravissimum omnium erat illud, quod Julius Papa in sua Epistola jure meritissimo reprehenderat, Eusebianos cum Arianis, in Concilio Nicæno damnatis, & hæresis nota fœdatis, communicare, quos non solum ad Ecclesiam reciperent, sed etiam Diaconos eorum ad Sacerdotium, & Presbyteros ad Episcopatum promovissent. Ex omnibus, quæ moliebantur Eusebiani, eorum voluntas Arianam hæresin invehendi perspicua fiebat; injuriæ in urbe Alexandrina illis solum fuerant illatæ, qui cum Arianis communicare renuerant. Ex actis, quibus se accusati purgaverant, calumniatorum infamiam incurrebant, cum perdere viros innocentes voluerint. Theognis particulariter crimine falsi tenebatur, quod litteras contra Athanasium, Marcellum, & Asclepam confinxisset, ut Imperatoris iram in eos concitaret; hæ litteræ in Concilio lectæ, quarum falsitatem aliqui, tunc temporis,

Synod. ad omn.

poris, quo scriptæ sunt, Theognis Diacconi demonstrarunt. Valens Ecclesiam suam Mursensem voluisse derelinquere convictus est, ut Aquileiensem multo pinguiorem usurparet, atque, seditione hac de causa commota, quemdam Episcopum, nomine Viatorem, in tumultu ita pressum, & conculcatum, ut tertia die in ipsa urbe Aquileja animam efflaverit. Sæculum IV. A. C. 347. *Synod ad Jul.*

Quamobrem S. Concilium in Eusebianæ factionis Principes, huc usque in Ecclesia toleratos, damnationis sententiam pronuntiavit, nempe Theodorum Heracleensem, Narcissum Neroniadenum, Stephanum Antiochenum, Georgium Laodicenum, Acacium Cæsarienſem in Palæstina, Menophantem Ephesinum, Ursacium Singidunensem, & Valentem Mursensem. Octo isti depositi fuere, & excommunicati, id est, non solum Episcopatu, sed etiam Fidelium Communione privati. Eadem sententia in tres usurpatores Sedium S. Athanasii, Marcelli, & Asclepæ, id est, Gregorium Alexandrinum, Basilium Ancyranum, & Quintianum Gazensem lata. Omnibus Fidelibus prohibitum, ne quis eos pro Episcopis haberet, communicaret, litteras vel daret, vel acciperet. *Synod. ad omn. p. 766.*

§. XXXVI.

Sæculum IV.
A. C. 347.

§. XXXVI.

Epistolæ Concilii Sardicensis.

Ap. Athan. apol. 2. p. 756. Ap. Theod. II. c. 8.

Hæc fuit Concilii Sardicensis sententia, quam datis quatuor Epistolis Synodalibus declaravit, una ad Imperatores, altera ad omnes Episcopos, tertia singulatim ad Julium SS. Pontificem, quarta ad illas Ecclesias, quarum Episcopi fuerant restituti. Habemus epistolam ad Ecclesiam Alexandrinam datam, item eam ad omnes Episcopos, & ad Julium Papam, at, quæ ad Imperatores scripta erat, desideratur; hæc narrationem continebat omnium eorum, quæ acta fuerant, & rogabantur Imperatores, ut Arianorum, Catholicos persequentium, furorem coercerent, & prohiberent Magistratus, quibus Reipublicæ tantum cura incumberet, ne Clericos ad suum tribunal traherent, nec auctoritatem Sæcularem ad vexandos Fideles rerum Ecclesiasticarum obtentu interponerent.

Epist. Syn. ad Alex.

Patres in Epistola ad Pontificem excusationem, quod ipse ad Concilium non venisset, recipiunt, & addunt; par esse, ut Episcopi ex omnibus Regionibus negotia ad Ecclesiæ Caput, id est, ad Sedem Apostolicam Petri, deferrent. (*) Tunc sum.

(*) Præclari pro Auctoritate Romanæ Sedis testes! quorum verba Interpres Protestans hic quidem

summatim, quæ in Concilio acta sint, memorant, nempe circa fidem, Episcopos læsos, & Arianorum crimina; nam tria hæc sibi pertractanda proposuerant, *Quia Imperatores*, inquiunt: *consenserunt, ut omnia novo examini subjicerentur.* Patres deinde Pontificem omnia intellecturum dicunt ex actis, scriptis, ex iis, quæ Legati ejus oretenus relaturi essent, & ex Epistola ad Imperatorem, cujus descriptionem mittebant. Tandem rogant, ut ea scriptis litteris communicet Episcopis Italiæ, Siciliæ, & Sardiniæ, ne ex ignorantia Epistolas ab iis, quos Concilium excommunicavit, accipiant. Sæculum IV. A. C. 347.

In Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam continetur; exactissimam sententiæ justitiam, a SS. Pontifice pro S. Athanasio latæ, Concilio fuisse perspectam, unde sequitur eam in Concilio fuisse examinatam. Tum Patres, Eusebianos calumniatores esse tum ex eorum agendi ratione, tum ex accusationum falsitate probant; post hæc hortantur Fideles Alexandrinos, ante omnia fidem Catholicam conservarent, pro hac, & Episcopo suo *tom. 3. Conc. p. 664. & ap. Athan. p. 756.*

quidem pro veritate fideliter, at in rem suam, & omnium Protestantium pessime vertit.

Sæculum IV. A. C. 347.

suo Athanasio omnis generis persecutiones libenti animo sufferrent, quas laudabilis Martyrii speciem reputarent. Depositionem Gregorii, seu potius ordinationis ejus nullitatem declarant, eosque omnes, qui sive timore, sive fraude inducti, cum eo communicarunt, ab ipso recedant, & ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ redeant, paterne excitant. Huic Epistolæ junctum erat exemplum alterius, ad omnes Episcopos datæ, *ut etiam vos*, inquiunt Concilii Patres, *in ea, quæ dispositimus, consentiatis.* Denique Epistola ad omnes Episcopos amplam eorum omnium, quæ in Concilio gesta sunt, depositionem continet, ex illa enim potissimum hujus Concilii Historiam didicimus, atque verbis sequentibus claudatur: *Curate, charissimi Confratres nostri, ut consensum vestrum, tanquam præsentes in Spiritu, in nostrum Concilium detis, eumque vestra subscriptione testemini, ut sententiæ unitas inter omnes nostros Collegas conservetur.* Quidam huic Epistolæ professionem fidei, propositam quidem, sed a Concilio rejectam, adjungunt; hæc autem omnino omitti debet.

tom. 2. Conc. p. 670. ap. Athan. p. 760.

ap. Hilar. fragm. ap. Theod. II. c. 8.

Theodor. ibid. v. Vales.

§. XXXVII.

Sæculum IV.
A. C. 347.

§. XXXVII.

Canones Sardicenſes.

In Concilio Sardicenſi viginti Canones, Diſciplinam Eccleſiæ ſpectantes, conditi, varii a variis Epiſcopis, plerique autem ab Oſio in medium allati, & a cœteris omnibus approbati. Primi duo translationes prohibent his verbis: Oſius Epiſcopus Cordubenſis dixit: *Conſuetudo pernicioſa radicitus tollenda eſt, & non permittendum, ut ullus Epiſcoporum ab urbe ſua ad aliam tranſeat. Nullus unquam inventus eſt, qui, relicta Eccleſia divite, tranſierit ad pauperem, certiſſimo argumento, tales nulla alia ratione, quam avaritia, & ambitione moveri; ſi vobis omnibus videatur, abuſus iſte ſeverius punietur, ita ut, qui eum admiſerit, etiam a Communione Laica repellatur.* (*) Omnes reſpon-

tom. 2. Conc. p. 644.

Can. 1.

(*) Hier will uns der Ueberſetzer belehren, was die Communio Laica geweſen ſey, und drücket ſeine Gedanken ganz glimpflich alſo aus: Es iſt hiebey nöthig, etwas von derjenigen Strafe zu gedenken, die hier demjenigen Biſchofe angekündiget wird, der ſich gelüſten lieſſe, ein gröſſeres Biſthum mit einem kleinern zu vertauſchen. Denn es iſt nichts ungewöhnliches, daß

Sæculum IV. A. C. 347.

derunt: *Approbamus.* Osius subjunxit: *Si quis ita desipiat, ut excusare factum velit*

Can. 2.

daß mit der *Communione Laica* allerhand falsche Begriffe verbunden werden, sonderlich von denen, die *Bellarminum* zum Lehrmeister annehmen, der nach seiner Phantasie eine Auslegung gemacht, daß nämlich dadurch nichts anders gemeinet werde, als daß ein solcher Geistlicher das Heil. Abendmal nur unterer Gestalt genießen solle. &c. So redet ein elender Mensch, der sich seines Namens schämen muß, vom Cardinal Bellarmino. Es ist kein Wunder, daß dieser Protestant so sehr aufgebracht ist wider den Bellarminus, welcher den Kemnitz, in Sacramento Evchariſtiæ L. IV. C. XV. achtmal des Lügens überführet hat. Nun die Anmerkung unsers Protestanten hat eine zweyfache Absicht; erstlich den Cardinal zu beschimpfen, und dann zu zeigen, die Genieſſung des Heil. Abendmals unter einer Gestalt sey in der Kirche kein alter Brauch. Bellarminus hat nicht nach einer wunderlichen Phantasie, sondern aus erheblichen Gründen behauptet, daß Communio Laica sey Communio sub una specie, und Lib. IV. de Sacram. Evchar. c. XXIV. den Philippus widerleget, welcher sagte in Apolog. Conf. Aug. *Communionem Laicam dictam esse Communionem Laicorum, non quod esset sub una specie tantum, sed quod esset eorum, qui non consecrabant. &c.* Auf dieses antwortet Bellarminus: *At si Res ita se haberet, ut Philippus*

velit, dicendo, se per litteras a populo vo- Sæculum IV.
catum esse, manifestum est, paucos eorum A. C. 347.

lippus dicit, hæc pœna non fuisset inflicta Diaconis, aliisque inferioribus Clericis, ad quorum Ministerium nunquam spectavit Eucharistiam consecrare, sed solum Presbyteris, & Episcopis. &c. Obwohl nun Bellarminus von Katholicken selbst, und namentlich vom Cardinal Gotti, Tom. II. Tract. VII. Quæst. IV. widerleget wird, so bleibet doch unserm Uebersetzer das unverschämte Maul, sonst würde folgen, daß wenn zween Protestanten einander entgegen gesetzte Meynungen vertheidigten, eine Parthey phantasiren müßte.

Was das Alterthum der Communion unter einer Gestalt, betrift, so findet man schon davon Beyspiel zur Zeit des uralten Tertullianus. Fleury saget im ersten Tomo. pag. 493. *Tertullien parle de l' Eucharistie. Les Chretiens l' emportoient dans leur Maison, pour pouvoir communier tous les jours: & on voit ici, que desors on communioit a jeun, & souvent sous la seule espece du pain.* Zu deutsch: *Tertullianus* redet von der *Eucharistia*. Die Christen trugen solche nach Haus, damit sie alle Tage *communiciren* könnten: Und hieraus sieht man, daß man schon damahls nüchtern, und oft nur unter der Gestalt des Brodes *communicirte*. Denn man findet kein Zeugniß, und ist es ganz und gar unwahrscheinlich, daß die Christen auch etwas von dem Heil. Blut sollen mit sich nach

Sæculum IV. A. C. 347. *de numero, quorum fides sincera non ex pecunia corrumpi potuisse, ut in Ecclesia clament, & hunc Episcopum possint. Hinc simpliciter damnandas esse pessimas artes, &, qui talium rei sint, etiam in morte Communione Laicæ privandos. Si æquum esse existimatis omnes, edicite!* Respondit Concilium: *Æquum*

---

nach Haus genommen haben. Man trug das Hl. Abendmal zu den Kranken, und findet man wiederum keine Anzeige, daß man auch das consecrirte Blut hingetragen.

Cardinal Bellarminus Lib. IV. Cap. XXIV. führet folgendes Zeugniß an: *In Latina Ecclesia sic usus fuit, & adhuc manet Feria VI. Hebdomadæ Sanctæ. Nam eo die non fit Consecratio, & ipse etiam Sacerdos in publica actione communicat sub una specie. Hujus Consuetudinis... quod attinet ad Latinos, meminit Innocentius I. in Epist. 1. c. 4.* Hierauf folgen noch mehrere Zeugniße, und endlich die Worte: *Ex quo intelligimus in publico etiam Cœtu Ecclesiæ usum fuisse unius speciei, idque ab annis plus mille.* Mit diesem ist für den Melanchton, und den Kemniz, denn unsers elenden Uebersetzers ist nicht zu gedenken, sattsam erwiesen, daß die wahre Kirche zwar allzeit geglaubet habe, es wäre niemal erlaubet nach der Einsetzung JEsu Christi unter einer Gestalt zu consecriren, wohl aber, daß die Layen aus erheblichen Ursachen nur unter einer Gestalt communiciren könnten.

Æquum esse existimamus. Hac in re Concilium Sardicense Nicæno derogat, statuenti, nemini, in articulo mortis Communionem petenti, esse denegandam. Sæculum IV. A C. 347. *Can. Nic.* 13.

De ordinationibus Episcoporum sequentem etiam Canonem Osius proposuit; si unicus superstit Episcopus in aliqua Provincia, ubi plures fuerant, & populo jam congregato, ad alium ordinandum venire negligat, vicinæ Provinciæ Episcopi eum invitent, ut inter ipsos compareat, & Episcopum ordinent, in aliquam ex sedibus vacuis imponendum; si litteris eorum non respondeat, populo satisfacient, & sine ipso Episcopum ordinabunt. *Can.* 5. *lat.* Cœterum non liceat in pago, aut civitate tam parva, ut ei sufficere unus Presbyter possit, Episcopum ordinare, ne Nomen, & Dignitas Episcoporum multitudine vilescat. *Can.* 6. Igitur qui ex alia Provincia ad hoc invitati sunt, in iis tantum urbibus ordinent, ubi antea Episcopi fuere, aut amplitudine, & populorum numero dignæ sint, ut proprium Episcopum habeant. Ne his verbis: Urbium amplitudine, & populorum numero, fallamur, attendendum, quales urbes Concilium intelligat, in quibus Episcopus non sit ordinandus, nempe tales, quibus in Sacrorum administratione unus Presbyter possit sufficere; hinc Episcopatuum multitudinem mirari desi-

Sæculum IV. A. C. 347.

nemus, quos in omnibus Regionibus præ cœteris populorum frequentia notis, in his primis Sæculis invenimus. Falsa Ischyræ ordinatio huic Canoni condendo occasionem dedisse videtur.

Can. 13. *lat.* 10. *Græc.*

Eusebianorum molimina forte sequenti Canoni ponendo causam dederint. Si vir dives, causidicus, negotiis sæcularibus implicitus, in Episcopum postulatur, nisi prius functiones Lectoris, & Diaconi, aut Presbyteri peregerit, non ordinetur; per omnes hos gradus transibit, & in his morabitur, ut interim fides ejus, modestia, morum gravitas æstimari possint, & ad Episcopatum evehi, si dignus sit. Non facile ordinare Neophytos liceat. Episcopis etiam præcipitur, ne Confratrum suorum Clericos ad se alliciant, aut unquam sine Episcopi sui consensu ordinent, *Quia*, inquiunt: *ex his ordinationibus lites, & discordiæ oriri solent.*

Can. lat. 18. *Gr.* 15.

§. XXXVIII.

Canones de Residentia.

Can. 8. *lat. Gr.* 7.

Plures in hoc Concilio Canones leguntur de Episcoporum Residentia; præsertim illorum profectiones ad Regiam damnantur; novus erat iste abusus, nuper post Imperatorum Conversionem ad fidem natus. Propterea Osius in hunc modum

modum conqueritur: *Importunitas, qua nos in Principum aulam inferimus, familiaritas noſtra, & injuſtæ preces efficiunt, ut apud Principes gratia, & auctoritas, qua pollere deberemus, pereat. Sunt Epiſcopi, præſertim Africani, quibus ſemper in aula aliquid actitandum; hi, ſcimus enim, bonum conſilium Confratris noſtri Grati contemnunt* (erat is Epiſcopus Carthaginenſis in Concilio præſens) pergit Oſius: *quæ in aulis tractant, nullam Eccleſiæ utilitatem afferunt, officia, & dignitates ſæculares pro aliis petunt. Epiſcopos decet pro viduis, & orphanis ſpoliatis intercedere, cum ſæpe perſecutionem patientes Eccleſiæ opem implorent, ſicut etiam ad exilium, vel alias pœnas damnati. Si ergo vobis videatur, decernite, ne Epiſcopis, exceptis bis ſolis cauſis, ad Regiam proficiſci liceat, & ſi per litteras ab Imperatore vocentur.* Dixerunt omnes: *Volumus, decretum ſit.* Sæculum IV. A. C. 347.

Oſius ſubjungit: *Ut omnis adeundi Regiam occaſio Epiſcopis reſcindatur, ſatius erit, ut, ſi tales profectiones charitas imperet, Diaconus mittatur, qui minori ſcandalo ibi verſabitur, & promptius reſponſum feret.* Ita decretum eſt. Et adjectum, ut ſingularum Provinciarum Epiſcopi ſupplices libellos, & Diaconum, eos ferentem, ad Metropoli- Can. 9. lat. & Græc. Can. 9. Gr.

Sæculum IV. A. C. 347.

tanum mitterent, ab eo Epistolas commendatitias accepturum ad illarum urbium Episcopos, ubi Imperator tunc moraretur. Si cui Episcopo in aula amici sint, his petitiones honestas, & pias per Diaconum commendare poterit. Si qui Romam venerint, Episcopo Romano libellos, quos perferunt, exhibeant, ut judicet, an æqua, & honesta petantur, & ad Regiam permittat. Hæc iterum ab omnibus approbata.

Can. 10. *lat.*

Can. 11. *lat.* 20. *Gr.*

Gaudentius, Episcopus Naissensis in Mœsia, addidit; necessarium sibi videri pœnam depositionis ab Episcopatu in horum Canonum transgressores statuere, causa judicialiter cognita, ut meliùs coercerentur, *Atque ut, quæ prudenter statuta sunt*, inquit: *certius effectui dentur, nos, qui ad Canalem* (ita viæ publicæ appellabantur) *habitamus, si quis Episcopum proficiscentem viderit, quo vadat, & quibus ex causis? inquiramus, si ad aulam vadat, videamus, an illuc vocatus fuerit, quod si, ut importune sollicitet, sicut dictum est, itineretur, non subscribamus Epistolis ejus, imo ab ipsa Communione excludatur.* Omnibus æqua statuisse visus est; nisi quod Osius restrictionem adjecerit, ut illi, qui per vias publicas iter facerent, antequam hoc Concilii Decretum ad eorum notitiam deveniisset, ab Episcopo Diœcesis monerentur,

v. Berg. Gr. Chemins. Liv. IV. Ch. 18. n. 9.

rentur, & qui fuiſſet ita monitus, ex illa urbe dimiſſo ad Regiam Diacono, ipſe in ſuam Eccleſiam reverteretur. Sæculum IV. A. C. 347.

Alium quoque abuſum Oſius emendari cupiebat. *Non nunquam Epiſcopus*, inquit: *in aliam Diœceſin, aut Provinciam venit, ibique diutius ambitioſe moratur, eo quod loci Epiſcopum forte eloquentia ſe inferiorem ſciat, ſæpe dicit ad populum, ut alterius contemptum, & ſui deſiderium in auditorum animis pariat, & tandem ad hanc Eccleſiam vocetur. Ideo commorationis tempus definite, ſicut enim advenientem Epiſcopum excludere inhumanum, ita ipſum juſto diutius in hoſpitio hærere periculoſum. Recordor, fratres noſtros olim in Concilio præſcripſiſſe, ſi Laicus tribus Dominicis continuis, id eſt, tribus ſeptimanis, a conventu illius urbis, ubi habitat, abſens fuiſſet, communione privandum; ſi hæc pro Laico ſtatuta ſunt, quanto æquius eſt, ne Epiſcopo a ſua Eccleſia longiori tempore, ſine magna neceſſitate, abeſſe liceat?* Igitur ut hoc ſtatueretur, omnibus placuit. Concilium, de quo Oſius hic loquitur, Illiberitanum fuiſſe creditur, cui ante quadraginta duos annos interfuerat, ibi enim ejusdem tenoris canon invenitur. Sequentem etiam adjunxit canonem, ab omnibus comprobatum. Sunt Epiſcopi, qui in ſua Diœ-

Can. 12. lat.

Can. 14. lat. 11. Græc.

Canones.

Canon. Illib. c. 21. Can. Sardic. lat. 15. Gr. 12.

Sæculum IV. A. C. 347.

Diœceſi pauca bona poſſident, multa autem in aliis locis, quibus pauperes juvare poſſunt; his tribus ſeptimanis in illis locis, ubi bona ſita ſunt, manere liceat, quibus fructus colligant, & ne Epiſcopus talis vel unica Dominica a ſua Eccleſia abſit, in Eccleſia, illis locis proxima, divinum officium peragat, ubi alias Presbyter ſacra facere conſuevit; non valde frequenter Eccleſiam illius urbis adeat, ubi Epiſcopus reſidet, ne ſuperbiæ ſuſpicionem incurrat, tamen absque rei ſuæ domeſticæ detrimento. Hæc regula, ut quis Epiſcopus tribus ſeptimanis a ſua Eccleſia abſit, etiam ad Presbyteros, & Diaconos extenſa eſt, poſtquam Aetius Epiſcopus Theſſalonicenſis expoſuit, in urbem ſuam ampliſſimam, & Macedoniæ Metropolim Presbyteros, & Diaconos ex aliis Provinciis advenire, quibus poſt longam moram, ut domum redirent, vix perſuaderi poſſet. Olympius Epiſcopus Enoſanus in Thracia adjiciendam eſſe exceptionem putavit in favorem Epiſcoporum, qui injuſte perſecutionem paſſi, ob defenſionem veritatis ſedibus ſuis expulſi eſſent; his alibi morari liceret, donec ad ſuos reverti libertas fieret, cum omni officiorum genere coli merentur. Caſus ejusmodi tunc temporis Arianorum perfidia erant frequentiſſimi.

Can. lat. 20. *Gr.* 16.

Can. lat. 21.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sæculum IV.
A. C. 347.

Canones de Judiciis Ecclesiasticis.

EXinde, quod jam antea statutum, confirmatur, ne Diaconus, Presbyter, aut alius Clericus, a suo Episcopo excommunicatus, ab alio recipiatur, & Episcopus, qui excommunicatum sciens cum injuria Confratris sui ad suam Communionem admitteret, facti rationem in conventu Episcoporum reddere teneretur. Subjunxit Osius; si quis Episcopus, plus justo iracundiæ æstu abreptus, Presbyterum, aut Diaconum suum excommunicaverit, excommunicatus Episcopos vicinos adire poterit, & audiri debet; Episcopus, qui eum condemnavit, non vitio vertat, si causa a pluribus examinetur; interim ante examen initum nemo audeat cum damnato communicare. Si Episcoporum Conventus in Clericis contemptum sui Episcopi, & insolentiam deprehenderit, tales severe increpentur, sicut enim Episcopi est, Clericos suos sincera charitate complecti, ita Clericorum est Episcopo suo humillime submitti. *Can. lat. 16. Gr. 13.* *Can. lat. 17. Gr. 14.*

Regula etiam posita est judicandi Episcopos, estque canon iste inter omnes Concilii Sardicensis celeberrimus. Post duos primos Canones, quibus translationes prohibentur, atque, ut tollantur etiam *Can. 3.*

Sæculum IV. A. C. 347.

tiam translationum occasiones, similiter profectiones Episcoporum inutiles reprobantur, Osius inquit: *His quoque adjiciendum; ne quis Episcopus ex sua Provincia in aliam, ubi alii Episcopi sunt, transeat, nisi a Confratribus invitatus, nam viam charitati præcludere noluimus.* Et, ut omnis causa transeundi amputetur, iterum ait: *Si inter duos Episcopos ejusdem Provinciæ lis exoriatur, neutri eorum Episcopum alterius Provinciæ in arbitrum eligere liceat. Si quis Episcopus, damnatus in judicio, ita causæ suæ confidat, ut hanc de novo in Concilio examinari desideret, honoremus, si vobis placeat, S. Petri Apostoli memoriam, qui causam primo judicarunt, scribere ad Julium Episcopum Romanum, cui si visum fuerit, repetendum esse judicium, Judices det; si primæ sententiæ insistendum crediderit, quidquid disposuerit, ratum esto.* In hunc Canonem omnes consenserunt. (*) Episcopus Gaudentius

Can. 4.

(*) Hier hat unser Protestant wiederum eine Anmerkung daher geschmieret. Er saget: Auf diese Verordnung, welche für den römischen Stuhl sehr vortheilhaft abgefasset ist, könne nicht viel gebauet werden. Denn, heisset es: Es ist einmal bekannt, daß *Hosius* eine vorwit-

tius adjunxit, appellatione pendente, alium Episcopum in locum depositi non esse

Sæculum IV. A. C. 347.

tende Neigung zur Erhebung des römischen Stuhls gehabt . . . . daher die andern Bischöfe, wenn er etwas vortrug, weiter nichts als Jaherren vorstelleten . . . die abendländischen Bischöfe . . . glaubeten, was sie für ein gutes Werk stifteten, wenn sie dem Bischofe zu Rom unter den abendländischen besondere Vorzüge zugestünden, ohneracht er solches den Kirchenordnungen der vorigen Zeiten gerad entgegen war . . . *Julii* Nachfolger . . . haben ein göttliches Recht daraus gemacht. . . . Weder die *orientalischen*, noch die *africanischen* Bischöfe, haben sich dadurch niemals binden lassen. ꝛc. ꝛc. So vernünftlet dieser Mensch, und verlässet die klare Wahrheit, so in der Heil. Schrift enthalten ist. Ja wohl! mein Uebersetzer! ja wohl! Weder der Bischof Osius, noch seine sogenannte Jaherren, noch die abendländischen Bischöfe, noch die Päbste selbst haben aus dieser Sardicensischen Satzung ein göttliches Recht gemacht, sondern es war vom Anfang der Kirche schon ein göttliches Recht, welches JEsus Christus dem Heil. Petrus gegeben, als er zu ihm allein gesagt: Pasce oves meas! Joan. 21. Confirma Fratres tuos! Luc. 22. und dergleichen. Denn sage er ob diese Worte Christi etwas bedeuten oder nicht? Hat sie vielleicht der Heiland nur so in den Wind hinaus geredet? Die Schrift, die Schrift, mein Uebersetzer! giebt dieses

Sæculum IV. A. C. 347.

esse ordinandum, donec Episcopus Ro-
manus causam definiverit.

ses Recht dem römischen Bischofe. Er hält ja
les auf die Schrift, so wie die Juden schon
Templum Domini! Templum Domini! Nur scha-
de! daß er solche nicht versteht, und ausser der r
mischen Kirche nicht verstehen kann.

Daß dieses Recht den Kirchenordnungen
vorigen Zeiten gerad entgegen war, ist widers
Wahrheit hingeschrieben. Man kann keine
Ordnung namhaft machen. Es ist kein Patri
chat in Orient, noch in Aegypten gewesen, wel
nicht, und öfter als einmal zu dem römis
Stuhl durch Appellation seine Zuflucht genom
men. Nur daß unser Uebersetzer in seiner schw
chen Phantasie sich nicht vorbilde, es hätte das Re
welches Christus der HErr dem Heil. Petrus v
liehen, von ihm also gleich über die übrigen
Apostel, und von seinen Nachfolgern in den nächs
folgenden Jahren über die ganze Kirche vollkom
men müssen ausgeübet werden. Es sind die P
sthümer, Erzbisthümer, Patriarchate, und Ein
nungen nach und nach entstanden, und so wurde
auch nach, und nach die Ursach, und Nothwendig
keit klärer erkannt, warum Christus dem Heil. Pe
trus diesen Gewalt eingeraumet habe.

Ein Protestant kann einwenden; es waren alle
Bischöfe gleich, und hatten einen gleichen Gewa
von JEsu Christo empfangen. Mit Erlaubn
dieses verhält sich nicht so; die Worte, welch
Christus im Evangelio zu Petro geredet, erweise
etwas anders, und wenn Christus der HErr

Ut præcedenti canoni majorem lucem affunderet, Osius dixit: Quando Episcopus, a Concilio Provinciali depositus, ad Episcopum Romanum recurrerit, & appellaverit, si Pontifex causam de novo examinandam judicaverit, ad Episcopos vicinæ Provinciæ scribet, ut ipsi judices sint; & si Episcopus depositus Romano Episcopo persuaserit, ut aliquem Presbyterorum, qui lateri ejus hærere solent, judicem mittat, facere poterit, & delegatos mittere, qui suo Nomine cum Episcopis judicent, sin existimet, auctoritatem Episcoporum ad causam decidendam sufficere, quod melius visum fuerit, faciet. Sententia, quam Julius Papa cum Concilio Romano pro S. Athanasio, &

Sæculum IV
A. C. 347.

Can. 7. lat. 5. Græc.

nem einen grössern Gewalt gegeben hätte, als dem andern, so wären nothwendig nur solche Kirchen entstanden, welche sich gegen einander würden verhalten haben, wie heut zu Tage alle diejenigen, welche sich von der römisch Katholischen abgesöndert haben, das ist so viel Kirchen als Fürstenthümer, in welchen man weder in der Glaubenslehre, noch in der Disciplin übereins kömmt. GOtt behüte uns vor diesem Unheyl. Unser prahlerische Uebersetzer aber wird alsdenn einmal tüchtig werden die Lehre von dem Gewalt des römischen Pabstes zu widerlegen, wenn ein Cameel die Harpfe zu tractiren wird begriffen haben.

Sæculum IV. A. C. 347.

& aliis Episcopis persecutionem passis pronuntiaverat, huic canoni ponendo ansam præbuisse videtur, & vidimus superius, quod Julius conquestus fuerit S. Athanasii causam sine sui participatione fuisse judicatam. Tale fuit genuinum Sardicense Concilium. Præter Episcopos præsentes, alii plures subscripserunt exemplis, ad se allatis; horum S. Athanasius ultra trecentos numerat.

Sup. §. *XXIV.*

Apol. 2. p. 720.

§. XL.

Conciliabulum Philippopolitanum.

Soz. III. c. 11. to. 2. Conc. p. 699. ex Hilar. fragm.

Interim Orientales, qui Sardica recesserant, Philippopoli in Thracia, urbe in Constantii Ditione haud procul Constantinopoli substiterunt; inde, tanquam sol verum Concilium constituerent, Epistolam scripserunt ad Gregorium Sedis Alexandrinæ usurpatorem, Amphionem Nicomediensem, Donatum Episcopum Schismaticum Carthaginensem, Desiderium Campaniensem, Fortunatum Neapolitanum, Eutychium Ariminensem, Maximum Salonensem in Dalmatia, & universim, ut ipsi dicunt, ad Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Ecclesiæ Catholicæ, phrasi utrique parti semper communi. Dicunt se congregatos fuisse Sardicæ ex diversis Orientis Provinciis, quas enumerant, & Concilium celebrasse. Initium

tium faciunt, zelum suum ostentando pro Ecclesiæ Disciplina conservanda, & judicii ab Ecclesia semel lati firmitate; tum causam Marcelli Ancyrani exponunt, cujus condemnatio ignaris magis speciosa videbatur. Ipsum hæreses Sabellii, & Pauli Samosateni reduxisse accusant, & ajunt, in Concilio Constantinopolitano sub Magno Constantino celebrato sæpius erroris admonitum, & reprehensum, tandem judicialiter fuisse condemnatum. Inde ad causam S. Athanasii transeunt; quem ut Sacrilegum, & Mysteriorum profanatorem accusant, quod propriis manibus sacrum calicem fregisset, altare comminuisset, Cathedram Sacerdotalem evertisset, Ecclesiam funditus diruisset, & Sacerdotem carceri mancipasset. Nempe Ischyræ calumniam recoquunt. Supra Arsenii fabulam leviter transiliunt, sed die Paschatis injurias vimque multis illatam ipsius causa dicunt, quorum omnium Athanasium reum faciunt; hujus calumniæ occasionem haud facile quis divinaverit, cum de illis tantum hic loqui possint, quæ exilium ejus præcesserunt, quippe subjungunt, propter tanta crimina primo Concilium fuisse indictum Cæsareæ in Palæstina, deinde Tyri celebratum, ubi Episcopi, ex multis Provinciis congregati, ne ex levibus indiciis judicasse viderentur,

Sæculum IV. A. C. 347.

Sup. L. XI. §. 54.

Sæculum IV. A. C. 347. illustrissimos quosdam ex cœtu suo delegassent, qui, cum in ipsis locis præsentes, oculis suis veritatem comperissent, omnia ad Concilium retulissent. Hic de missione in Mareotidem sermo. Tandem Athanasium, præsentem, damnatum, auffugisse, & ad Imperatorem appellasse, qui causa examinata, & criminum veritate comperta eum exilio mulctasset.

At vero, ulterius inquiunt: *ubi redeundi potestatem obtinuit, post longum tempus ex Gallia Alexandriam revertens, pejora prioribus commisit; per viam ubivis in Ecclesia turbarum causa fuit, dum in quibusdam locis damnatos Episcopos restituit, aliis restitutionem promisit, Episcopos intrusit Infideles, viventibus veris Pastoribus, atque hæc vi, & Gentilium armis perfecit, huc Legum contemptus, & desperatio virum deduxit! Cum denique S. Episcopus Concilii auctoritate in Sedem ejus fuisset immissus, Gentiles excitavit, Templum Dei incendit, altare demolitus est, atque, perfecto facinore, fuga se abstulit.* Hic de Gregorii invasione loquuntur, &, quæ hac occasione violenter gesta, S. Athanasio tribuunt, inimici ejus scelera in ipsum rejicientes.

Paulum etiam Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem,

zenſem, & Lucium Andrinopolitanum multorum criminum, vis adhibitæ, & Sacrilegiorum incuſant, quæ omnia in eorum Epiſtola legi poſſunt; at, cum exploratum ſit, eos in cauſa S. Athanaſii enormiter mentiri, prudens lector, quam fidem in aliis mereantur, nobis non ita perſpectis, facile æſtimabit. Poſt hæc Orientales rurſus in S. Athanaſium invehuntur, dicentes in ſua Epiſtola, ipſum per varias Regiones peregrinatum, SS. Epiſcopis impoſuiſſe fraudibus, & adulationibus, præſertim Ægyptiis, iis nempe, quibus ſcelerum ejus nulla eſſet ſcientia; ubique Epiſtolas commendatitias emendicaſſe, quibus Eccleſiæ tranquillitas turbetur. His addunt: *Laudes & teſtimonia eorum, qui judices non fuerunt, nec præſentes, quando de Athanaſio quæſtio habebatur, nihil valeant contra ſententiam, a tanto tempore Sanctorum Epiſcoporum ore latam. Tandem, ubi hæc omnia nihil ſibi prodeſſe vidit, Romam ivit ad Julium, & quosdam alios Italiæ Epiſcopos, eosque Epiſtolis, quæ mendaciis ſcatent, decepit; hunc illi reprehenſibili levitate in ſuam communionem receperunt; hinc, ut factum proprium excuſent, ejus cauſam qualemcunque tueri coguntur. Omnes alii, quorum crimina explorata, jam Marcello, & Athanaſio ſe junxere, nem-*

Sæculum IV. A. C. 347.

Sæculum IV. A. C. 347.

pe Asclepas ante septendecim annos, id est, in Concilio Antiocheno anno 330. depositus, Paulus, Lucius, atque illis similes. Inita societate Regiones externas pervagati sunt, fugientes illam Provinciam, ubi crimina perpetrarunt; vicinia etiam suspecta fuit, sed in Provinciis remotis, ubi nullus erat accusatorum suorum timor, coram illis causam dixerunt, qui homines non noverant, his, ne judicibus suis fides habeatur, persuaserunt. Hem vulpinam astutiam! sciunt plures accusatores suos, judices, & testes inter vivos jam non esse; hinc iterum judicari petunt rem, jam toties judicatam; credunt temporis longitudine criminum suorum memoriam deleri potuisse, jamque in judicio defendere se volunt coram nobis, qui nec accusatores eorum, nec judices fuimus, postquam olim coram facie adversariorum suorum causa ceciderunt.

Sup. L. XI. §. 41.

§. XLI.

Quærimoniæ contra Concilium Sardicense.

Athanasius, in Italiam, & Galliam delatus, novum judicium petiit importunis precibus, quibus cum Julius Episcopus Romanus, Maximinus Trevirensis, Osius, pluresque alii præpostere assensum dedere,

dere, ab istorum imprudentia, & Imperatoris bonitate obtinuit, ut Concilium Sardicæ celebraretur. Imperatoris epistolis vocati, ubi advenimus, comperti sumus, Athanasium, Marcellum & cæteros, perditissimos homines, juste damnatos, & Conciliorum judicio depositos, in medio Ecclesiæ cum Osio, & Protogene sedere, loqui etiam, &, nefas! Divina Mysteria celebrare. Protogenem non pudebat, cum Marcello communicare, cujus hæresin quater in Conciliis tam viva voce, quam Episcoporum judicio subscribens, damnaverat. Similiter S. Athanasium, quod Asclepam, & S. Paulum, quod S. Athanasium damnaverit, arguunt; at nullæ horum factorum probationes aliunde suppetunt.

Nos vero, prosequuntur Orientales: *Ecclesiasticæ Disciplinæ inhærentes, illis, qui cum Protogene, & Osio congregati erant, præcepimus; suo conventu damnatos excluderent, & cum peccatoribus non communicarent, & deinde nobiscum auscultarent, quale judicium in istos homines Patres nostri tulerint. Illi ab eorum communione separari noluerunt, Marcelli hæresin suo consensu firmarunt, Athanasii, aliorumque crimina approbarunt, pluris scelestorum hominum amicitiam, quam S. Fidem, & Ecclesiæ pacem fecerunt. Quid eos ad hæc impulerit, nec suspicari possumus, nisi quod timerent, istos rejiciendo*

Sæculum IV. A. C. 347.

se ipsos damnare, quia cum ipsis communicaverant. Novum quoque errorem inducere satagebant; quippe Conciliis Orientalibus quorumdam Occidentis Episcoporum judicium præponebant, judicum judices se constituebant, sententiam eorum, qui jam in Deo quiescunt, reformare audebant. Eodem jure Orientales, quæ Occidentales ædificant, possent destruere; sed nos regulas tenemus, quas a Patribus nostris accepimus; quæ Concilia legitima decreverunt, firma sunto, hæc Ecclesia mutare non potest, non enim a Deo hanc potestatem accepit. Orientales ea, quæ Romæ in Conciliis contra Novatum, Sabellium, & Valentinum judicata sunt, confirmarunt; & omnes, quæ in Oriente contra Paulum Samosatenum acta sunt, approbarunt. Ecce hic æmulationis, & invidiæ, quam Episcopi Orientales in Occidentales conceperunt, primordia! cujus mali per totum historiæ decursum effectus nimis funestos videbimus.

Tunc sic prosequuntur Orientales: *Sæpe Occidentales rogavimus, ne hanc traditionem cum contemptu juris Divini everterent, ne totum Mundum diutius turbatum vellent amore unius, vel alterius flagrionis, qui profecto, nisi essent impudentissimi, & omnis Religionis expertes, sponte cedere debuerant, & cum Propheta dicere:* Jon. 1. 12. *projicite me in mare, quia propter me ista tem-*

tempestas excitata est. Hos, etiamsi es- Sæculum IV.
sent innoxii, omnibus tamen bonis horro- A. C. 347.
ri esse oporteret, quod intolerabili suæ Dignitatis cupiditate, & insana superbia inconsutilem Christi vestem, quæ est Ecclesia, dilacerent. Propter ipsos coacti sumus populorum custodiam dimittere, & Evangelii prædicationem; longissimam profectionem Senes, & infirma valetudine suscepimus, non nulli etiam ex nostris in via ægroti remanserunt; propter ipsos vehicula publica deteruntur. Querulantur populi, & omnium Provinciarum fratres anxie exspectant, quis tandem malorum exitus futurus sit. Postquam igitur per plures dies Osium, & Protogenem rogavimus, ut eos expellerent, conditionem obtulimus, ut rursus quinque Episcopi, superstites, unus enim eorum morte sublatus, qui in Mareotidem delegati fuerant, illuc mitterentur; profitebamur etiam nos ultra non audiendos, nisi accusationes per illam missionem veræ esse probarentur, sed acceptare noluerunt, imo, schismaticos nos vocitantes, seditionem populi in civitate in nos commoverunt.

§. XLII.

Excommunicatio Julii, Osii, & aliorum.

Cum ergo, hæc ita esse, videremus, quis-

Sæculum IV. A. C. 347.

que noſtrum ad ſua redire ſtatuit, prius tamen Sardica ad vos ſcribere, ut, quæ acta fuerint, & judicium noſtrum ſcire-tis. Forte Sardicæ hanc epiſtolam ſcripſerant, quam tamen ante fugam ſuam Philippopolim publicæ lucis non fecerunt. Sed quidquid ſit, ita dictum ipſorum judicium ſic habet: *Nos, octoginta Epiſcopi, notum vobis hiſce facimus, ne quis veſtrum decipi ſe patiatur, & cum Oſio, Protogene, Marcello, Athanaſio, Aſclepa, Paulo, Julio, aut quocunque alio, quos Eccleſia damnavit, & rejecit, aut cum adhærentibus illis communicet; itaque nunquam ad eos ſcribatis, aut epiſtolas accipiatis*; his ſubjungunt Gaudentium Naiſſenſem, & Maximinum Trevirenſem, atque ita, ut ſequitur, ſententiæ ſuæ rationem reddunt; Julium Papam, ut Auctorem mali damnant, utpote qui primus cum Athanaſio, & reliquis damnatis comunicaſſet. Ob eandem cauſam Oſium condemnant, præterea, quod quemdam Marcum perſecutus ſit, & peſſimos aliquos Epiſcopos, quos nominatim referunt, defenderit at calumniarum iſtarum fundamentum nos latet. Maximini culpa eſt, quod Epiſcopos, quos in Galliam miſerant, recipere noluerit, (nempe Delegatos Concilii Antiocheni anno 342.) quod primus cum Paulo Conſtantinopolitano communicaverit, ejus revocandi auctor fuerit, &

Sup. §. 23.

cædium

cædium inde secutarum. Protogenem se ipsum damnasse, ajunt, quod sæpius Marcelli condemnationi subscripserit; Gaudentium Prædecessoris sui Cyriaci vestigiis neutiquam institisse, qui reorum condemnationi subscripserat, eumque Pauli causam defendere non erubuisse. Sæculum IV. A. C. 347.

Quia autem, inquiunt: *illi, qui cum Osio sunt, fidei Catholicæ perniciem inferre voluerunt, & Marcelli hæresin inducere, coacti sumus fidei Confessionem in lucem edere, cui ut subscribatis, sicut etiam Decretis nostris, quamprimum litteras nostras acceperitis, rogamus.* Ponunt deinde Confessionem fidei, in qua nihil notari meretur, præterquam studiosa vocis consubstantialis omissio. Hanc epistolam septuaginta tres Episcopi signarunt, quorum præcipui sunt Stephanus Antiochenus, qui ponitur primus, Menophantes Ephesinus, Acacius Cæsariensis in Palæstina, Theodorus Heracleensis, Quintinus Gazensis, Marcus Arethusanus, Dion, seu potius Dianeus Cæsariensis in Cappadocia, Basilius Ancyranus, Eudemon Tanicus, & Callinicus Pelusinus, ambo Meletiani, famosus Ischyras ex Mareotide, Narcissus Irenipolitanus, Eutychius Philippopolitanus, & Valens Mursensis. Eadem epistola etiam inter alios ad Donatum, Episcopum schismaticum

Ap. Hilar. de Synod. p. 336.

Ap. Athan. 2. apol. p. 789.

Sæculum IV. A. C. 347.

ticum Carthaginenſem, directa eſt, quo ad Arianorum partes traheretur. Hoc autem non obſtante Donatiſtæ in Doctrina, quod Verbum eſſet conſubſtantiale a Catholica Veritate non diſceſſerunt. Niſi quod hæc epiſtola ipſis oſtentationis occaſio fuerit, dum eam Concilii Sardicenſis Synodalem eſſe, ſeque cum Orientalibus in S. Communione vivere jactarent. In dubium revocari non poteſt, hanc æquivocationem poſtmodum vero Concilio nocuiſſe; qui horum Canonum auctoritatem, præſertim circa appellationem ad Sedem Romanam, reſpuebant, fuiſſe Conciliabulum Arianorum dicebant, qui pro Canonum Sardicenſium valore ſtabant, eos Concilio Nicæno tribuebant, cujus Sardicenſe appendix fuiſſet. Tandem Concilium Sardicenſe non nihil de ſua auctoritate amiſit, propter abſolutionem Marcelli Ancyrani, cujus fama circa Doctrinam in integrum reſtituta non eſt; ipſe S. Athanaſius, cum in ejus ſermonibus nova quædam deprehendiſſet, quæ Photino errandi occaſionem præbuiſſent, ab ejus Communione receſſit; narrat S. Epiphanius, ſe quadam die ex S. Athanaſio quæſiviſſe, quid de Marcelli Doctrina ſentiret, & reſpondiſſe modico riſu, a pravitate non multum abfuiſſe.

Aug. epiſt. 44. n. 6. ad Eleuſ.

v. Conc. Carth. IX. an. 419.

Hilar. frag. p. 413.

Epiph. hær. 72. n. 4.

Poſt

Sæculum IV.
A. C. 347.

Post hæc Concilia aliquamdiu Orientalium, & Occidentalium mentes erant divisæ; iidem Communionis limites fuere, qui & Imperiorum, nempe mons Tisſuquis medius inter Thraciam, & Illyricum situs. Ab hoc monte, qui versus Orientem habitabant, quamvis diversa crederent, in Sacris communicabant, citra autem versus Occidentem nemo hæreticis communicabat, pura ab omni labe erat Ecclesia, Doctrinam, a Patribus acceptam, sine litibus, & jurgiis servans. Verum quidem, quod Auxentius Mediolanensis, Ursacius, & Valens, Arianorum pravitatem omnibus viribus propagare adlaboraverint, at SS. Pontifex, & alii Episcopi viriliter resistebant. In Oriente major circa Doctrinam fidei confusio dominabatur. Infinitis de voce consubstantialis jurgiis aures offendebantur; multi nudam vocem oderant, nec alia ex causa, quam quod puderet, a principio rejectam, admittere. Alii consuetudine disputandi in naturam transeunte, opinionem, quam semel apprehendissent, deponendi facultatem amiserant. Alii damnata altercandi libidine, in nimiam facilitatem delapsi, illud sibi credendum eligebant, ad quod aliorum auctoritate, vel amicitia trahebantur. Alii tandem contempto jurgandi pruritu in bona pace fidem Nicænam sequebantur, horumque

Socr. II. c. 20.
Sozom. III. c. 13.

Sæculum IV. A. C. 347.

que major erat numerus, præsertim Monachorum, quorum vitæ Sanctitas paulatim ex tenebris emicabat. (*)

§. XLIII.

Arianorum Crudelitas.

Athan. ad solit. p. 820.

Eusebianis, a Concilio Sardicensi damnatis, crevit furor. Clerici Andrinopolitani per urbem suam transeuntibus communicare noluerunt, quod fugitivos, & reos æstimarent; illi de ignominia apud

(*) Hier zeiget unser Uebersetzer seine Ehrlichkeit. Er hat eine Anmerkung hergeflicket, welche also lautet: Diesen Ruhm haben die Mönche, wenn er ihnen ja jemals beygeleget werden können, in den folgenden Zeiten nicht erhalten, da aus den Nestorianischen und Eutychianischen Streitigkeiten zu ersehen, wie gottlos, und grausam sie sich dabey verhalten, und bey den Empörungen solche Dienst geleistet, die ihren Namen auf ewig stinkend gemacht. Ey ja! auf ewig. Erstlich hat unser Uebersetzer nicht so viel Billigkeit, daß er Mönche und zusammen gelaufenes Gesindel unterscheiden wollte. Und wenn auch gottlose Mönche zur Zeit Nestorii, und Eutychis gelebet haben, so thut doch dieses denen frommen Mönchen derselben, und der nachfolgenden Zeiten eben so wenig, als es ehrlichen und redlichen Protestantischen Scribenten schaden kann, daß dieser Uebersetzer den unauslöschlichen Schandfleck eines Betrügers sich selbst zugezogen hat.

apud Imperatorem Conſtantium queſti, Sæculum IV.
cauſa fuere, ut decem viri laici, in illa A. C. 347.
urbe ad arma fabricanda conducti, capite plecterentur; crudelitatis Miniſter iterum Philagrius fuit, tunc altera vice Comitis Dignitate auctus. Ante urbem horum Martyrum ſepulchra viſebantur, nam Martyrum honorem iis Eccleſia exhibet undecima Febr. ſicut etiam S. Lucio, eorum Epiſcopo, ſimiliter pro fide mortuo; eum libertate Sacerdotali Arianos inſectantem, & hæreſin ipſorum confutantem, duabus catenis ferreis collo, & manibus ejus injectis, in exilium ejecere, ubi defunctus eſt; imo multis maturatæ mortis ejus ſuſpecti eſſe meruerunt. Ipſis inſtigantibus, Epiſcopus nomine Diodorus, in exilium pulſus; verosimiliter fuerit Epiſcopus in Tenedo, qui Concilio Sardicenſi ſubſcripſerat. Olympium Enoſanum, & Theodulum Trajanopolitanum perſecuti ſunt, quos jam antehac Conſtantius Imperator, ab Euſebio, calumnias ſuggerente, deceptus, ſcripto ex ſuis urbibus, & Eccleſiis proſcripſerat, ubi ubi comprehendi poſſent, morte puniendos; hanc, olim latam ſententiam, Imperatori in memoriam reduxere, atque, ut executioni mandaretur, inſtiterunt.

ib. p. 821.

Soz. VI. c. 2.

Ipſis urgentibus duo Epiſcopi Arius, & Aſterius unus Petræ in Palæſtina, alter

Petræ

Sæculum IV A. C. 347.

Petræ in Arabia, qui Sardicæ a partibus eorum receſſerant, in Superiorem Lybiam miſſi ſunt, quorum exilium illatis contumeliis cumularunt. At irarum meta erat Athanaſius, hinc ipſis Authoribus duo Presbyteri, & tres Diaconi Alexandrini relegantur, epiſtolæ ſcribuntur cum imperio, portus, & urbium aditus diligenter cuſtodirentur, ne poteſtate redeundi, ſibi a Concilio facta, Athanaſius uti poſſet; ad Magiſtratus Alexandriæ ſcriptum, ſi Athanaſius, aut quidam Presbyteri, quos nominabant, in urbe, vel ejus Ditione invenirentur, capite mulctari poſſe. Equos publicos ſibi dari impetrarunt, quibus ad diverſa loca devecti, ſi quos inveniebant, ſibi fugam exprobrantes, aut ſuam hæreſin deteſtantes, flagris cædi, vinculis tradi, aut relegari jubebant. Multos timor hypocritas fecit; multi, ut manus eorum effugerent, ad deſerta convertebantur. Hic erat in Oriente rerum ſtatus.

§. XLIV.

Concilium Mediolanenſe ſecundum.

v. Pagi an. 345. n. 5. & 347. n. 7. Hilar. frag. p. 411.

In Occidente elapſo modico tempore poſt Concilium Sardicenſe eodem anno 347. Concilium actum eſt Mediolani, quam urbem Imperator Conſtans inſidebat. Conveniendi cauſæ erant, Eccleſiæ divi-

divisioni remedia quærere, modum Concilii Sardicensis judicium exequendi, & damnandus Photinus; is quidem ab Eusebianis Antiochiæ anno 345 damnatus fuerat, quod necdum factum in Occidente, ubi tamen in Sede Sirmiensi, Illyrici Metropoli, inter multos Præsules eminebat. Amplissimus fuit conventus ex Illyrico, & Provincia Italiæ, cujus Metropolis erat Mediolanum, cui etiam Presbyteri Ecclesiæ Romanæ interfuere. Ursacius, & Valens, quamvis essent Episcopi, tamen litterarum rudes, & levis ingenii homines, cum se ab Occidentalibus, quos inter ob Ecclesiarum suarum situm vivebant, damnatos, & depositos dolerent, occasione hujus Concilii ad obtinendam absolutionem utendum rati, Arianam hæresin abjurare se simulant, & tradito Patribus libello, quem sua manu signaverant, delicti veniam orant. Gratiam fecit Concilium, & ad Communionem admisit.

Sæculum IV. A. C. 347.

Sup. §. 32.

Epist. ad fragm. Hil. p. 412. Ep. Syn. Arim. Socr. l. II. c. 22. Theod. II. c. 8. Athan. ad solit. p. 820.

Interim nec Sententia Concilii Sardicensis effectui dari, nec Episcopi, per injuriam Sedibus suis pulsi, restitui sine Imperatoris Orientis auctoritate poterant; hinc Concilium Mediolanense duos Episcopos ad hunc Principem delegavit, Vincentium Capuanum, forte eundem, qui in Concilio Nicæno Nomine S. Sylvestri adfuerat, & Euphratam Co-

Sæculum IV. A. C. 347.

lonienſem. His Imperator Conſtans epiſtolam ad Fratrem ſuum ferendam tradidit, & legationis ſocium copiarum Ducem nomine Salianum, virum fortitudine, & pietate inſignem adjunxit. In hac epiſtola Conſtans fratrem ſuum Conſtantium rogabat, ut Epiſcopis a ſe miſſis benevolas aures daret, in crimina Stephani Antiocheni, aliorumque illius factionis inquireret, Paulum, & Athanaſium, quorum innocentia ſatis perſpecta eſſet, in Sedes ſuas reſtitueret; in fine addidit minas, armis, & bello extorquendum, quod fratris precibus dare noluiſſet.

§. XLV.

Stephanus Antiochenus depoſitus.

Athan. ad ſolit. c. 822. hiſt. c. 9.

Cum delegati Antiochiam perveniſſent, ubi Conſtantius degebat, Stephanus, illius urbis Epiſcopus, famæ eorum nocere inſtituit, ut auctoritatem peſſumdaret. Juvenis quidam in civitate morum petulantia, & pravitate notiſſimus, quem Onagrum, id eſt, ſylveſtrem aſinum, quod manibus, pedibusque percuteret, appellabant, non prætereuntibus modo in foro publico inſultabat, ſed impudenter domos ingreſſus, viros, mulieresque honeſtiſſimas extrahebat; furcifer iſte, ab Epiſcopo Stephano ſubornatus, proſtitutam mulierculam pacta mercede conduc-

cit,

cit, ut noctem proximam in contubernio hospitum, qui nunc primum advenissent, vellet transigere; ipse primo quietis tempore assumptos secum quindecim socios, post murum, colli superstructum, occultat, & deinde mulierem adducit, tum dato, acceptoque signo, ubi socios fideliter stationem tenere cognovit, ad domum, in quam Episcopi diverterant, veniens, portam habuit apertum; quippe famulorum unum pecunia corruperat, illuc mulierem inducit, ut erat, deposita toga, lasciviæ paratam, primum ostendit cubiculum, ubi unus Episcoporum cubabat, jubetque intrare, dum ipse egressus, socios e statione advocat; sors tulerat, ut Euphratas, inter duos Episcopos ætate major, in hoc primo cubiculo sibi stratum elegerit, & Vincentius in secretiori; ingreditur ergo bona voluntate mulier, augurans, juvenem inesse, a quo peteretur, sed ubi virum invenit dormientem, & nihil tale, ad quod ipsa venerat, cogitantem, attonita stetit; strepitu, quem gradiendo ederat, excitatus Euphratas, ait: quis ingreditur? ipsa respondet; mox Euphratas, vocem fœminæ in tenebris audiens, illusionem Dæmonis suspicatus, JEsum Christum in auxilium vocat; supervenit cum cohorte sua Onager, clamans, Episcopos hos esse hominum flagitiosissimos; mulier, ubi illato

Sæculum IV. A. C. 347.

Sæculum IV. A. C. 347.

Stephanus Antiochenus.

lumine emarcidi Senis vultum vidit, & habitum Episcopi sua quoque ex parte clamitare, se esse deceptam; dum tacere Onager imperat, & crimen Episcopo affingere, clamore exciti domestici accurrunt, Vincentius quoque surgit, vestibuli porta clauditur, ut conjurati capi possent, quorum non plures, quam septem teneri potuerunt; hi unacum prostibulo custodiæ traditi; Onagrum cum reliquis fuga abstulit. Re vulgata, ubi dies facta est, tota civitas ad hanc domum accurrit, eo majori scandalo, quod tunc festa Paschalia agerentur. Episcopi, excitato Saliano, Duce illo militari, qui cum ipsis advenerat, summo mane Regiam adeunt, publice queruntur, Stephanum tanta calumnia famam suam denigrare ausum; dicebant tamen, Christiana nempe moderatione, ad punienda hæc crimina opus non esse judicii sæcularis forma, nec tormentis, sed judicium Ecclesiasticum sufficere; Salianus in contrarium disputabat, rogabatque Imperatorem, ut juberet, tantæ audaciæ scelus non in Concilio, sed in forma judicii civilis examinari, & promittebat, se Episcoporum Clericos primo traditurum, de quibus quæstio haberetur, adjungens, eidem quæstioni Clericos Stephani subjiciendos. Stephanus impudenter repugnabat, dicens, Clericos tormentis exponi

ni non posse; at Imperatori, & Purpuratorum præcipuis visum, habendam esse quæstionem, hac una cautione, ut secreto, & in Palatio inquireretur. Hic videmus judiciorum Ecclesiasticorum, & Sæcularium diversitatem. In Judiciis Ecclesiasticis Episcopi judices erant, leges vero S. Scriptura, & Canones; nulla tormenta, nullus carcer. Pœnæ mere spirituales, quales sunt depositio, & excommunicatio. (*) Sæculum IV. A. C. 347.

Ante omnes placuit quæstionem habere de scorto; cum ergo mulier interrogaretur, quis eam ad domum Episcoporum deduxisset; respondit, fuisse quemdam juvenem, qui eam advenarum nomine vocasset; tum reliqua,

(*) Ad hunc Fleurii Locum non inepte Notam Anonymus I. adjunxit, in qua præter alia dicit: *Quod ad Carceres, & tormenta spectat, non credo, Ecclesiam modernam, cui Fleurius Ecclesiæ antiquæ usum opponere videtur, ad exprimendum verum media atrocia ullibi adhibere, cum ejusmodi severitate nequidem in convictos animadvertat. Reos carceri includit, quod etiam bonus Paterfamilias, si fuerit necessarium, facit.*

Unser Uebersetzer saget hier auch ungebeten seine Meynung. Es heisset: Diese Anmerkung des Abt *Fleury* dienet dazu, daß man daraus erkenne, daß in den ersten Jahrhunderten der Christ-

Sæculum IV. A. C 347.

prout contigerunt, narravit. Ventum deinde ad captivum inter cœteros ætate minimum, qui, cuticulæ suæ metuens, omnem facinoris rationem prodidit, cujus auctor esset Onager; accitur Onager, qui statim, hæc se Stephani mandato feciſſe fassus est. Mulieris quoque Domina advocata est, nam plerumque servilis conditionis erant ista prostibula, illa ad se missos agnovit, & quid a se petiissent, convincit, erant autem Clerici, ex eorum numero, qui Stephano ministrabant; hi quoque Episcopi sui crimen confessi sunt; igitur convictus Stephanus præsentium Episcoporum potestati traditur, ut deponeretur, qui, sententia depositionis prolata, eum Ecclesia ejecerunt. Cognita

Athan. ad sol. p. 822.

Christlichen Kirche nichts von dem fürchterlichen Inquisitionsgericht bekannt gewesen sey. Und hierauf heisset es, es sey ein tyrannisches Gericht. Ja ja! einem Diebe grauet es, wann er von dem Galgen reden höret. Es pflegen die Protestantischen Scribenten dieses Gericht mit grossem Fleiß recht fürchterlich abzumalen, man hat aber zu Lissabon, und zu Madrit ganz besondere Ursachen, schärfer zu verfahren, als in andern Orten der Christenheit. Uebrigens nimmet man keinem Uebelthäter, so groß er auch seyn mag, das Leben, wenn er sich bekehret, und diejenigen, die sterben müssen, lässet ja nicht die Geistlichkeit, sondern der König in Spanien hinrichten.

ta hujus Episcopi perfidia, prope fuit, ut Constantius Imperator aliam mentem indueret; detectis fraudibus, quæ ab Arianis in Euphratam paratæ fuerunt, qua fide in alios essent, metiri cœpit, tunc-que Presbyteros, & Diaconos Alexandrinos, in Armeniam relegatos, revocari jussit, scripsit quoque Alexandriam disertis verbis, ne quis eos Clericos, aut Laicos persequeretur, qui Athanasio adhærerent. Sæculum IV. A. C. 347.

§. XLVI.

Leontius Episcopus Antiochenus.

His non obstantibus Ariani eo usque prævalebant, ut ipsorum potissimum opera in Episcopum Antiochenum eligeretur Leontius Evnuchus, validum factionis suæ fulcrum. Erat hic Leontius nativitate Phryx, subdoli ingenii homo; S. Luciani Discipulum se dictitabat, ab initio Arii errores secutus; S. Eustathio Episcopo, quem non fefellerat viri favrities, persuaderi non potuit, ut eum inter Clericos susciperet; at, Eustathio in Exilium misso, ad Presbyteratum promotus est. Post hæc vi primi Canonis Nicæni depositus fuit, quod se ipsum castravisset; nam cum concubinam haberet, nomine Eustoliam, quam, licet a se vitiatam, Virginem credi volebat, atque amici vehementer urgerent, ut turpis com-

Theod. II. c. 10. Philostorg. III. c. 15. Epiph. hær. 60. n. 5. Athan. ad solit. p. 812. Athan. ap. p. 718.

Sæculum IV. A.C. 347.

mercii ſcandalum tolleret, manibus propriis virilia ſibi exſecuit, quo liberius cum puella, cujus contubernio renuntiare nolebat, poſſet habitare. Crimen hoc, propter quod a Presbyteratu depoſitus fuerat, & factus irregularis, non obfuit, quo minus ab Arianis Epiſcopali Sedi Antiochenæ imponeretur. Sedit annis octo, hæreſin profunde diſſimulans, ne animos Catholicorum, quorum multitudinem reformidabat, a ſe averteret; gravior metus erat ab Imperatore Conſtantio illatus, illis omnibus pœnam minitante, qui, Filium non eſſe ſimilem Patri, dicerent; factis autem ſuis, quæ intus ſentiret, prodebat, nam nulli Catholicorum ordines referebat, nulli utcunque meritis præcelleret, in ſua Eccleſia officium dabat, econtra Arianos in familiaritatem admittebat, ad ſacros ordines promovebat, etiam ob vitæ licentiam indignos. Hinc pauci ex populo, plurimi ex Clericis lue hæretica infecti erant. Is etiam Aetium in Diaconum ordinavit, cujus ſequenti tempore fama crevit, huic ordinationi illuſtres duo Laici Flavianus, & Diodorus fortiter ſe oppoſuerunt, adjectis minis, ſeparaturos ſe a Leontii communione, in Occidentem ituros, & quæ ipſe moliretur, indicaturos. Territus his Leontius Aetio Miniſterium interdixit, quamvis eidem in

Theod. II. c. 24. Ath. ad ſolit. p. 827.

in omnibus reliquis, ut ſolebat, fave- Sæculum IV.
ret. (*) A. C. 347.

Flavianus, & Diodorus, tunc in urbe Antiochena firmæ fidei Catholicæ columnæ, ambo vitam aſceticam erant amplexi. Diodorus adeo paupertatem amabat, ut in hoc mundo nihil, nec domum, nec menſam, nec lectum poſſideret; amicorum charitate alebatur, ipſe totum tempus orationi, & aliorum inſtructioni dabat. Pallor vultus, & totus habitus ſummum rigorem teſtabantur, hinc ſtomachi debilitate, junctis magnis doloribus, laborabat, ad ſummam tamen ſenectutem pervenit. Athenis Philoſophiæ, & Rhetoricæ operam dederat, Silvani Tarſenſis Diſcipulus, cui poſt tempus in Epiſcopatu ſucceſſit. Flavianus in Cathedra Antiochena ſedit, poſt longum intervallum. Uterque tempore Leontii in Fidelium animis Religionis zelum excitare conabantur, quibuscum, ad Martyrum tumulos congregatis, noctem in celebrandis Divinis laudibus agebant;

Facund. lib. 4. c. 2. ex Chryſ.

ib. ex Jul. Imp.

(*) Si quis hos duos illuſtres Laicos interrogaſſet, ad quem Epiſcoporum in Occidentem iturі eſſent, neminem prius, quam Epiſcopum Romanum haud dubie nominaſſent. Saltem hoc certiſſimum eſt, hos duos Laicos credidiſſe, in Occidente non neminem reperiri, qui Epiſcopi Antiocheni judex eſſet.

Sæculum IV. A. C. 347.

impedire Leontius non audebat, veritus populi multitudinem, piissimo affectu eos sequentis, at simulata mansuetudine rogavit, ut has laudes in Ecclesia perage-rent. Ipsi, quam mala fide Leontius id peteret, non ignari, tamen, quod præcipiebat, fecerunt. Iidem duo omnium primi Psalmodiam duobus Choris cantantium alternantibus instituerunt, qui usus, Antiochiæ ortus, omnium deinde populorum imitatione comprobatus est. Flavianus item primus, congregatis pluribus Monachis, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. cantasse fertur; antehac, sicut Ariani affirmabant, dicebatur: Gloria Patri per Filium, in Spiritu Sancto; & alii: Gloria Patri in Filio, & Spiritu S. quando Catholici, & Ariani simul orabant, quivis solitis inter suos verbis utebantur, qui vero Leontio proximi stabant, observarunt, quod totum versiculum reticens, solummodo in fine diceret; & in Sæcula Sæculorum. Præterea alia adhuc Catholicorum pars Antiochiæ duravit, quæ cum Arianis non communicabat, nec post S. Eustathium alium agnoverunt Episcopum, inde Eustathiani nominati.

Philost. III. c. 13.

Theod. 2. c. 24.

§. XLVII.

§. XLVII.

Sæculum IV.
A. C. 347.

Aetii initia.

Aetius, quem Leontius in Diaconum ordinaverat, erat natione Syrus, Antiochiæ natus; Parens ejus inter Præfecti Miniſtros munus gerebat, quo male functus, capitali ſupplicio affectus eſt; bona defuncti fiſcus hauſit. Aetius, poſtquam aliquanto tempore Mulieris cujusdam mancipium fuiſſet, recuperata, ignotum quomodo, libertate, opificio ærario ſe dedit, & vitam reficiendo lacera æramina ægre ſuſtentabat; aliquando ei Matrona monile, aut armillam auream reparandam attulit, ipſe, retenta aurea, aliam cupream deauratam, priori ſimillimam, reſtituit, at detrito per uſum auro dolus apparuit, ergo accuſatus in judicio, furum pœnam ſuſtinuit; hinc infelici opificio maledicens, ad alia ſe convertit. Circulator, quem Sopoles vocabant, Regiones varias pervagabatur ſub ſpecie medici, huic primo comitem ſe junxit Aetius; nactus deinde quemdam Armenum, ita ſimplicem, ut ſe artis medicæ peritiſſimum crederet, eum multo auro emunxit; tunc vero ſe publice ut Medicinæ Magiſtrum geſſit, Medicorum conventus frequentans, ubi opinionem, quam ſibi defendendam propoſuiſſet, firmis lateribus, & valido clamore propugna-

Philoſt. l. 3. c. 15. & ibi Val. Greg. Nyſ. lib. 1. cont. Eunom. p. 30. in append.

Sæculum IV. A. C. 347.

pugnabat; his dotibus illorum animos sibi devinciebat, quorum sententiam robusta voce, & imperturbabili audacia tuebatur.

Cum Aetio Galenus satis opum dedisse videretur, relicta medicina, ad Philosophiæ studium animum adjecit, nam homini Græco, cui nulla alia, quam patria lingua opus erat, si modo ingenio valeret, ad omnis generis scientias eniti licebat. Primum in Philosophiæ rudimentis Præceptorem audivit Paulinum, qui ab Episcopatu Tyriensi post S. Eustathii depositionem ad Antiochenum transiit; ipso ex humanis sublato post sex mensium spatium, Eulalius ejus Successor Aetium Antiochia expulit. Inde Anazarbam in Cilicia se conferens, statim cuidam Grammatico serviit, ejusque se Disciplinæ tradidit, tum in familiam Episcopi Anazarbani, nomine Athanasii, adlectus est, rursusque Tarsum profectus, diutius cum Presbytero Ariano, nomine Antonio, moratus est, qui se, sicut & Athanasius Anazarbanus, Discipulum S. Luciani jactabat; plerique enim primorum Arianorum, ut & ipse Arius, tanti Magistri Discipuli videri volebant. Aetius exinde rediit Antiochiam, Leontium Doctorem, tunc Presbyterum, auditurus; etiam Eustathii, Episcopi Sebasteni, circa illud tempus Antiochiæ degentis,

Basil. ep. 79. 82.

gentis, Discipulus fuit; cum vero linguam continere non posset, altera jam vice Antiochia ejectus, & in Ciliciam reversus, ibi adversus quemdam ex eorum numero, quos Borborios nominabant, erantque Gnosticorum deterrimi, crebro disputans, turpiter victus est, ita ut prope pudoris vehementia enecaretur; mox, solatium sibi in visione cœlesti suggestum, edixit, & tantum robur, ut ab hac die disputando esset invincibilis. Sæculum IV. A. C. 347.

Exinde in Ægyptum peregrinatus est, ut Alexandriæ Manichæorum Ducem, nomine Aphtonium, videret, cujus sapientiæ, & eloquentiæ apud omnes maxima erat opinio; hunc autem Aetius, disputando aggressus, paucis argumentationibus elinguem reddidit, qui devictus, ignominiam tam impotenter tulit, ut contracto morbo, septimo post die vivere desierit. Alexandriæ Aetius Dialecticæ incubuit, usus Magistro Sophista, Aristotelis Sectatore; unicus labor erat, Doctrinam Ecclesiæ de Verbo Divino in figuras Syllogisticas redigere, atque, a mane usque ad vesperam sedens, Theologiam in methodum geometricam cogere nitebatur. *Multum*, inquit Socrates Historicus: *Aristotelis Categoriis incumbebat, & forte sub isto nomine totam ejus Logicam accipit.* Subjungit Socrates; Aetio hujus operis Aristotelici finem, & propo- *Epiph. hær.* *Socr. l. II. b. 35.* *v. Aug. IV. Conf. c. 16.*

Sæculum IV. A. C. 347.

propositum non fuisse perspectum, quod nullum aliud fuisset, quam ut juvenes contra Sophistas, veram Philosophiam irridentes, exercitarentur, hinc Academici, Platonis Sectatores, hanc methodum Aristotelis damnabant. At Aetius, cum nunquam Magistrum ex Academicis audivisset, hac subtilitate extricare se non potuit, nec, quomodo generatio æterna sit possibilis, percipere. Parum scientiæ in eo erat, sed magna, quantam homo agrestis acquirere potest, disputandi exercitatio. S. Scripturam vix noverat, nec antiquos interpretes, quales sunt Clemens Alexandrinus, Africanus, Origenes legerat.

Cum tanta temeritate de natura Dei disputaret, populus ei cognomentum Athei imposuit; ipse vero affirmare non erubescebat, ita sibi Divinam naturam esse perspectam, ut se ipsum clarius non cognosceret; Locum illum Evangelii intelligens; vitam æternam esse cognoscere Deum, & JEsum Christum, totam Religionem in hac sola cognitione speculativa constituebat, nihili jejunia, nihili alia pietatis opera, & nequidem mandatorum Dei observationem faciens; cum aliquando non nemo, ipso præsente, quosdam vituperaret, cum mulieribus in peccata carnis lapsos, pios questus risu excipiens, ait, fornicationem esse de censu aliarum

Soz. l. II. c. 15. Epiph. hær. 76. n. 4. Joan. 17. 3.

aliarum corporis neceſſitatum, qualis etiam illa eſſet, ut quis auriculæ prurigi- Sæculum IV. A. C. 347.
nem ſcalpendo ſedaret. Cœterum Aetii Doctrina erat clariſſima Arii hæreſis, nec in alio differebat, quam quod ipſe Arianorum principio preſſius inſiſtens, omnia, quæ ex eo ſequerentur, aſſereret, & diceret, Verbum, non ſolum non eſſe æquale Patri, ſed nec etiam ſimile.

§. XLVIII.

Paulus, & Macarius in Africam miſſi.

Credibile eſt, poſt Concilium Sardicenſe Gratum Epiſcopum Carthaginenſem ab Imperatore Conſtante poſtulaſſe; turbatæ Eccleſiæ Africanæ pacem daret; quippe Imperator duos miſit haud modicæ auctoritatis viros Paulum, & Macarium, quibus quidem non aliud imperatum fuiſſe videbatur, quam ut in Africa pauperibus eleemoſinas diſtribuerent, & cujusvis Eccleſiæ inopes auxilio ſolarentur; at ſimul omnes Fideles, ut relicto Donatiſtarum ſchiſmate, ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem redirent, hortabantur. Donatiſtæ in vulgus ſpargebant; advenire Paulum, & Macarium, ut perſecutionem excitarent, ubi omnia ad Sanctum Sacrificium parata fuerint, effigiem exprompturos, & altari impoſituros; *Optat. L. 3.* *Ibid. ſub fin.*

Sæculum IV. A. C. 347.

turos; hinc Fideles dicebant: *Quicunque de hoc Sacrificio participaverit, erit, ac si Idolothyta comediſſet.* Ubi autem advenerunt, nihil tale factum, S. Sacrificium, ut ſolebat, peractum eſt, nihil additum, nihil demptum. Effigies, de qua hic mentio, Imperatoris fuiſſe putatur, nam ſub Imperatoribus Chriſtianis mos antiquus duravit, ut in Provincias afferrentur Imperatorum imagines, & populo honorandæ proponerentur, ſed ſine ſuperſtitionis admixtione, cum antea ſub Imperatoribus ethnicis eorum imagines adorarentur, iisque thus adoleretur, & offerrentur Sacrificia.

Baron. a. 348. n. 33. 1. in Cod. Theod. de imag. Imper. L. 15.

Optat. ibid.

Paulus, & Macarius Donatum Anti-Epiſcopum Carthaginenſem adeuntes, itineris ſui cauſam indicant, atque Imperatorem Eccleſiis ornamenta, & pauperibus pecuniam mittere. Verum eſt, quod pro Donato ſpeciatim nihil attulerint. Ipſe cum indignatione reſpondit: Quid Imperatori cum Eccleſia? Pluresque alias in Principem conjecit injurias, tum addidit, miſſas a ſe quaquaverſum Epiſtolas, quibus ea, quæ attuliſſent, in pauperes diſtribui vetuiſſet. Alter Donatus, Epiſcopus Schiſmaticus Bagaiæ, multo pejora illaturus erat; is, ubi Paulum, & Macarium urbi ſuæ appropinquare reſcivit, in omnia vicina oppida, & fora miſit, qui Circumcelliones convocarent,

Sup. L. II. §. 43.

carent, homines illos œstro percitos, cum armis per agros discurrentes, quorum vesaniam ipsi Donatistarum Episcopi sub Taurino Comite horruerant. Hos tunc Donatus Bagaianus in auxilium vocavit; Paulus, & Macarius, insanorum hominum furorem timentes, a Comite Silvestro militum manus, sibi præsidium, postulant, non ut cuiquam vim inferrent, sed repellerent, & pecuniam pauperum, sibi commissam, custodirent. Sæculum IV. A. C. 347.

Donatistæ magnam hominum multitudinem contraxere, quam ut alerent, Ecclesia pro domo frumentaria usi sunt; advenientes deinde, qui Silvestri militibus hospitia designarent, recipere abnuerunt; hi ad suas cohortes reversi, cum toleratas injurias narrarent, ita sociorum iram accenderunt, ut impetus a Ducibus cohiberi non potuerit. Itaque paratis utrinque armis, urbes tumultu fervebant; Episcopi Donatistæ cum suis Clericis fugere omnes, aliqui eorum interfecti, alii capti, & in remotas Regiones relegati. Quamvis autem hæc omnia nulla Episcoporum Catholicorum culpa acciderint, tamen plurimorum ex suis, tunc ad Ecclesiæ Catholicæ sinum redeuntium, reconciliationem non esse sinceram dictitabant, Macarium, & Paulum, ut Persecutores, omnes Catholicos, ut Paganos sugillabant, vocabantque Maca-

Sæculum IV. A. C. 347.

rianos. Quidam nomine Marculus e rupe præcipitem se dedit. Donatus Bagajanus in puteum se conjecit. Horum necem Persecutorum crudelitati adscripserunt, & suicidas in Martyrum cœtum retulerunt.

Aug. tract. II. in Joan. n. 15.

§. XLIX.

Primum Concilium Carthaginense.

Tom. II. Concil. p. 713.

Post Donatistarum Reconciliationem Gratus frequens Concilium ex omnibus Africæ Provinciis congregavit, quod primum Carthaginense dicitur, quia antiquissimum est, cujus Canones habeamus; cæterum plura ibi anteriora vidimus Concilia, præsertim sub S. Cypriano. Istud autem nec ante annum 348. nec serius, quam anno 349. celebratum fuisse potest. Initium dicendi fecit Gratus, agendo Numini gratias, quod suæ Ecclesiæ membra ad unitatem, & pacem rediissent; tum Episcopos invitat ad condendos Canones, conservandæ Disciplinæ necessarios, ita tamen ne nimio rigore unio charitatis dissolvatur. Quatuordecim Canones conditi sunt, quos Gratus, & alii Episcopi in medium attulere, & omnes juxta normam Concilii Sardicensis approbarunt. Primus vetat eos rebaptizari, qui semel in fide Trinitatis baptizati sunt. Hic erat Donatista-

tistarum principalis error, quod nullum crederent baptismum, si extra eorum Communionem fuisset collatus. Eorum abusus etiam sequenti Canoni ansam dedit, ne Martyrum Dignitas profanaretur, & tales neutiquam honore Martyribus debito colerentur, qui, animi impotes, præcipitio, aut quocunque alio mortis genere se ipsos peremerint, quibus pia Mater Ecclesia, imbecillitatis miserescens, sepulturam indulget; multo minus eorum memoriam esse honorandam, qui, desperatione, aut nequitia acti, parricidio in se ipsos sævierint. Sæculum IV. A. C. 348. *c.* 2.

Lex tot jam Conciliis lata renovatur, ne Clerici cum fœminis habitent, atque ad utriusque sexus homines extenditur, quicunque continentiam profitentur, etiam in viduitate viventes, ne cum altero sexu in una domo sint, aut omnino invisant. Prohibentur Clerici usuras pro pecunia mutua accipere, malum in Laicis etiam non ferendum, Prophetarum, & Evangelii Doctrinæ adversum. Clerici, ut docet S. Paulus, administrationem œconomicam, & negotia sæcularia non suscipiant, hinc familiarum Præpositi, Procuratores, & Tutores, si tutelam per se ipsos administrent, ordinari prohibentur, nisi postquam negotia omnia perfecerint, & administrationis reddiderint rationem, ne post suam ordina- *Can.* 3. *c.* 4. *c.* 13. *c.* 6. 2. *Tim.* 2. 4. *c.* 8.

Sæculum IV. A. C. 348.

tionem sint Ecclesiæ probrosi. Laici suæ negotiationi, aut rationariis Clericos non præficiant.

c. 9.

c. 10. Nullus Episcoporum alterius jurisdictionem turbet. Nullus alterius Clericum sine Episcopi sui litteris recipiat, aut apud se retineat, neque alterius Diœcesis Laicum sine Episcopi sui consensu ordinet. Ad hunc Canonem Gratus dixit: *Hæc regula ad conservandam pacem aptissima est; recordor, in Concilio Sardicensi fuisse prohibitum, ne quis alterius Diœcesis Clericos sollicitet.* Antigonus Episcopus Madaurensis contra alium Episcopum, nomine Optantium, querelam attulit; hi duo Diœceses suas communi consensu diviserant, & acta sua manu signaverant; nihilominus Optantius populum Antigoni invisebat, & sibi conciliabat. Tunc præcepit Concilium, ut amore pacis pacta observarentur. Ad Laicos quoque extensa est prohibitio, ne populus unius Diœcesis cum populo alterius communicaret absque Episcopi litteris, ut a fraudibus eorum præcaveretur, qui unius communionem fugientes in alterius communionem subrepebant.

Can. Sard. 18. *lat. c. Carth.* 12.

Can. 7.

c. 11. Statuitur, reprimendam Clericorum superbiam, qui suis Superioribus resistunt; ut autem sententia judicialiter contra eos lata valeat, certus Episcoporum numerus requiritur, contra Diaconum tres, contra

contra Presbyterum sex, & contra Episcopum duodecim. Singularis prorsus dispositio! Observatio horum Canonum Laicis sub pœna excommunicationis, Clericis sub pœna depositionis, prævia causæ cognitione, præcipitur. Sæculum IV. A. C. 349. c. 14.

§. L.

S. Athanasius revocatur.

Gregorius, Sedis Alexandrinæ usurpator, decem mensibus, postquam Stephanus Sede Antiochena pulsus est, id est initio anni 349. vivendi finem fecit. Tunc Constantius, cum nihil amplius esset, quo S. Athanasii reditus impediretur, fratris sui Imperatoris minas reformidans, Episcoporum Orientis mentem exquisivit; illi suaserunt, satius permitti posse, ut unus vir in suam Cathedram rediret, quam bellum civile experiri. Itaque Imperator Constantius humanissimas litteras ad Athanasium dedit, dicitque, se amice condolere malis ejus, quæ a patria exul passus esset, & subdit: *Credebam fore, ut ipse ad me venires, & tot malorum remedium quæreres; forte timor non siverit; hanc igitur tibi mitto Epistolam, ut diutius venire non tardes. Etiam Dominum meum, & fratrem Imperatorem Constantem rogavi, ut tibi veniendi licentiam concedat.* Interim

Athan. ad solit. p. 823. Pagi. 348. n. 2. Socr. II. hist. c. 23. Soz. III. c. 20. Philost. III. c. 12. Ap. Ath. Apol. 2. p. 769.

Sæculum IV. A. C. 349.

rim S. Athanasius cunctabatur, & Constantius alteram scripsit Epistolam, qua, facta vecturis publicis utendi potestate, sine timore ad Regiam venire hortatur. Misit etiam ad eum quemquam ex Presbyteris Alexandrinis, qui aulam sequebatur, & iterum Diaconum, nomine Architam, tertiam Epistolam ferentem; ista securitatem promittebat, & ut sine mora veniret, instabat; jussit præterea sex ex Comitibus suis ad eum scribere, quos Athanasio minime suspectos sciebat; hi annum jam abiisse integrum affirmabant, ex quo ab Imperatore exspectaretur, qui importunis etiam precibus permoveri non potuisset, ut Gregorio in Alexandrinam Sedem alium subrogari pateretur.

ad Solit. p. 823.

Apol. 1. p. 676.

Constantii litteræ S. Athanasio Aquilejæ, ubi in reditu a Concilio Sardicensi satis diu moratus est, redditæ sunt; postquam tertiam accepit Epistolam, omnia Dei Providentiæ committens, in Orientem redire statuit; prius tamen, ab Imperatore Constante vocatus ad eum profectus est in Galliam, id est, verosimiliter Mediolanum, quam urbem Cæsar insidere solebat in Gallia, a Romanis dicta cisalpina. Athanasius etiam Romam se contulit, ut S. Julio Papæ, & Ecclesiæ ejus valediceret; ubi summo gaudio exceptus est. Papa ad Ecclesiam Alexandri-

drinam Epistolam dedit affectu tenerri- Sæculum IV.
mo plenam, qua constantiam eorum in A. C. 349.
fide laudat, & charitatem, qua Episcopus eorum nunquam non eos complexus est, testatam facit; animo præcipit lætitiam publicam, ubi charissimum Patrem redeuntem excipient; in fine eas Alexandrinis precatur a cælo gratias, quas sua fide, & pietate merentur. Ubicunque Athanasius transibat, litteras pacis ab Episcopis accipiebat.

§. LI.

S. Athanasius Antiochiæ.

Tandem Antiochiam pervenit ad Im- 2. *Apol.* peratorem Constantium, qui, eum *p.* 772. *ad* benigno vultu excipiens, viva voce li- *solit. p.* 823. centiam confirmavit redeundi in Patriam suam, & Ecclesiæ Gubernaculum resumendi. Litteras etiam dedit, præter eas, quibus vias custodiri jusserat, ut secure iter posset conficere. Querebatur Athanasius, quod Imperator antehac decretis suis immeritum esset persecutus, rogans ne imposterum se absente inimicorum suorum obtrectationibus fidem haberet; *Jube, si placet, eos comparere,* inquiebat: *gratum mihi feceris, & ego tibi convictos reddam.* Noluit Imperator; ea tamen, quæ contra Athanasium scripta fuerant, deleri jussit, atque pro-

Sæculum IV. A. C. 349.

lixe pollicebatur, nullis deinceps contra eum calumniis aures daturum, imo ut oſtenderet, firmiſſime id ſibi propoſitum, jurejurando firmavit, Deum in teſtem invocans. Plura addidit, ut dubitantem erigeret. Plures commendatitias ſcripſit Epiſtolas ad Presbyteros, & Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ, quod de Ægypto intelligendum, quibus declarat, omnia ea, quæ contra Communicantes cum Athanaſio decreta fuiſſent, eſſe oblivioni danda; eos ipſos pro fidiſſimis ſubditis imposterum habendos, Clericos Athanaſii tributorum penſione fore exemptos, ſicut antea fuiſſent, ſaniorem Regni partem deinceps illam æſtimandam, quæ Athanaſio faveret. Altera Epiſtola ad populum Catholicum Alexandrinum directa eſt, quæ potiſſimum ad pacem hortatur, & indicat, Imperatorem ad judices ſcripſiſſe, ut ſeditioſi pro rigore legum punirentur. Duæ datæ ſunt Epiſtolæ ad Neſtorium Ægypti Præfectum, quarum prima etiam ad Prætores Provinciæ Auguſtamnicæ, Thebaidis, & Lybiæ miſſa eſt. Altera jubetur Neſtorius omnes Epiſtolas, quas in ſuis tabulariis invenerit, famam Athanaſii lædentes, ad Regiam mittere. Decurioni, nomine Euſebio, imperatum, hæc mandata effectui dare; is omnia acta, ut præceptum erat, ex tabula-

Apol. 2. p. 772.

ibid. p. 774. ad ſolit. p. 814.

Apol. 2. p. 774.

bulariis Ducis, & Præfecti Ægypti extraxit. Sæculum IV. A. C. 349.

Toto tempore, quo S. Athanasius Antiochiæ moratus est, cum Leontio non communicavit, devitans eum, ut hæreticum; Eustathianorum autem Comunioni se junxit, tunc purissimæ Catholicorum parti, adiitque eorum Conventus, quos in domibus privatorum agebant. Quadam die ad eum Imperator, *Vides*, inquit: *me omnia, quæ tibi promisi, servaturum, habeo autem & ego, quod gratiæ loco a te postulem; nempe ut ex tot Ecclesiis, quæ tibi subjiciuntur, unam indulgeas illis, qui tuæ Communionis non sunt.* Athanasius, *æquum est, Domine!* respondit: *ut tibi obediamus; at cum in hac urbe Antiochena multi communionem eorum fugiant, qui a nobis dissentiunt, pro illis eandem quoque gratiam effiagito, ut Ecclesiam habeant, ubi libere conveniant.* Æqua petere Imperatori visus est; at non Arianis eadem mens fuit, nam sibi in aures dicebant: *Nostram Doctrinam Alexandriæ, Athanasio ibi sedente, pauciſſimi sequentur; contra si patimur, ut Eustathiani Antiochiæ libere conventus agant, quanta sit eorum multitudo patebit, nec omnino tutum est hoc consilium. Præstat res nostras in præsenti statu relinqui.* Nempe Ariani, quamvis in sua potestate Ecclesias habe- *Soz. III. c. 20.*

Sæculum IV. A. C. 349.

rent, & magna populi Catholici pars cum ipsis in Ecclesia conveniret, non sine suo pudore videbant, Catholicos fidei suæ diversitatem palam profiteri in fine Psalmorum, dicentes: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. non autem cum Arianis Gloria Patri per Filium. Leontius quidem Catholicis resistere non audebat, at, quæ futura erant, prospiciebat, dictitare solitus, manu canos suos ostendens: *Postquam solutæ fuerint hæ nives, quam lutosa erit via*! Quibus verbis significare volebat, quantas turbas post mortem suam dissensio populi in fide esset excitatura. Ergo Imperator Athanasium ad sua remisit, nihil amplius ab ipso petens. Eodem tempore Marcellum Ancyranum, & Asclepam Gazensem ad suas Ecclesias remisit. Asclepas omnibus benevolentiæ signis exceptus est. Ancyræ autem, cum prius ejiciendus esset Basilius, maximi tumultus exstiterunt, & nova in Marcellum calumniandi occasio.

Sup. §. 45.

Socr. 23. *c.* 23. *Sozom. III. c.* 24.

§. LII.

Initia Apollinaris.

Philost. III. c. 12.

Sanctus Athanasius, in itinere versus Ægyptum constitutus, per omnes urbes Episcopos, qui a sana Doctrina, & voce consubstantialis deflexerant, reducere satagebat; a variis varie recipiebatur.

tur. Amici ejus sincere lætabantur, a- Sæculum IV.
lios pudor eorum, quæ fecerant, tene- A. C. 349.
bat, alios subibat pœnitentia, quod in tantum virum calamum strinxissent. Alii aliud, quam quod intus sentiebant, simulabant. Laodiceam in Syria adventantem excepit Apollinaris Lector, origine Alexandrinus. Parens ejus, Alexandriæ in lucem editus, cui idem, quod filio, nomen, primo Grammaticam Beryti docuerat, & deinde Laodiceæ, ubi, accepta uxore, hunc filium genuerat, qui & ipse humanis litteris instructus Rhetoricam docebat. Uterque inter Clericos erat, Pater Presbyter, & Filius Lector erat, illo tempore, quo Theodotus Georgii Prædecessor Sedem Laodicenam tenebat, jamque sub Georgio ejusdem urbis Episcopo. S. Athanasius conspectum juvenem ob pulcherrimas dotes singulari favore prosequi cœpit, nam optimum a natura acceptum ingenium litteris excoluerat. At hæc amicitia Georgio Episcopo Ariano displicuit, quod communionem cum Athanasio crimini verteret. Ergo Apollinarem probrose Ecclesia ejicit, insimulans, quod Canones violasset. Etiam veteris culpæ, quam Apollinaris pœnitentia jam deleverat, memoriam excitavit. Tempore Theodoti Episcopi docebat Laodiceæ Epiphanius Sophista Ethnicus celeberri-

Soxom. IV. c. 25. Socr. 2. c. 46.

mus,

Sæculum IV. A. C. 349.

mus, utrique Apollinari Patri, & Filio, qui se ei instituendum tradiderat, in paucis amicus. Hujus consortio abstinere, ne ad Idololatriam forte pertraherentur, ambos jusserat Episcopus, sed ipsi non ita, ut par erat, morem gerebant; quadam die Epiphanius hymnum in laudem Bachi pluribus aliis, & utroque Apollinari Patre, & filio audientibus recitavit; initio quidem, ut solebant Gentiles, dixerat, ut qui non essent initiati, & profani abessent, tunc autem nec duo Apollinares, nec Christianorum præsentium alius exiverunt. Ubi hæc ad Theodoti Episcopi aures delata, pessime factum dixit, & Laicis post lenem increpationem ignovit, at duos Apollinares publice reprehensos ab Ecclesiæ Communione separavit, quos tamen deinde in jejuniis, & lacrymis pœnitentes recepit. Igitur delictum exoletum, & cum Athanasio communionem juniori Apollinari Georgius objecit, ut eum ex Ecclesia pellendi prætextus esset.

§. LIII.

S. Athanasius Jerosolymæ. Inde Alexandriæ.

Apol. 2. p. 774. ad solit. p. 825.

Sanctus Athanasius emenso per Syriam itinere, in Palæstina adveniens, ab omni-

Sæculum IV. A. C. 349.

omnibus Episcopis amice exceptus est, si duos, tresve, Arianos demas, quales erant Acacius Cæsarienſis, & Patrophilus Scythopolitanus. Reliqui omnes cum eo communicarunt, excusantes, quod adversus eum scripserint, se enim, ut id facerent, vi coactos. Jerosolymam ad Concilium convenerunt, unde Epistolam Synodalem Athanasio faventem dedere ad Episcopos Ægypti, & Lybiæ, Presbyteros, Diaconos, & populum Alexandrinum, qua reditum dilecti sibi Episcopi gratulantur. Hortantur etiam, ut pro Imperatoribus orent; ex quo docemur, Constantem tunc necdum e vivis abiisse, & scriptum fuisse eodem anno 349. Huic Epistolæ subscripserant Episcopi sedecim, quorum primus est Maximus Jerosolymitanus illius Concilii Præses; & omnes, uno excepto, cui Macrinus nomen, Concilio Sardicensi interfuerant.

Tandem Pelusium primam Ægypti urbem attigit S. Athanasius, & per mediam Regionem Alexandriam tendens, in qualibet civitate incolas hortabatur; Arianos vitarent, iisque, qui Filium consubstantialem confiterentur, jungerentur. In quibusdam Ecclesiis ordinavit Clericos. Ubi Alexandriam ingressus est, omnium animos non populi modo, sed

Socrat. II. c. 24. Athan. ad solit. p. 825.

Sæculum IV. A. C. 349.

sed & Episcoporum Ægypti, & utriusque Lybiæ undique affluentium incredibili gaudio refecit. Veterem amicum præter omnem spem vivum, & valentem videre lætabantur, seque ipsos hæreticorum tyrannide liberatos. Omnes hominum ordines lætitia pervasit, in SS. Conventibus mutuo se ad virtutem animantium. Multæ puellæ, antea nupturæ, Virginitatem suam Jesu Christo consecrarunt. Juvenes, aliorum exemplo excitati vitam monasticam amplexi sunt. Patres ad suscipiendum institutum monasticum filiis Auctores erant, aut saltem eorum precibus flecti se sinebant, ne prohiberent. Conjuges alter alteri suadebant juxta Apostoli consilium orationi vacare. Populorum Charitas nutriendis, & vestiendis orphanis, & viduis exercebatur. Tanta erat æmulatio, ut quælibet domus Ecclesia orationi, & virtutum operibus destinata videretur. Hos effectus pia Christianorum lætitia tunc produxit. Ecclesiæ omnes profunda pace fruebantur, Episcopi omnes S. Athanasio scribebant, & ab eo vicissim Epistolas pacis pro more accipiebant. Alii, quod contra ipsum scripsissent, retractabant, plures ex inimicis ejus sincere in gratiam redibant. Non nulli nocturnis tenebris ad ipsum se conferebant, temporum calamitatem præ-

1. *Cor.* 7. 5.

Ad solit. p. 827.

prætexentes, quorum iniquitate Arianorum partibus fuissent impliciti, quorum hæresin detestabantur, seque interne in ejus communione semper perseverasse sancte affirmabant. Sæculum IV. A. C. 349.

§. LIV.

Ursacii, & Valentis retractatio.

Inter cœteras maxime notabilis est retractatio Ursacii, & Valentis, quam miserunt ad Concilium ex pluribus Provinciis hunc in finem congregatum, ut Photinum ab Episcopatu deponerent, duobus ante annis Mediolani, ut hæreticum, condemnatum. Hoc Concilium verosimiliter Romæ celebratum est, quippe Ursacius, & Valens ad Julium Papam scripserunt, rogantes, ut ad Ecclesiæ communionem reciperentur. Julius, consilio suorum exquisito, petitam concessit gratiam, quo magis in Ecclesiæ utilitatem Arianorum vires acciderentur; ea autem conditione patuit eis ad Ecclesiam reditus, ut S. Athanasii innocentiam agnoscerent; illi, quod jubebantur, fecerunt in hæc verba: *Beato Domino Julio Papæ Valens, & Ursacius salutem.* (*) *Cum*

Hilar. frag. p. 411. v. Pagi. an. 349 n. 4. 5. &c.

Athan. 2. Apol. p. 776. Hila. fragm. p. 411.

(*) Ursacius, & Valens Toti Ecclesiæ Catholicæ

Sæculum IV. A. C. 349.

Cum antehac plura ſcripſerimus, Epiſcopi Athanaſii famæ noxia, & acceptis hac de cauſa a Veſtra Sanctitate litteris, necdum facti hujus rationem reddiderimus, coram Veſtra Sanctitate, omnibus fratribus noſtris Presbyteris præſentibus, declaramus, omnia hactenus ad aures noſtras de hoc Epiſcopo delata, fuiſſe conficta, nec ulla attentione digna, hinc optimo corde communionem ipſius Athanaſii amplectimur, hoc etiam magis permoti, quod Veſtræ Sanctitatis Bonitas hunc errorem nobis remiſerit. Declaramus etiam hoc ſcripto, manu noſtra ſignato, quod anathematizemus, ſicut ſemper anathematizavimus, hæreſin Arii, & ejus Sectatorum, dicentium; tempus fuiſſe, quo Filius non extiterit, Sup. §. 43. *ex nihilo productum, & non fuiſſe ante ſæcula, ſicut in priori noſtro ſcripto, quod Mediolani tradidimus, confitemur.* Hæc manu Valentii ſcripta erant,

licæ ſe reconciliari crediderunt, ſi ab Pontifice Romano reciperentur. Ad talia Interpres Proteſtans animum advertere centies debuiſſet. Sed induratum eſt cor Pharaonis.

rant, & inferius manu Ursacii: *Ego Ursacius Episcopus huic fidei Professioni subscripsi.* Ex hoc scripto conjici potest, Ursacium, & Valentem in prima retractatione, Mediolani tradita, solum Arianismo renuntiasse, Romæ autem etiam, ut Athanasii innocentiam testatam facerent, coactos. Quidquid de hac re sit sentiendum, paulo post, cum essent Aquilejæ, ipsi Athanasio scripserunt in hunc modum: *Domino nostro, & fratri Athanasio Ursacius, & Valens: Occasione fratris nostri, Presbyteri Moysis, qui ad tuam charitatem proficiscitur, utimur, & te fraterno affectu ex urbe Aquileja salutamus, optantes, ut hanc Epistolam optima fruens sanitate accipias; fiduciam augebis, si tua etiam ex parte ad nos scribere volueris. Certus esto, quod tecum pacem, & communionem Ecclesiasticam habeamus. Divina Clementia te custodiat, chare frater!* Hæ duæ Epistolæ Ursacii, & Valentis S. Athanasio missæ sunt, a Paulino Episcopo Trevirensi, S. Maximini Successore. Ursacius & Valens exinde Epistolis pacificis sibi a duobus Presbyteris S. Athanasii Petro, & Irenæo cum quodam Laico Ammonio allatis subscripserunt,

Sæculum IV. A.C. 349.

2. *Apol. p. 775. ad solit. p. 826.*

Sæculum IV. A. C. 349.

quamvis his Presbyteris S. Athanasius nullas Epistolas nominatim ad eos ferendas dedisset. (*)

(*) Unser Protestant hat den zweyten Theil seiner Uebersetzung mit des Hadrian Baillet Abhandlung: Von den Geschichten der Martyrer, und Heiligen, und deren verschiedenen Sammlungen geschmücket. Wenn man diesem Vogel die fremden Federn ausreissen sollte, würde er sich mit Feigenblättern bedecken müssen. Allein er hat auch eigene Anmerkungen angehänget, in deren einer er auf der 639. Seite mit grosser Andacht hinschreibet: Und so würde er (Bailler) gefunden haben, daß die allermeisten Bekenner, und Martyrer der so genannten Protestanten in eben der Sache gelitten um welcher willen die wahrhaftigsten, und berühmtesten Martyrer der ersten christlichen Kirche verehrungswürdig worden sind. Wie diese (die ersten Christen) sich lieber den grausamsten Martern unterwarfen, als den Götzen der Heiden opferten, oder Weihrauch streueten, so haben auch jene (die Protestantischen) deßwegen alle Arten der Quaal lieber erlitten, als vor denen (nämlich den Heiligen, so man in der römischen Kirche verehret) die Knie gebeuget, die ohne Verletzung der Ehre JEsu Christi nicht angebetet werden konnten.

Diese anmuthige Betrachtung unsers Protestanten ist gut hingeschrieben für die alten Weiber

von

Sæculum IV. A. C. 349.

von seiner Kirche, denn ein vernünftiger Protestant glaubet es nicht. Was er vorgiebet, gründet sich, wie alle Beschuldigungen wider die Katholicken, auf eine Unwahrheit; nämlich, daß die Ehre, so wir den Heiligen GOttes erweisen, eine Abgötterey sey und eben so viel, als wenn wir vor den Götzen der Heiden die Knie beugeten. Das glauben kaum die allerdummesten unter den Protestanten. Die Ehre, die man den Heiligen erweiset, wird JEsu Christo selbst erwiesen. Die Beschuldigung unsers Protestanten wider uns verhält sich gerad so, als wenn ich sagte, es hätte sich jemand des Lasters der beleidigten Majestät gegen den König in Preussen schuldig gemacht; Warum? Weil er, da er zur Audienz gelassen wurde, in dem Vorzimmer vor einem königlichen Minister den Hut gerücket, eine Reverenz gemachet, und ihn gebeten, die Supplication so er in willens war, dem Könige in die Hände zu geben, mit seiner Fürbitt zu unterstützen.

Endlich kömmt ein kläglicher Seufzer unsers Protestanten: Wer weiß, ob dem Worte GOttes unter dem Heidenthum so viel Schmach widerfahren, als in dem Pabsthum; wenigstens ist das, was von diesem geschehen, weit abscheulicher, als was wir von jenem lesen, und die Martyrer der Protestanten haben GOtt nicht besser ehren können, als daß sie über seinem Worte gehalten, und lieber ihr Leben, als sein Wort verleugnet. Es ist gut daß er keinen solchen Martyrer nennet; und ich

Sæculum IV. A. C. 349.

weiß auch keinen. Man hat in der römischen Kirche niemal gelehret, daß man die Ketzer ohne andere Umstände, und wenn sie sich ruhig halten, sollte ums Leben bringen, und Martyrer, wie sie unser Protestant nennet, daraus machen, aber das weiß ich wohl, daß Luther an dem vergossenen Blut vieler tausend Bauren Ursach zu seyn nicht ohne Grund beschuldiget werde. Henricus Octavus, nachdem er von der Lehre, und der Sanftmuth der römischen Kirche abgewichen, hat in England die Lutheraner mit Feuer und Schwerdt vertilgen lassen.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XIII.

S. JULIUS, PAPA. CONSTANTIUS, & CONSTANS, IMPERATORES.

§. I.

Mors Constantis. Magnentius. Vetranio. Nepotianus Imperatores.

Saeculum IV. A. C. 350.

Inter hæc in Gallia contra Imperatorem Constantem seditio erupit. Querebantur factiosi, nimiam a Cæsare fidem Barbaris adhiberi; crudelem esse, & Præfecturas plus licitantibus conferre. Conjuratorum Principes erant Chrestius, Marcellinus, & Magnentius. Hi Augustodunum convenerant, ubi iis Marcellinus ærarii Præfectus, & pluribus copiarum

Zosim. l. 2. p. 369. Victor. ep.

Sæculum IV. A. C. 350.

rum Ducibus lautissimum convivium ad natalem filii sui diem instruxerat, Imperatore Constante interim venatui indulgente. Hæc agebantur decimo quinto Calendas Februarii sub Consulatu Sergii, & Nigriani, id est, decima octava Januarii, anno JEsu Christi 350. in multum noctis commessatio processerat, cum Magnentius, quasi urgente corporis necessitate, triclinio excessit, mox rediens Imperiali indutus purpura, ab omnibus Augustus salutatur. Hæc ubi Constanti nuntiata, ad Pyrenæos fugam dirigit, quem, jubente Magnentio, Gaïson Eloronæ assecutus, vita privat, cum regnasset ab obitu Patris sui Constantini Magni annis tredecim, & annis ferme viginti novem vixisset. Hoc nuntio ad Vetranionem, in Pannonia militibus imperantem, perlato, prima Martii Sirmii Augustum se dici jubet. Nepotianus, ex Eutropia Magni Constantini Sorore genitus, tertia Junii Romæ Purpuram assumit, natalium jure sibi debitam, cui autem, præter insolentem gladiatorum catervam, obediebat nemo. Tres isti Anticæsares Religione Christiani erant.

Idac. fast. an. 350.

Magnentius Imperator.

Vetranio Imperator.

Nepotianus Imperator.

§. II.

Obsidio Nisibitana. S. Jacobus.

Constantius Imperator tunc Edessæ erat,

erat, bellum in Persas gerens, at com- Sæculum IV.
perta Magnentii seditione, copias ver- A. C. 350.
sus Occidentem ducere cœpit. Sapor *Philost. III.*
Rex Persarum, tempore opportuno uten- *b. 22. Jul.*
dum ratus, Nisibin Mesopotamiæ urbem, *orat. 1. Pagi*
fortissimum in his finibus Imperii muni- *350. n. 5.*
mentum, secundo obsidet. Instructissi- *Theod. II.*
mum peditum, equitumque habebat *hist. c. 30. &*
exercitum, Elephanti quoque vires au- *Philoth. c. 1.*
gebant. Quatuor menses in hac obsidio- *Philostorg.*
ne consumpti. Urbs vallo circumdata *III. c. 23.*
est, erectæ turres, machinæ omnes, qua- *Chr. Pasch.*
rum illa tempestate in obsidendis urbi- *an. 350.*
bus usus erat, adhibitæ, sed irrito conatu.
Tandem post septuaginta dierum laborem
Sapor Mydonis fluvii, qui urbem inter-
fluebat, cursum, haud modico, ante-
quam mœnia subeat, intervallo, elevato
aggere inhibet, quem deinde, ubi ejus
altitudinem fluctus æquarunt, perfodi
jussit; tum vero aquæ, collecto impetu
insilientes, diruto mœnium latere, la-
tissimum aditum aperuere; magnis cla-
moribus Persæ lætitiam testabantur, ag-
gressionem tamen in alteram diem distu-
lerunt, quia necdum inundantes aquæ ac-
cessum permittebant. Sequenti luce op-
pugnationem parantes ingens stupor in-
vasit, cum post primi ruinam murum no-
vum editum cernerent. Nempe S. Ja-
cobus hujus urbis Episcopus, virtute, & *Sup. l. XI.*
miraculis celeberrimus, præsidiariis, & ci- *§. 2.*

Sæculum IV. A. C. 350.

vibus animum indiderat, ut quam promptissime opus perficerent, ipse interea in Ecclesia orationi intentus.

Ipse Rex Sapor propius accedens, hominem regio vestitu, in muro stantem, conspicere credebat, cujus Purpura, & Diadema mirum fulgorem, spargebat hunc ergo Romanorum Imperatorem esse nullatenus dubitans, mortis pœnam illis minitabatur, qui ipsum Nisibi abesse referentes, mendacio sibi illusissent, at, suis iterato affirmantibus, Constantium hoc temporis existere Antiochiæ, intellexit demum, quid sibi visio vellet, & Deum pro Romanis pugnare; tunc ira in rabiem versa, pilum, quod manibus tenebat, quasi injuriam vindicaturus, in cœlum excussit; hoc viso Ephrem Diaconus, & S. Jacobi Discipulus Magistrum rogabat, ut murum conscenderet, Persas aspiceret, & malediceret; S. Episcopus in turrim evadit, & conspecta infinita multitudine, nihil mali imprecatus est, nisi quod Dominum rogaret, ut immensam suam potentiam per pusillas animantes ostenderet, & culices immitteret; dixit; simul densæ muscarum nubes in hostes irruunt, elephantorum proboscidem involant, equorum, aliorumque animalium nares penetrant; hæc vero in furorem agi, frœna disrumpere, & strata, turbare ordines, qua data vita profugere. Sapor

L. III. c. 23.

por Dei manum agnoscere coactus, soluta obsidione, indecore recessit. Philostorgius Arianus, quem, S. Jacobo Nisibitano plus justo faviſſe, nemo suspicabitur, hujus miraculi testem in sua historia agit. Vir Sanctus haud diu post, Imperante Constantio, ex humanis abiit, jubente Cæsare in urbe Nisibi, ut jam ante Constantinus Pater ejus præceperat, terræ mandatus, ut ejusdem civitatis esset Patronus, quippe alias quemquam intra mœnia civitatis sepelire nefas erat. S. Jacobus magnum librorum numerum Syriace, nempe patria sua lingua, scriptorum post se reliquit, maximam partem moralium. Viginti sex omnino numerabantur volumina. Inter alia Chronicum visebatur, quod quidem non ita curiositati legentium, sicut illud Græcorum, serviebat, at soliditate præstabat; hoc S. Scripturæ textibus constabat, & eos confundebat, qui frivole de Anti-Christo philosophari amant, & de ultimo Domini nostri adventu disputare.

Sæculum IV. A. C. 350.

Gennad. Catalog. n. 1.

§. III.

Vetranionis Depositio.

Imperator Constantius omnibus, quæ ad defensionem urbium Syriæ spectabant, dispositis, ante initium mensis Junii Antiochia profectus, in Magnentium movit.

Theod. III. c. 3.

Sæculum IV. A. C. 350.

Ubi copiæ confluxerant, omnibus, qui necdum Baptismum recepissent, suasit, ut sine dilatione baptizarentur; plurima imminere militantibus pericula; ii autem, qui baptizari nollent, Marti valedicerent, & domum se conferrent. Ipse tamen Constantius non prius quam post undecim exinde annos, & in mortis articulo baptizatus est. Forte hinc est, quod illis nomen Paganorum datum sit, qui cingulum solvere, quam Christianos fieri maluerunt, nam Paganus latine talem significabat, qui arma non gereret, & opponebatur militi; inde hæc vox ad significandos universim Infideles extendi potuit; forte etiam Pagani dicti sunt infideles a voce pagus, ex quo nos vocabulum *païs* derivavimus, quia paganorum, seu hominum in agris viventium obstinatio omnium ultimo Idololatriæ superstitionibus abstrahi potuit. Magnentius Legatos misit ad Constantium, & Vetranionem, ad quem Constantius quoque amicitiæ specie delegaverat, ne sibi cum duobus simul bellandum esset.

Zosim. 2. p. 694. Victor de Cæsar. & in epit. Eutrop.

Vetranioni satius visum Constantii amicitiam ambiri, cui Constantius utpote Seni, rudi, simplici, & vix satis mentis compoti, quæcunque voluit, facile persuasit. In Pannonia vires junxerunt; Constantius unacum Vetranione suggestum conscendens perorare ad milites cœpit,

cœpit, & quanta olim de ipsis Magnus Constantinus meritus esset, in memoriam reducere, sacramentum, quo se obstrinxissent, filiis ejus obedientiam præstituros, Magnentii perfidiam, & indignam Constantis necem; tandem eorum fidem obtestabatur, ne viri fortes tantum facinus sinerent impunitum, sed se in colligenda fratris hæreditate adjutum vellent. Quamvis solum Magnentium nominasset, tamen milites, quorum fidem jam prius sibi comparaverat, eadem de Vetranione sentienda putarunt; vox una conclamantium fuit; tollendos omnes istos Pseudo-Cæsares, Soli Constantio obediendum. Tum Augustum, & Imperatorem proclamant, nullam Vetranionis mentionem facientes. Miser senex, omnium ope destitutum se videns, dimissa Purpura, de tribunali descendit, & ad Constantii pedes accidit, qui non solum vitam ei servavit, sed mensæ quoque adhibuit; tum Prusium in Bithyniam dimisit, assignatis, quibus laute viveret, bonis, quippe ei bona fide defectionis crimen ignoverat. Vetranio sua ex parte fidem servavit, & quiete reliquum vitæ tempus consumpsit. Cum esset Christianus in Conventibus Fidelium assidue comparebat, largas dabat eleemosinas, Ecclesiæ Ministris honorem habebat. Sæpe ad Constantium litteras dabat,

Sæculum IV. A. C. 350.

Chr. Pasch. an. 350. *p.* 292.

Sæculum IV. A. C. 350.

dabat, quibus pro bonis, ab eo acceptis, gratias agebat, suadebatque, ut sibi ipsi eadem daret, negotiorum turbis renuntians. Vetranio depositus est vigesima quinta Decembris anno 350 postquam 10 Mensibus regnasset.

Socrat. II. c. 28 Soz. IV. c. 4.

§. IV.

Gallus Cæsar.

Interim Magnentius Nepotiani metu se liberaverat, quem missus adversus eum Marcellinus non levi pugna devicerat. Occisus est Nepotianus, & avulsum a corpore caput hastæ impositum in urbe Roma circumlatum. Viginti octo non plures dies regnaverat a tertia Junii, usque ad primam Julii anno 350. Mortem ejus ingens persecutio secuta est; Eutropia Mater ejus, cum aliis altioris conditionis hominibus, neci data. Itaque ad initium anni 351. nemo nisi Magnentius supererat, qui de Imperio cum Constantio dimicaret. Antequam Constantius contra eum cum exercitu iter susciperet, familiæ suæ bono, & Provinciarum Orientalium adversus infestos Persas securitati provisum esse voluit; cumque careret prole mascula, Patruelem suum Gallum, Julii Constantii filium elegit, & decima quinta Martii 351. Cæsarem dixit, eique sororem suam Constantiam, Anniballiani

Zosim. l. 2. p. 644. Victor. epit. Eutrop.

Athan. 1. apol. p. 617.

A. C. 351.

balliani viduam, uxorem dedit. Gallus annum vitæ agebat vigesimum quintum, quem etiam Constantium nominari, non nunquam legitur, hoc nomine ei ab Imperatore impositio. Cæsaris Potestate auctum Antiochiam dimisit; ibi Gallus S. Babylæ reliquias in suburbium, a Daphne dictum, transferri jussit, ut locum a superstitiosa turpitudine, & impudicitiis ibi committi solitis, purgaret. Ex hoc nulla amplius oracula, quæ templi & Apollinis famam celeberrimam fecerant, reddita.

Sæculum IV. A. C. 351.

Sozom. V. hist. c. 19.

§. V.

Crux prodigiose apparens.

Circa idem tempus, quo Gallus Antiochiam venit, grande prodigium in Oriente visum. Crux fulgens supra Civitatem Jerosolymam in Cœlo apparuit, a monte Calvariæ usque ad montem olivarum per quindecim stadia, quæ prope tres partes unius leucæ conficiunt, extensa, latitudo crucis longitudini par erat; non tenues radii, quales Cometæ esse solent, sed densissima fulgidæ lucis collectio conspiciebatur. Hoc Phænomenum clarissima die circa horam nonam matutinam septima Maji, hujus anni 351 visum, omnes Jerosolymæ habitatores perterruit; relictis foris, domibus, & quidquid operis in manibus erat, ad Eccle-

Socr. II. c. 28.

Soz. IV. c. 5.

Sæculum IV. A. C. 351.

Ecclesiam decurrebant cum uxoribus, & infantibus; omnes JEsum Christum laudare, & Divinitatem ejus publice confiteri. Rei novitas brevi per orbem a peregrinis ex omni Mundi Regione nullo non tempore Jerosolymam confluentibus, ut orarent, & loca Sancta visitarent sparsa est. (*) Hoc prodigio conspecto, magnus Paganorum, & Judæorum numerus in Christum credidit. (*) Hæc

(*) En antiquitatem piarum Peregrinationum contra Protestantes, qui eas absolute rejiciunt.

Anonymus I. ad hunc locum dicit: *Ecce Exemplum antiquissimum piarum peregrinationum, quibus Fleurius in alio loco non favet.* Inde saltem hoc sequitur, quod Fleurius etiam illa quæ sibi non placent, sine necessitate sicut sunt, referat. Ita moderate pro more suo Anonymus I. At vero Anonymus II. in Proloquio ad suas observationes dicit; Fleurium esse Auctorem, qui nobis tanquam Monstrum exhibet Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Dominam, Eosque, qui huic Ecclesiæ per aliquot Sæcula præfuere, tanquam pessimorum affectuum omnium, qui Humanitatem inquinant, mancipia. An his verbis sua constet veritas Lectorum, præsertim illorum, qui totam Fleurii Historiam legerunt, judicium esto. Certe nullibi quam in Fleurio fusius per omnia Sæcula SS. Pontificum facta, Virtutes, Zelus, Prudentia, exantlati pro Ecclesia labores, Doctrina, libri editi, Laudes, & Encomia leguntur. Nihil unquam, quod laudabile, &

Hæc multis referentibus Imperator Constantius audivit, & S. Cyrillus Episcopus Jerosolymitanus, qui novissime S. Maximo successerat, epistolam scripsit, quam habemus, ubi miraculum narrat in hunc modum: *Constantini, Patris tui, felicis memo-* Sæculum IV. A. C. 351.

& notatu dignum, ullus SS. Pontificum gessit, quod Fleurius in sua Historia omiserit. In quibusdam Sæculis, aliquorum vitia non tacentur, quæ tam ante, quam post Fleurium in mille libris occurrunt. Ubi deinde sermo est de Peregrinationibus, & Bellis Cruciatis, Anonymus II. eorum incommoda tam in Spiritualibus, quam in temporalibus a Fleurio adducta refert quidem, pag. 64. sed non refutat, nisi adjecta Ironia, quæ nihil probat. Quod autem attinet ad peregrinationes privatorum, quæ nostra ætate ad Ecclesias ob Christi Domini, vel Beatissimæ Virginis Simulacra, Beneficiis collatis clara, celebres suscipi solent, sunt quidem in se piissimæ, & omnium Sæculorum exemplis approbatæ, nihilominus inter cætera Christianorum bona opera magis periculosa, nisi magna circumspectio adhibeatur. Divitibus cavendum ne ejusmodi Profectio magis commoditati, & voluptati serviat, quam Religioni. Viris quibusdam attendendum, ne per nimium potum unacum pecunia totum pii itineris Meritum absorbeant. Tandem diligenti cautione opus est, ut puellæ peregrinantes, præsertim pauperes, ea integritate corporis, & animæ, qua egressæ sunt, ad domum paternam revertantur.

Sæculum IV. A. C. 351.

memoriæ temporibus ſalutare lignum Crucis Jeroſolymæ inventum eſt; te autem imperante non jam a terra, ſed a Cœlo ſigna veniunt; ecce enim his Sanctis Pentecoſtes diebus, Nonis Maji, circa horam tertiam Crux maximæ molis, & materia ſplendidiſſimæ ſupra Sanctum Golgotha apparuit, totum Cæli ſpatium ab hoc monte usque ad montem olivarum occupans, non uni vel alteri incolarum noſtrorum, ſed univerſo civitatis populo conſpicua. Phænomenum tranſiens, quod ſuſpicari pronum eſſet, non fuit, quod pluribus horis ſubſtitit coram omnium oculis, ſolis lumen ſuo fulgore ſuperans, haud dubie obſcurandum, niſi Sole fortius fuiſſet. Illico omnis populus in Eccleſiam advolavit, mixta pavori lætitia, juvenes, & ſenes, viri fœmineque, & puellæ, quas alias modeſtia domo exire prohibebat; Chriſtiani quoque indigenæ, & peregrini, atque diverſis e locis advenæ Pagani ad ſpectaculum prodiere. Omnes unanimiter Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum laudabant, qui tanta patraret miracula, propriis oculis veritatem Chriſtianæ fidei videntes, cui Cælum ipſum teſtimonium redderet. Quos hic S. Cyrillus dies Pentecoſtes vocat, nemo illa feſta eſſe credat, quæ hodie diem Pentecoſtes ſequuntur, ſed ſtylo veteri dies præcedentes, nempe quinquaginta temporis Paſchalis dies.

Sub

Sub finem votum adjungit, ut Imperator Sanctæ, & consubstantiali Trinitati in æternum gloriam det; ex quo colligitur S. Cyrillum fidei Nicænæ sinceriſſime adhæsiſſe, quamvis Acacii Cæsarienſis amicitiam coleret, a quo Episcopus fuerat ordinatus. Sæculum IV. A. C. 351.

§. VI.

Concilium Sirmienſe. Photinus depoſitus.

Imperator post Vetranionis abdicationem in Pannonia remansit, ubi misso adversus Magnentium exercitu, quid de Belli eventu fortuna statuisset, exspectabat. Eodem anno illuc Concilium convocavit, nempe 355. post Sergii, & Nigriani Consulatum, nam per Belli civilis tumultus non fuere Consules, quorum in toto imperio valuisset auctoritas, hinc a Consulatu priorum hic annus designari debuit. Hoc Concilium ex multis Orientalibus Episcopis, qui Imperatorem comitati fuerant, constabat; præcipui fuere Narcissus Neroniadenus, Theodorus Heracleensis, Basilius Ancyranus, Eudoxius Germanicienſis, Demophilus Bereensis, Cecropius Nicomedienſis, Silvanus Tarsensis, Macedonius Mopsuestanus, & Marcus Arethusanus. Ursacius, & Valens quoque aderant, & universim viginti duo Episcopi. Conveniendi causa erat de- *Socr. II. c. 28. 29.*

Sæculum IV. A. C. 351.

ponendus Photinus Episcopus Sirmiensis, qui licet sæpius ab Episcopis Occidentis damnatus, Sedem suam obtinebat; ergo ab Orientalibus quoque damnatur, & deponitur, quod Doctrinam Sabellii, & Pauli Samosateni teneret, atque hæc sententia, justitiæ congrua, ab omnibus est approbata Fidelibus.

Hilar. frag. p. 412.

Socrat. II. c. 30. Hilar. de Synod. p. 339. Athan. de Synod. p. 900. v. Pagi an. 351. n. 12.

At non æque nova fidei formula, Græce scripta, Ecclesiæ approbationem meruit; hæc primo fidei explicationem continet satis longam, deinde adversus varios errores Arianorum, nempe qui publice Arii Doctrinam profiterentur, Sabellianistarum, & Photinianistarum vigesies septies anathema pronuntiatur. Quæ formula non tam in se mala est, quam eorumdem Episcoporum approbatione suspecta, qui in Concilio Sardicensi depositi fuerant; non dicit Filium esse consubstantialem Patri, nec etiam similem, sed expresse: *Filium Patri non æqualem facimus, sed ipsi subjectum concipimus.* (*)

Sozom. I. c. 6.

Ana-

(*) Ad hæc Anonymus I. concedo hanc formulam positive, & in se non esse malam, sed mala est, prout ipsam excerpit Fleurius eam in hunc sensum cogens: *Nous n'egalons pas le Fils au Pere, mais nous conçevons, qu'il lui est soumis.* De verbo ad verbum; *non æqualem facimus Filium Patri, sed concipimus, ipsi esse subjectum.* Addit

Anathema dicit illis, qui credunt non fuisse Filium, qui Abrahamo apparuit, & qui cum Jacob luctatus est. Multi ex veteribus credidere, Filium Dei ex tunc cœpisse ad homines mitti; id vero Photinus negabat, quia fateri nolebat, fuisse Deo Filium, antequam ex Maria nasceretur. Cœterum Ariani affirmando id, quod negabat Photinus, nihilominus errabant, quod ex eo probare vellent, solum Patrem esse natura invisibilem, & incomprehensibilem. At S. Augustinus exinde luculenter probavit, ejusmodi apparitiones Angelis fuisse commissas, sæpe non esse causam, cur apparitio uni potius ex Divinis Personis attribuatur, quam alteri, & in illis eventibus ipsam Trinitatem se hominibus manifestasse.

Sæculum IV. A. C. 351.

Anath. 17. *Anath.* 15. 16.

de Trin. lib. II. c. 9. 10. *&c.*

Dicta formula ab omnibus Concilii Episcopis approbata, Photino persuadere conabantur, ut subscriberet, promittentes, ea conditione in Sedem suam restituendum; ipse rejecta con-

Addit deinde Anonymus I. hanc Sententiam ex translatione Latina Socratis reddendam fuisse in hunc modum: *Non enim Filium in eodem gradu locamus cum Patre, sed subjectum Patri facimus.* Dicitque, hanc Subjectionem de subjectione Originis esse accipiendam. Bene! sed Lectori judicandum relinquo, an non eadem interpretatio, & sensus in verba Fleurii cadant?

Socr. Hist. L. II. c. 30.

Sæculum IV. A. C. 351.

ditione, populi sui, a quo amabatur, favori confidens, apud Imperatorem queritur, se injuste condemnatum. Obtinuit, ut novum colloquium instituere-tur, in quo Doctrina ejus examen subiret. Basilius Ancyranus disputandi cum eo provinciam in se suscepit præsentibus Episcopis, & octo ab Imperatore ex Senatorio ordine viris delegatis; hos inter erat Thalassius, cujus apud Imperatorem maxima erat auctoritas, missus hoc anno cum Gallo Cæsare, ut in Oriente Prætorii Præfecti munere fungeretur. Disputationum verba, prout pronuntiabantur, a scriptoribus excepta, in notas redigebantur; tria confecta exemplaria, quorum unum obsignatum ad Imperatorem missum, alterum etiam clausum Comitibus, seu Senatoribus traditum, tertium Basilio, & Concilio datum. Acriter disputatum est, & devicto Photino, damnationis sententia confirmata. Eum Imperator proscripsit, fuitque reliquo vitæ tempore exul, non autem otiosus, quippe ad suam hæresin stabiliendam contra omnes cœteras opus composuit; græce, & latine scripsit, nam, quamvis in Oriente natus esset, latinam non ignorabat. In ejus Episcopatum Sirmiensem Germinius ex Cyzico advena, & Arianus suffectus est.

Epih. hær. 71. n. 1.

Zosim. l. 2. p. 698.

v. Val. ad Socrat. II. c. 30.

Athan. ad solit. p. 860.

orat. 1. in Arian. pag. 292.

§. VII.

§. VII.

Sæculum IV. A. C. 351.

Magnentius Murſæ devictus.

Magnentius cum Galliæ, & Italiæ viribus, ſuperatis alpibus, in Illyricum, & Pannoniam proceſſerat, ubi tandem ejus copiæ Conſtantii exercitum oculis uſurparunt; ergo in apertiſſimo campo prope urbem Murſam ad Dravum fluvium, ubi hodie pons Eſſecenſis viſitur, pro Imperio Mundi decertatur. Conſtantio non viſum, ſe ipſum tanto periculo exponendum, ſed interim in Eccleſia S. Martyris extra urbem ſubſtitit, & Valentem ipſius urbis Murſæ Epiſcopum, celebratiſſimum Arianum, in ſolatium adhibuit; is, ut erat ſolertiſſimus, ita inter ſervulos mandata diſtribuerat, ut, quænam eſſet pugnæ fortuna, diligentiſſime moneretur, bonæ ſortis nuntius inter omnes primus Imperatori futurus, ſyn contraria ſtatuiſſent fata, matura fuga ſe periculo ſubtracturus. Dum igitur Imperator cum pauciſſimis, quos apud ſe retinuerat, ob pugnæ exitum anxia exſpectatione ſuſpenditur, intrat Valens bonæ rei nuntius, victos hoſtes terga vertere; & jubenti Conſtantio, ut rei tantæ nuntium introduceret, reſpondit, victoriam ſibi ab Angelo revelatam; craſſiſſimum mendacium apud credulum Imperatorem fidem invenit, qui ſæpius abhinc dicere

Zoſim. l. 2. p. 699. Sulp. Sev. hiſt. l. 2.

Sæculum IV. A. C 351.

auditus est, se hanc victoriam magis Valentis Episcopi apud Deum meritis, quam militum suorum robori in acceptis referre. Per hanc fraudem haud modice Arianorum crevit potentia. Ad Mursam pugnatum est vigesima octava Septembris hujus anni 351. completa victoria multo sanguine stetit. Magnentius alpes repetens, in Galliam fugit, ubi secundo etiam prœlio victus, Lugduni suo se gladio jugulavit, post annorum trium, & medii Regnum, annum agens vitæ fere me quinquagesimum. Decentius ejus frater, quem Cæsarem creaverat, fato ejus comperto, laqueo sibi gulam fregit; Hæc autem omnia demum mense Augusto A. 353. facta sunt.

Idac. fast.

Aurel. epist.

Idac. fast.

Pagi 353. *n.* 3.

§. VIII.

S. Pauli Constantinopolitani Martyrium.

Prospera armorum fors Arianorum animos ita inflavit, ut persecutionem in Episcopos Catholicos restaurare ausi sint, quam Constantis auctoritas ante repressérat. Ursacius, & Valens ad vomitum rediere, palam, licet falso affirmantes, coactos se ad retractandum, idque Constantem Imperatorem adhibita vi a se extorsisse.

Athan. ad solit. p. 828. *Sup. l. XII. n.* 18. *Theod. II. hist. c.* 5. *Socrat. II. c.* 26.

Primo

Primo omnium in S. Paulum Constantinopolitanum tempestas incubuit. Ex eo tempore, quo a Constantio Imperatore anno 342 pulsus fuerat, sive Constantis favore fretus, sive alterius auxilio, Constantinopolim redierat, ibique mansit tempore Concilii Sardicensis, quo illum proficisci populus, Episcopi sui amans, & insidias inimicorum ejus sciens, non permisit. Nunc autem Constantius, Antiochiæ existens, Philippo Prætorii Præfecto, Arianorum fautori, mandavit, Paulo Ecclesia depulso, Macedonium induceret. Philippus timens, ne seditio moveretur, arte utendum credidit; clam habuit Cæsaris litteras, tum subiti negotii specie ad Thermas, quas Zeuxippes vocabant, se contulit primus, unde misit ad Paulum, qui humane rogarent, ad Dominum eorum causa urgente veniret. Illico Paulus advenit, cui Præfectus Imperatoris mandatum exhibet, Episcopus, quamvis sine causæ cognitione esset damnatus, promittit, se imperata facturum; interim, ut suspicax est populus, jam ingens multitudo balneum publicum circumdederat, hinc Philippi jussu, perruptis unius fenestræ cancellis, Paulus in Palatium transiit, unde præparato navigio impositus, quam promptissime poterat, in exilium abductus est. Sæculum IV. Ex A. C. 351.

Sæculum IV. A. C. 351.

Interea Philippus, thermis egressus, recta versus Ecclesia vehebatur, habens in curru suo Macedonium, qui antea nemini visus, subito conspiciebatur. Pone subibant milites nudatis ensibus. Omnis populus, Catholici simul, & Ariani ad Ecclesiam concurrunt, in ea occupanda partem adversam præversuri. Dum appropinquant Ecclesiæ, omnes, ne militibus quidem exceptis, fatalis timor incessit; tantusque erat concursus, ut Præfecto, & Macedonio omnis aditus præcluderetur; milites propellere proximos cœpere, at populus condensatus loco cedere non poterat, tum milites obstinationi & consilio Macedonium cum Præfecto ab Ecclesia arcendi tribuentes, quod necessitatis erat, gladiis, quos tenebant, nudatis percutere cœperunt, ita factum, ut, si narrantibus fides, ultra tria hominum millia partim ferro, partim in tumultu suffocati interirent. Talis fuit Macedonii in Ecclesiam Constantinopolitanam ingressus.

Athan. ad solit. p. 813. 814. *Id. apol. p.* 703. *Theod. II. c.* 5.

Paulus Episcopus catenis ferreis vinctus primo Singaram in Mesopotamia, inde Emesum, & tandem Cucusam in desertis montis Tauri Cappadociæ, & Armeniæ confinibus translatus est, ibi eum inimici loco angusto, & obscuro inclusum sine omni ope humana relinquunt, credentes, haud dubie fame moriturum; sed

sed post sex dierum spatium, cum adhuc spirantem inveniissent, strangulant, spargunt que in vulgus, Paulum ex morbo decessisse. Philagrius Præfecti Prætorii Vicarius, qui tunc temporis ibi locorum morabatur, magnus Arianorum amicus, dolens forte, quod aliena potius, quam sua crudelitate occidisset, rem istam, ut peracta erat, multis narravit. Et S. Athanasius ab ipsis Arianis id se audivisse testatur. Ecclesia Latina S. Paulum Constantinopolitanum ut Martyrem honorat 7. Junii. Ecclesia Græca, ut Confessorem sexta Novembris. Obiit ad initium hujus anni 351. Philippum Præfectum, exilii ejus Auctorem, Divina ultio presso pede secuta est; nam, antequam integer annus volveretur, probrose officio privatus ad sortem privatorum recidit, tum patria ejectus, percussorem suum in horas exspectans miserrime periit.

Sæculum IV. A. C 351.

Martyr. 7. Junii. Menol. 6. Nov.

§. IX.

In Sanctum Athanasium calumniæ.

At neminem Catholicorum, ut S. Athanasium, tam pertinaci odio prosequebantur Ariani; eum in Ecclesia sua quiete agentem, & ultra quadringentis Episcopis communione junctum videbant; Papa, tota Italia, Sicilia cum aliis Insulis, tota Africa, Gallia, Magna Britannia,

Athan. ad solit p. 827.

Sæculum IV. A. C. 351.

Hiſpania, & magnus Oſius; Pannonia, Dalmatia, Dacia, Macedonia, Græcia, major pars Palæſtinæ, tota Ægyptus, & Lybia pacem, & unionem Eccleſiaſticam cum ipſo ſervabant. Hæc, inquam, videntes Ariani invidia rumpebantur, timore quoque, ne hæreſis eorum ubique devicta, & proſcripta jaceret, vehementer agitabantur. Factionis Principes tunc erant Leontius Antiochenus, Gregorius Laodicenus, Acacius Cæſarienſis in Palæſtina, Theodorus Heracleenſis, Narciſſus Neroniadenus, omnes in Concilio Sardicenſi depoſiti, cujus ſententia eos confuſione oppleverat. Simul ergo omnes Imperatorem adeunt, & hunc in modum perorant: *Nuper nullam apud te fidem invenimus; dicebamus equidem, quando Athanaſium revocare ſtatuiſti, hunc virum revocando, nihil aliud te agere, quam Doctrinam noſtram exilio damnare. Huic Doctrinæ a principio infeſtus, eam anathematizare non deſinit. Epiſtolis contra nos ſcriptis mundum implevit. Plerique Epiſcopi cum ipſo communicant. Aliquos eorum, qui nobiscum ſentire videbantur, in ſuas partes pertraxit, cæteros propediem habebit, & ſoli erimus. Reliquum eſt, quod futurum non immerito timemus, ut nos, & tu quoque Cæſar! nobiscum, hæretici dicamur, & Manichæorum pœnas ſubire cogamur.*

His

His rationum momentis graviora addebant, ad ipsum Constantium spectantia; *Athanasius iste*, inquiebant: *jurgiorum inter te, & Imperatorem Constantem fratrem tuum occasionem dedit, nihil propius fuit, quam ut Imperatores fratres bello civili implicaret. Bis in conspectum Constantis admissus, bis de te male locutus est. Tandem Magnentii amicus fuit, ad quem dedit epistolam, cujus exemplum habemus. Te praeterito, Ecclesiam, cujus Gregorius fundamenta jecerat, Alexandriæ dedicavit, Ecclesiam tuo imperio, & sumptibus ædificatam.* His dictis Constantii animum accenderunt, cumque tum, cum in Magnentium moveret, multitudinem Episcoporum, cum Athanasio communicantium, vidisset suis oculis, alienum ab eo animum induit. Nihil epistolæ, favoris plenæ, ad eum datæ, nihil promissa oretenus facta, & juramento confirmata, dum eum suæ Ecclesiæ reddidit, profuere; sed fixum mente stetit, caput quieti non dare, donec effeciisset, ut, ab Episcopis Occidentis damnatus, denuo Ecclesia Alexandrina pelleretur. Tantum Arianorum perfidia in Principis animum potuit!

Sæculum IV. A. C. 351.

Apol. I. p. 677.

§. X.

Sæculum IV. A C. 352.

§. X.

Liberius Papa. Concilium Arelatense.

Lib. Pont. Sup. L. XI. §. 58.

Ut Athanasium prosternerent Ariani, primo ad Liberium Papam conversi sunt. Is Julio successerat, qui collectus erat ad Patres suos 12. Aprilis, Imperatore Constantio quinto, & Cæsare Constantio Gallo Consulibus, id est, anno 352. S. Sedem annis quindecim, duobus mensibus, & sex diebus tenuerat. De ejus scriptis nihil habemus nisi duas Epistolas, de quibus mentionem fecimus, nempe illam longiorem ad Eusebianos, alteram in reditu S. Athanasii ad Ecclesiam Alexandrinam. Unum vel alterum post mensem Liberius invitus electus est, cum prius muneri suo in Ministerio inferiori magna humilitate functus esset. Episcopi Orientales ad eum scripserunt, S. Athanasium accusantes, utque ipsum sua Communione arceret, persuadere nitebantur. Liberius eorum Epistolam legit in Concilio Episcoporum, qui ex Italia convenerant, at etiam aliam Epistolam septuaginta quinque Episcoporum Ægypti pro S. Athanasio prælegit. Inde factum, ut cum Concilium majorem Episcoporum numerum pro Athanasio stantem videret, divinæ se Legi repugnaturum crediderit, si Orientalibus assentiretur.

Epist. 2. Liberii ap. Hilar. fragm. p. 456. & ap. Lucif. & to. 2. Con. p. 745.

retur. Hanc Concilii sententiam Liberius Arianis rescripsit, &, eodem Concilio approbante, ad Imperatoris Constantii aulam misit, Vincentium Episcopum Capuanum, & quosdam alios, Cæsarem rogaturos, ut Concilium Aquilejam convocaret, quod jam pridem sibi propositum habuerat. Vincentius Capuanus idem esse creditur, qui ante viginti octo annos in Concilio Nicæno nomine S. Silvestri Papæ præsederat. Concilium actum est Arelate in Galliis, quo se Imperator post devictum, & peremptum Magnentium contulit, ibique a mense Octobri anni 353. usque ad tempus vernale anni sequentis mansit.

Sæculum IV. A. C. 352.

Ep. 1. T. 2. Conc. p. 744.

Amm. XIV. c. 5. Pagi. 353. n. 5.

Mense Majo anni ejusdem Constantius, cum esset Constantinopoli, decretum pro Clericis ediderat, quo aliqua disponebantur, ut populi quotidie fidem amplectentes, facilius in Cœtus coirent. In hoc Edicto primo Clericos eximit a censu ob possessionem fundorum fisco pendendo; secundo indulget exemptionem ab oneribus servilibus, qualia erant farinam, panem, carbones ad Regiam suppeditare, eo modo, quo aulæ Proceres exempti erant. Tertio liberantur a tributo lustrali, quod a mercatoribus exigebatur, & tandem ab illa servitute, qua alii equos publicos, currusque subministrare tenebantur; hæc exemptio ad

L. 10. Cod. Theod. de ep. l. 13. 14.

de extraord. Th. l. XI.

Sæculum IV. A. C. 353.

ad eorum uxores, liberos, mancipia extenditur, nam plerique Clericorum minorum uxores habebant, pluresque mercatores erant, vel artifices. At certum

l. 5. Cod. Th. de pag. Ath. ap. 1. 678.

est (sunt verba Edicti) lucrum, quod ex mercatura faciunt, in utilitatem pauperum cedere. Sub finem ejusdem anni Constantius aliquam quoque Legem tulit, qua Sacrificia nocturna prohibebantur, a Magnentio permissa, qui, ut ut esset Christianus, fiduciam in Magos, & incantatores contra Legem Dei posuerat. Suggerentibus Arianis, alia præterea

Sever. Sulp. hist. l. 2. p. 406 Varior.

has lex promulgata, qua ad exilium damnabantur, omnes, qui Athanasii condemnationi non subscriberent.

Cum scirent Ariani, Occidentales in damnationem Athanasii nunquam consensisse, hoc ipsum ante omnia in Concilio Arelatensi petiere. Legati SS. Pontificis, nempe Vincentius Capuanus, & Marcellus alterius urbis Episcopus in Campania dicebant, de negotio fidei prius tractandum, quam de causa alicujus privati, & omnium primo Arii hæresin condemnandam; atque omnium Ecclesiarum perturbationem dolentes, eo usque permoveri se passi sunt, ut scripto etiam promitterent, se hac conditione impleta in Athanasii damnationem consensuros; super hac propositione conveniunt, deliberant, & Orientales re-

Epist. Lib. ad Const.

spon-

spondent, se Arii Doctrinam damnare non posse, sed excommunicandum esse Athanasium; nempe hoc totum erat, quod desiderabant. Tandem Vincentius Capuanus Arianorum vi, & ærumnis fractus in damnationem Athanasii consensit. Econtra S. Paulini Episcopi Trevirensis virilis duravit constantia, nec moveri potuit, ut subscriberet, declarans, sibi quidem damnationem Photini, & Marcelli, non vero Athanasii ratam esse. Ergo in exilium pulsus, in Phrygiam ad Montanistas relegatur; sæpius exilii locum mutare coactus, post annos quinque anno 358. beato fine quievit. (*)

Sæculum IV. A. C. 353.

Athan. Apol. p. 692. Lib. Marc. & Faust. p. 28. Sev. Sulp. ibid. Athan. p. 692. Hilar. in Const. p. 691. Hieron. Chr. 359.

§. XI.

(*) Interpres Protestans Partem tertiam suæ Versionis ornavit Dissertatione valde prolixa: Von den Ränken und Bosheiten der Arianer. Nunc autem, ubi agitur de Liberii Papæ fragilitate, fragmentum Epistolæ, quam Eusebiani, id est, Ariani, ad Julium Papam dedisse, dicuntur, quæ vero ad manus Liberii Successoris ejus devenit, ipsi absque omni dubio authenticum est. Dicit parte III. pag. 15. Es haben zwar *Baronius*, und andre Papisten dafür gehalten, daß dieser Brief von den *Eusebianern* geschmiedet, und untergeschoben worden; allein ihre Gründe haben den *critischen* Augen noch kein Genügen geleistet. Denn daß

Sæculum IV.
A. C. 353.

§. XI.

Epistola Imperatoris ad S. Athanasium ferente Montano.

Soz. IV. c. 9. Athan. 1. Apol. p 686.

Sanctus Athanasius Imperatoris animum novis calumniis in se irritatum scie-bat, cumque, se ipsum ad Regiam con-ferre, tutum non videretur, selectos E-piscopos quinque, & tres Presbyteros illuc delegavit, qui Imperatorem miti-garent, calumnias diluerent, & omnia, quæcunque Ecclesiæ suæ, & sibi expedi-re crederent, facerent. At Ariani Im-peratori persuaserunt, Athanasium per Epistolam petiisse, ut sibi in Italiam, ad præparanda tot malis Ecclesiæ remedia, venire liceret. Imperator ad eum re-misit Palatii Ministrum, qui Montanus vocabatur, cum Epistola, qua licentiam veniendi concedebat, & vecturis publi-cis utendi. S. Athanasius dari sibi li-centiam, quam non petierat, vehemen-ter

---

daß *Athanasius* dem römischen Stuhle dieses nachtheilige Verhalten nie vorgerücket, das ist ein Zeichen seiner Bescheidenheit ꝛc. Jam non amplius recordatur homo iste technarum, & malitiæ Arianorum, sed etiam Diis omnibus invitis Cardinalis Baronii Adversarius audire vult. Et adversatur sæpe, scilicet sicut Thersites Achilli.

ter mirabatur, & quia Epistola licentiam veniendi, non imperium continebat, in Ecclesia sua sibi manendum credidit, omnibus tamen ad iter paratis, si proficisci juberetur. Tunc viginti sex menses effluxere, quibus, de iis, quæ agerentur, audivit nihil. Verosimile est, inimicos ejus hac arte usos, ut eum ex urbe Alexandria extraherent, quo facilius, ipso absente, suæ factionis Episcopum immitterent; nihilominus eum emanendo Imperatoris jussa contempsisse calumniabantur. Inter Episcopos, a S. Athanasio missos, erat Serapion Thmovitanus, qui ante Episcopatum Monachus fuerat, & multorum Monachorum Rector sicut etiam Ammon, qui unus ex quinque delegatis fuisse creditur. Jam tum enim plures SS. Monachi ad Episcopatum evecti fuerant, & S. Athanasius septem tales in Epistola sua ad Dracontium numerat; hæc vero non immerito ad ista tempora referri potest.

Sæculum IV. A. C. 353.

inf. XIV. 26. epist. ad Ser. p. 672. Ep. ad Drac. p. 957.

§. XII.

Epistola S. Athanasii ad Dracontium.

Dracontius Monachus erat Presbyter, & cujusdam Monasterii Abbas. In Episcopum Hermopolitanum prope Alexandriam omnium, etiam Paganorum

P. 945. to. 1.

Sæculum IV. A. C. 353.

consensu electus est. At post ordinationem suam auffugit, & se abscondit, nolens tantum onus in se suscipere, a quibusdam, quorum consilio utebatur, in hoc proposito firmatus. S. Athanasius, cui Dracontius inter paucos erat amicus, ei scripsit Epistolam, cujus initium in hunc modum sonat: *Quid tibi scribam, vix habeo. An, quod Episcopatum recuses, conquerar? aut quod, serviens tempori, metu Judæorum latebras quaras? Quidquid autem illud sit, quod ad fugam te moveat, Charissime Draconti! justa contra te accusatio est. Non tibi fugiendum erat, post acceptam gratiam,* (*) *nec aliis malæ rei exemplum dandum, vir prudens cum sis. Felicissima & mirabilis animorum concordia, qua tui electionem commendavit, necessario tua fuga solvetur; hæc Ecclesia pluribus in prædam cedet, quibus vero? nempe talibus, qui irreprehensibiles non sunt, quos perbene novisti. Gentiles, qui fidem se suscepturos promisissent, in infidelitate*

(*) Hic S. Athanasii testimonium habemus contra Protestantes, Ordinem esse Sacramentum; nam valde incongrue loqueretur, si Ordinationem Dracontii, quæ esset Beneficium pure humanum, absolute per vocem: Gratia, vellet indicare.

litate perseverabunt, postquam gratiam, quæ tibi data est, a te contemni, viderint. Quam excusationem afferes? quale tantis malis remedium? Charissime Draconti! afflictionem parasti nobis, cum gaudium, & solatium a te exspectaremus. An nescis, ante tuam ordinationem te tibi vixisse, jam vero te totum populo tuo deberi? populus iste escam, & Doctrinam S. Scripturæ a te exposcit; si te solum pascis, quando Dominus Noster JEsus Christus ad judicandos nos venerit, quid respondebis interroganti, cur oves ejus fame emori, cum debuisses, non probibueris?

At pericula terrent; ubi ergo, digna Episcopo, animi constantia? in periculis profecto zeli nostri, & piæ audaciæ specimen dare oportet, quantum amemus JEsum Christum! an tibi Ecclesiarum dispositio displicet? aut credis Ministerium Episcopale mercede sua carituram? injuriam Salvatori, potestatis Episcopalis Auctori, faceret, qui ita crederet; procul ista a Dracontii mente! quod Dominus per Apostolos suos ordinavit, bonum est, & solidum, & in æternum stabit, fratrum autem vecordia cessabit. Si omnibus in abdicando Episcopatu idem sensus, ac tibi, fuisset, quomodo ad Christianam fidem pervenisses sine Episcopo? & si posteri nostri eodem mo-

Sæculum IV. A. C. 353.

do fugerent Episcopatum, quomodo Ecclesiæ subsistere possent? an forte, qui hujus consilii tibi auctores sunt, nullam te accepisse gratiam credunt, eo quod eam contemnant? ergo eadem ratione credere deberent, gratiam Baptismi irritam pro nihilo esse, qui eam spernerent? an

1. Tim. 4. 14. *non legisti, quæ dicat Apostolus? Noli negligere gratiam,* (*) *quæ in te est. Cogita! utrius exemplum consiliarii tui sequi tibi suadeant, an illius, qui vacillabat,*

Luc. 9. 60. 61. *& volens JEsum Christum sequi, differebat, & deliberans amore parentum*

Gal. 1. 16. *retinebatur? Aut beati Pauli, qui statim illa hora, qua sibi Ministerium collatum est, non acquievit carni, & sanguini?*

(*) His verbis præcedenti Notæ plena lux affunditur. Certe inepte hic Gratia Baptismi cum Gratia Ordinationis conferretur, nisi Ordinatio quoque esset Sacramentum. Deinde manifestum est, S. Athanasium S. Pauli verba de Gratia Sacramentali Ordinis intelligere, & explicare. Quid ad hæc Interpres noster Protestans, qui de Traditionibus Catholicorum loquens quibus etiam Sacramentum Ordinis accenset, eas non modo S. Scripturæ testimonio destitutas, sed etiam Verbo Dei adversas audacter mentitur? At ipse S. Athanasio doctior est, & S. Paulum aliter explicat, nullius Ecclesiæ testimonio, nam nusquam adducit, sed unius cerebri sui auctoritate subnixus.

quini? Nam, quamvis dicat: Non sum dignus vocari Apostolus, tamen sciens, quid receperit, & a quo, inquit: Væ mihi! nisi Christum prædicavero. Econtra dum prædicat, illi, quos instruit, sunt gaudium, & corona ejus. Prædicandi ardor eum usque in Illyricum deduxit, non gravatur ire Romam, & in Hispaniam proficisci, ut merces ejus cum labore crescat. 1. Cor. 15. 9. Ibid. 9. 16.

An forte consiliarii tui ideo tibi fugam, & latebras suadent, quod juraveris, te post ordinationem velle latere, & existimant pietatis esse, quod facis? At vera pietas est, Deum timere, qui tibi hoc onus imposuit, nisi forte Jeremiam quoque, & Magnum Moysem damnare audeant, qui cum a Deo mitterentur, accepta Prophetiæ gratia, primo quidem recusarunt, at deinde obedientiæ exemplum dederunt. Etsi tibi esset vox exilis, & lingua impedita, etsi tibi ipsi ætas juvenilis tanto oneri impar videretur, tamen eum time, qui te formavit, & qui antequam te formaret, noverat te. Etsi, te non accepturum, promisisses, quod promissum inter Sanctos juramenti vim habere debet, lege Jeremiam, qui, postquam dixisset: Non loquar ultra in Nomine Domini, cessit ignis æstuantis stimulis, quibus intus se agi sentiebat, & dimisso imprudenti proposito, usque in finem Jerem. 5. 6. Exod. 4. 10. S. Athanasii Epistola. Jerem. 20. 9.

Sæculum IV. A. C. 353.

Prophetæ officio functus est. An nescis, quæ Jonæ Prophetæ acciderint, dum fugit a facie Domini? Et post hæc nihilominus prædicaverit? melius novit nos Deus, quam nosmetipsi nos, & scit, quibus Ecclesias suas committat. Qui indignus est, non vitam præteritam, sed vocationem suam ad Ministerium intueatur, ne priora peccata odiosa Deo socordia cumulet. Etsi vere debiles essent vires tuæ, nihilominus Ecclesiæ cura tibi suscipienda est, ne eam inimici, Pastore destitutam, devastent. Ne nos deseras solos in acie, veni ad nos, qui tui amantes sumus, & ea, quæ secundum S. Scripturam sunt, tibi suademus!

Nunquid tu solus es inter Monachos, qui fueris Episcopus ordinatus? Aut solus, qui Monasterium, fratribus charissimus Pater, rexeris? Scis Serapionem Monachum esse, & quantæ Monachorum multitudini præpositus fuerit; non ignoras, quot Monachorum Pater Apollos fuerit; noti sunt tibi Agathus, & Ariston; Ammonii recordaris, qui cum Serapione peregrinatus est. Forte de Movita in superiori Thebaide aliqua audieris; potuit ad te referri de Paulo, qui in oppido Latos est, & pluribus aliis. Hi omnes ordinationem non recusarunt, nec ideo pejores facti sunt, econtra laborum suorum mercedem sperant. Perpende! quot

Sæculum IV. A. C. 353.

quot Sancti hi Monachi, & Episcopi Idolatras converterint, quot homines a Diabolicis ritibus abstractos ad Christi Sacra adduxerint, quot antea Dæmonum mancipia inter Dei servos adscripserint; quot puellis virginitatis, quot juvenibus continentiæ amorem feliciter persuaserint! Noli ergo illis credere, qui tibi dicunt, Episcopatum peccandi occasionem esse; poteris, quamvis Episcopus sis, si volueris, cum Paulo Apostolo famem, & sitim pati, & cum Timotheo abstinere vino. Novimus Episcopos jejunantes, & Monachos manducantes; Episcopos nunquam vinum bibentes, & Monachos bibentes; Episcopos habentes donum miraculorum, & Monachos non habentes. Multi Episcopi nunquam uxorem duxerunt, & multi Monachi liberos genuerunt. Vicissim dantur Episcopi, qui filios procrearunt, & Monachi, qui perfectam servarunt continentiam. De cætero scimus, esse Clericos, qui famem tolerant, & Monachos, qui jejunant; non enim propter locum, sed propter opera coronabimur. Appropera venire, nam Sancta instat festivitas. Quis te absente diem Paschatis populo annuntiabit? Quis docebit, quem in modum digne celebranda sit? Festivitas, quam dicit esse proximam, videtur fuisse Epiphania, quando pro antiquo more ejusdem anni dies Paschalis annuntiabatur.

Sæculum IV. A. C. 353.

§. XIII.

Apologia major S. Athanasii.

Circa idem tempus S. Athanasius suam illam Apologiam majorem scripsit, quæ pro secunda haberi solebat, & omnia innocentiæ ejus argumenta continet. Ad amicos suos eam direxit, atque duo potissimum sibi probanda proposuit, primo causam suam nulli amplius examini fuisse subjiciendam, postquam in Conciliis Alexandrino, Romano, & Sardicensi solemniter fuerat judicata, & Conciliorum sententia per retractationem Ursacii, & Valentis confirmata; secundo sententiam, pro se latam, quoad substantiam solide in rei veritate, & causæ æquitate fuisse fundatam. Propria S. Athanasii verba non nisi in brevi Præfatione, & Epilogo leguntur, totum autem Apologiæ corpus documentis ad ejus defensionem servientibus juxta divisionem, modo dictam, constabat. Nempe primo suæ defensionis historiam refert, incipiens a Concilio Alexandrino anno 334. & concludens in retractatione Ursacii, & Valentis anno 349. deinde ostendit, eos, a quibus fuisset absolutus, nec humano favore, nec timore fuisse turbatos, sed solo justitiæ amore permotos. Hunc in finem omnes calumnias in se confictas ab initio memorat, nempe conjurationem

p. 722.

p. 777.

nem Arianorum cum Meletianis ſtatim poſt ſuam ad Epiſcopatum Electionem tum cauſam Iſchyræ, & Arſenii, Acta Concilii Tyrienſis, delegationem in Mareotidem, & ſuam relegationem Treviros, tandem Epiſtolam Conſtantini junioris, ſe ab exilio revocantis, addit. Quæ in fine de Liberii, & Oſii lapſu dicuntur, ſerius adjuncta videntur, nam ex totius Apologiæ contextu apparet, ſcriptam fuiſſe, antequam Urſacius, & Valens a ſua retractatione reſiliiſſent, aut ſaltem antequam de eorum repetita perfidia S. Athanaſius reſciviſſet. Sæculum IV. A. C. 353.

§. XIV.

Liberius vult Concilium celebrari.

Ubi Liberio Papæ relatum, quam imbecilliter Vincentius Capuanus, ejus in Concilio Arelatenſi Legatus, Arianis ceſſiſſet, maximo dolore tactus eſt. De hac afflictione ſua ita in Epiſtola ad Oſium: *Magnam ſpem in Vincentio poſueram, quod ſcirem, hanc cauſam ipſi eſſe plene perſpectam, cujus tecum jam ſæpius judex fuiſſet; at non ſolum profecit nihil, ſed & ipſe ignaviter diſſimulavit non ferenda. Multiplici dolore torqueor; hoc autem apud me ſtatui, potius pro Deo mori, quam ſententiam iniquam meo calculo approbare.* Vult dicere, quod *Fragm. ep. ap. Baron. an. 353. n. 19. & in frag. Hilar. p. 426.*

Sæculum IV. A. C. 354.

calumniarum in S. Athanasium particeps esse nolit. Scripsit quoque hac super re ad Cæcilianum Episcopum Spoletanum, exhortans, ne ex Vincentii exemplo scandalum accipiat. Dum Liberius his angustiis premitur, videns aliis etiam Italiæ Episcopis vim inferri, ut sententiæ Orientalium serviliter se subjicerent, opportune ad eum venit Lucifer; is erat Episcopus Calaritanus, Sardiniæ, & vicinarum Insularum Metropolitanus, quem jam tunc rerum terrenarum contemptus, litterarum amor, vitæ integritas, & in fide constantia in Ecclesia illustrem fecerant. Huic Arianorum fraudes erant exploratissimæ, sciebatque, hæreticos condemnandi Athanasii specie fidei Catholicæ ruinam moliri. Se ipsum ad Regiam profecturum, & Imperatori, quid rei subesset, accurate manifestaturum ultro promittebat, quo obtineret, ut cum Imperatoris consensu in celebrando Concilio quæcunque dubia essent, legitime tractarentur.

Athan. ap. 1. p. 703. Libel. Fausti. & Marc. p. 28.

Athan. ad solit. p. 836.

epist. ad Const.

Gratum accidit Liberio, quod Lucifer iter suscipere ad aulam vellet, addiditque socios Presbyterum nomine Eutropium, seu Pancratium, & Diaconum, nomine Hilarium cum litteris ad Imperatorem, reverentia quidem, sed & vigore plenis; in his memorat, sibi, quando Concilium a Constantio petiisset, mentem

mentem non fuisse, ut in eo solius Athanasii causa agitaretur, sed plura alia; præprimis autem causam fidei tractandam fuisse. Accusationem refellit, quasi litteras Orientalium suppressisset, quibus Athanasius reus esse probabatur; dicitque, lectas a se fuisse in pleno Concilio, iis autem fidem habere non potuisse, cum iisdem testimonium septuaginta quinque Episcoporum Ægypti refragaretur. Dicit deinde: *Orientales declarant, quod velint in pace, & communione nobiscum vivere; at, quæso te, Auguste! qualis pax, quæ communio inter nos & ipsos? cum ex parte eorum stent, & communicent Episcopi quatuor Demophilus, Macedonius, Eudoxius, & Martyrius, qui ante octo annos Mediolani, cum opinionem hæreticam Arii condemnare nollent, fastidiose Concilio excessere?* Hic videmus hanc Epistolam fuisse scriptam anno 354. nam Concilium, de quo loquitur, est primum Mediolanense, actum anno 346. In hac quoque Epistola Liberius refert, quod nuperrime in Concilio Arelatensi contigerat; ubi, Legatis suis quantumcunque instantibus, Orientales Arii hæresin condemnare recusassent. Idcirco Imperatorem obsecrat, ut omnia iterum in Concilio Episcoporum sollicite examinari jubeat, in quo fides Nicæna pro fundamento reliquo-

Sæculum IV. A. C. 354.

Liberius Papa.

Sup. l. XII. §. 29.

Sæculum IV. A. C. 354.

liquorum omnium ponatur; tandem rogat; Luciferum, Pancratium, & Hilarium a se missos, benigne audiat.

Epist. 3. ad Euseb.

Papa simul scripsit ad Eusebium Episcopum Vercellensem, atque ideo aulæ, quæ tunc Mediolani erat, vicinum; erat in Sardinia ortus, inde ei cum Lucifero Calaritano necessitudo nasci potuerat. Patriam, & quietem, qua inter suos frui licuisset, reliquit. Romæ in Lectorem ordinatus est. Inde Vercellas venit, ubi tantam sibi populi æstimationem peperit, ut, cum Sedes vacasset, præteritis indigenis, ipse præponeretur. Omni populo Eusebium postulante, Episcopi elegerunt. Is primus est hujus Ecclesiæ Episcopus, cujus nomen sciamus; primus etiam in Occidente fuit, qui vitam Clericalem Monasticæ conjunxit, cum ipse, & sub ejus auspicio Clerici ejus, in urbe vitam ducerent, ab illa, quam Monachi in desertis agerent, haud multum absimilem, in jejuniis, frequenti diurna, nocturnaque oratione, lectione, & labore manuum, a mulierum societate remoti, alter alterius tentationes, & lapsum præcaventes; jam tunc eorum Communitas, Monasterium dicebatur, ex qua sancta schola plures Episcopi illustres prodiere. Ipse S. Eusebius hac vitæ austeritate, ad Christianam fortitudinem informabatur, qua sequenti tempore

Hier. Script.

Ambros. ad Vercell. ep. 63. n. 68.

66.

n. 71.

tempore persecutiones tulit. Quia igitur zelus ejus, & cum Lucifero amicitia Liberio Papæ cognita erat, scripsit ad eum, rogans, ut, si fieri posset, se Lucifero jungeret; meliorem mentem circa res fidei Imperatori indere conarentur, iracundiam ejus moderarentur, & ad procurandam Ecclesiarum pacem permoverent. Necdum hac Epistola satis pacis curam Eusebio esse mandatam ratus, scripsit & alteram, postquam jam legati ejus profecti fuerant, preces repetens, ut juncta opera eos juvaret in defensione Ecclesiæ, & absentis, quem contra jus omne condemnare volebant, nempe S. Athanasii. Eusebius amicissime Legatos excepit, rescripsitque ad Liberium, qui, data tertia Epistola, gratias egit, etiam atque etiam exhortans, pro Ecclesiæ causa laboraret, & convocandum Concilium curaret. Liberius etiam ad Fortunatianum Episcopum Aquilejensem scripserat, credens eum magis bonorum æternorum spe, quam timore hominum moveri; rogabat ergo, ut cum Legatis suis causam communem ageret, & præsentia sua, si id peterent, firmaret. Fortunatianus erat natione Afer, & in Evangelia Commentarios stilo brevi, & rustico scripsit. Spei bonæ, quam de eo Liberius Papa conceperat, sequentibus non respondit.

Sæculum IV. A. C. 354.

Epist. 5.

Ibid. Ep. 5.

Hier. Scrip.

§. XV.

Sæculum IV.
A. C. 354.

§. XV.

Galli Cæsaris exitus.

Socr. II. c. 33. Sozom. IV. c. 7. Hier. Chr. an. 353. Victor. Cæsar. Philostorg. III. c. 28. & IV. c. 1.

Dum in Occidente omnes Concilium cogitant, Judæi in Oriente, seditione commota, res novas moliuntur. Diocæsareæ in Palæstina, armis sumptis, Præsidiarios una nocte jugulant, tum sub quodam, nomine Patritio, Duce, quem Regem suum appellabant, excusso Romanorum jugo, proximas Provincias percurrunt; Cæsar Gallus, qui Antiochiæ degebat, copias immisit, quæ, occisa eorum magna multitudine, ne impuberes quidem servarunt, Diocæsaream, Tyberiadem, Diospolim, pluresque alias urbes, injectis flammis, vastaverunt; in Persas quoque arma moventi Gallo fortuna favere cœperat; at primo rerum successu insolens juvenis, quibusdam injusta vi patratis, animi crudelitatem prodidit; præter hæc affectati Imperii accusabatur. Tandem Constantius, in partes Occidentis insidiose pertractum, comprehendi jussit; judices deinde dedit, & lata mortis sententia, capite plexus est, in Insula, quam Flanonam dicebant, haud procul Polo in Istria. Gallus annos natus erat viginti novem, & quatuor regnaverat, nempe ab anno 351. usque ad annum 354, nam sub finem hujus anni necatus est, cum esset Consul tertio, &

Amm. Marc. l. XIV. c. II.

Sozom. IV. c. 7. Theod. III. hist. 1. c. 3.

Con-

Sæculum IV. A. C. 354.

Constantius septimo. Gallus quidem Christianam Religionem usque in finem professus est, sed erat Arianis addictus, quippe familiariter utebatur Theophilo Indo, seu Blemyano, peregrinatore illo notissimo, de quo diximus. Theophilus in Galli familiaritatem adduxit Aetium, quem Leontius Antiochiæ Diaconum ordinaverat; deinde eorum, quæ Gallus crudeliter egit, participes inventi, ejusdem calamitate impliciti sunt; Theophilus Galli in ultimo itinere comes, cum Gallus interficeretur, in exilium ejectus est; Aetius tanquam nihili homo præteritus.

Greg. Nyss. l. 10. conc. Eunom. pag. 30. Philost. IV. c. 1. Sup. l. XII. §. 31.

Tunc Julianus Galli frater haud sane levi periculo defunctus est. Cum Gallus Cæsaris Dignitate ornaretur, magnas ille spes conceperat, tunc illo timore, qui cum puero creverat, liberari cœpit, & relicta arce Macello in Cappadocia, ubi sex annos cum fratre captus transegerat, in Asiam, & Græciam peregrinatus est, ut in scientiis perficeretur. Gallo damnato, hæc itinera Juliano crimini ducebantur, & incusabatur, quod ex arce Macello effugisset; præterea, quod fratri suo Constantinopolim transeunti, collocutus fuisset, quæ sibi objecta Julianus facile diluit, ostendens, utrumque Constantii jussu se fecisse; de cœtero eum Eusebia Augusta potenti favori tuebatur.

Amm. l. XV. c. 2.

Julianus ad Athan.

Tum

Sæculum IV. A. C. 354.

Tum Comum prope Mediolanum adducitur, ubi semel in Imperatoris conspectum venire licuit. Post mensium sex spatium licentiam obtinuit, redeundi in Græciam, ut scientiarum studium prosequeretur. Ipse Athenas se contulit.

§. XVI.

Juliani Apostasia.

Jul. ep. 51. p. 210. Soz. 5. hist. c. 2. Socrat. III. c. 1.

Tunc Julianus annum vitæ agebat vigesimum tertium, jamque ab annis tribus externa solummodo simulatione Christianum referebat. Ipsius verbis habemus, quod viginti, non pluribus annis Christianus fuerit, quippe infans statim baptizatus, fuerat. Constantius dum ejus educationem cum fratre Gallo curabat, Christianis eum Magistris imbuendum tradiderat, atque inter alios Sophistæ Eceboli, a quo Rhetoricam doctus est. Et jam tunc quidquam accidit, quod in omen, a Cœlo missum, apostasiæ ejus plerique traxere. Gallus, & Julianus Ecclesiam in honorem S. Mamæ Martyris supra sepulchrum ejus prope Cæsaream in Cappadocia ædificari jusserunt; ædificii pars, quæ procurante Gallo ponebatur, feliciter assurgebat, pars vero Juliani stare non potuit, concidebant muri, nulla firmari fundamenta terra patiebatur. Dum ambo fratres, litteris jam

Greg. Naz. in Jul. or. 3. p. 59. Theod. III. c. 2. Sozom. V. c. 2.

cultio-

Sæculum IV. A. C. 354.

cultiores, Philoſophiæ, & eloquentiæ operam dabant, & exercitationis cauſa diſputabant, ſæpe Ethnicorum perſonam, tanquam ſententiam minus probabilem defenſurus, Julianus ſuſtinebat, revera proprii ingenii propenſionem ſecutus. Dum Gallus Cæſar creatus eſt, Julianus, permittente Conſtantio, ad ſcientias addiſcendas in Aſiam minorem profectus eſt, præcepto expreſſe addito, ne Sophiſtam Libanium audiret, quia Gentilis erat. In Aſia Julianus avido animo omne genus impietatis hauſit; ibi enim aſtrologia, prædictiones per Horoſcopos, Divinationes præſtigioſæ, & Ars magica docebantur. Venit Pergamum ad Sophiſtam Edeſium, inter eos, qui Philoſophiam ſuperſtitioſam Plotini, & Porphyrii profitebantur, celeberrimum; Edeſius ſenectute, & morbis fractus Julianum ad ſuos Diſcipulos remiſit, *hi tibi adeundi ſunt*, inquiebat: *apud quos Sapientiam, & ſcientias tibi compares; ſi ad Myſteriorum cognitionem penetraveris, pudebit, te hominem vocari. Vellem, ut Maximum hic haberes, ſed dimiſſus eſt Epheſum; vel utinam Priſcus adeſſet, qui in Græciam abiit. Sunt tibi hic ex Diſcipulis meis Euſebius, & Chryſanthus.* Horum ergo ſcholam Julianus frequentavit, nec tamen Edeſium reliquit.

Greg. Naz. p. 61.

Eunap. in Max. p. 80.

Sæculum IV. A. C. 354.

Chrysanthus iisdem, quibus Maximus, opinionibus inhærebat, super omnia Magiæ addictus. Eusebius nullam scientiam, excepta Dialectica, & ratiocinatione, solidam dari dicebat, sed esse inanis cerebri partus, & fallacias. Juliano quadam die rogante, ut mentem suam clarius explicaret, ait: *Sapiens quidem est Maximus, & optimo a natura ingenio donatus, sed suis dotibus abutitur, & spretis demonstrationibus, ineptias sectatur; nuper, quotquot nos hic vides, duxit ad templum Hecates, & cum adorassemus Deam, considete jam, amici mei! inquit: attendite, quid jam futurum sit, & an supra vulgus sapiam! hoc dicto, nobis omnibus sedentibus, granum thuris purificavit, & quemdam hymnum voce submissa obmurmuravit; tum Deæ statua subridere videbatur, nobisque factum admirantibus, cavete, ne strepitum edatis, inquit: ecce cerei, quos Dea manibus tenet, accendentur! & adhuc ipso loquente, ardebant. Visis his prodigiis, attoniti recessimus. Tu vero,* subjunxit Eusebius ad Julianum, *noli ista mirari, sicut nec ego miror, quia pura ratione regor.*

Hoc audito sermone, Julianus ad Eusebium: *vale! incumbe libris tuis, talem mihi virum indicasti, qualem cupiebam;* tum Chrysanthi capiti osculo fixo, damnata omni mora, Ephesum contendit;

Julianus Apostata.

Sæculum IV. A. C. 354.

dit; ibi Maximum invenit, & tanta aviditate ad discendas ipsius artes animum applicuit, ut ipse, & Chrysanthus, quem ad se vocaverat, unius curiositati satiandæ sufficere non possent. Non superstitione modo, & insana futura sciendi credulitate Juliani animum Maximus implevit, sed etiam regnandi desiderium suggessit; jamque inter populos rumor crebrescebat, Julianum dignum esse Imperio, atque ob bonam indolem, facundiam, & animi moderationem, cujus specie nempe ignaros fallebat, exoptabilem Principem; illo quo Constantinopoli moratus est tempore, habitu, & modestia Philosophum referebat, populo morum facilitate blandus. At, Imperatorem Constantium timens, sincere Christianum se simulabat; ut certius falleret, jussit sibi capillos radi, & aliquamdiu vitam monasticam externe professus est. Gallum autem, fratrem ejus, alienatus a fide Christiana animus non latuit, qui, ut Julianum ad Christiana Sacra reduceret, misit ad eum Aetium, Sophistam illum Arianum, post hæc fama notissimum, cujus scientiam maximi faciebat Gallus. Aetius Gallo sinistram de fide Juliani mentem ademit, referens, eum frequenter in Ecclesiis esse, Martyrum memoriam colere, & in fide Christiana esse firmissimum.

Socr. III. c. 1.

Sozom. V. c. 2.

epist. Galli ad Julian.

Sæculum IV. A.C. 354.

Gallo e vivis sublato, Julianus, in Græciam profectus, multo magis a fide avertebatur, ubique Divinatores, & oraculorum interpretes perquirens. Semel fortuna tulit, ut in impostorem incideret, qui, cum eum in Idolorum templum, & partem secretissimam deduxisset, provocare Dæmones cœpit; adsunt illi, forma, qua apparere consueverant, perterritus Julianus signum Crucis fronti imprimit; illico disparent Dæmones; frustratam operam suam querebatur præstigiator, cui Julianus, id se metu subito turbatum feciſſe, confessus est, seque virtutem Crucis vehementer admirari; ad quem Magus, non timor, inquit: sed horror crucis, a te formatæ, eos fugavit. Placuit Juliano responsum, seque cæremoniis profanis initiari passus est.

Theod. III. hist. c. 3.

§. XVII.

Concilium Mediolanense.

Imperator Constantius Mediolani agens, congregari Concilium jussit, quod Liberius Papa, & Episcopi Orientales instanter expetebant, at diversissimo fine, nempe Papa, ut pax, & unio Ecclesiarum restitueretur, Orientales, ut condemnationi Athanasii Occidentales subscribere cogerentur. Non magna advenit Episcoporum Orientalium copia, plerisque sene-

Sup. l. XII. Soz. IV. c. 9. Socr. II. c. 36.

senectutem, aut itineris molestias obtendentibus, at Occidentales ultra trecentos adfuere. Primis mensibus anni 355. Arbetione, & Lolliano Consulibus, convenere. Ad S. Eusebium Vercellensem, venire recusantem, Concilium delegavit duos Episcopos Eustomium, & Germinium, quorum iste erat novus Episcopus Sirmiensis, ferentes epistolam, qua invitabatur, ut fiduciam in Patribus Concilii poneret, & eorum consilium secutus, unitatem, & vinculum charitatis conservaret, id est, ut sententiam, in hæreticos Marcellum, & Photinum, & Sacrilegum Athanasium ferme ab omnibus latam, suo suffragio confirmaret; addebant, si ipse aliud sibi agendum crederet, se nihilominus juxta leges Evangelii judicaturos. Ita sua præjudicia pallio boni zeli contegebant. S. Athanasium Hæreticum nominare ausi non sunt, quamvis aliam eundem persequendi causam non haberent, quam quod zelosissime veram Doctrinam defenderet, sed sacrilegum appellant propter calicis, in domo Ischyræ fracti, calumniam; nec aliud magis firmum ipsis suppetebat virum persequendi fundamentum. Huic epistolæ triginta Episcopi subscripserant, quos inter leguntur nomina Valentis Mursensis, Ursacii Singidunensis, Saturnini Arelatensis, Germinii Sirmiensis, Epictetis Centumcellen-

Pagi 355. *n.* 2.

Sulpit. 2. *p.* 42.

Ap. Baron. an. 355. *& in Append. To.* 2. *conc. p.* 773. 774.

Sæculum IV. A. C. 355.

sis, Leontii Antiocheni, Acacii Cæsariensis, Patrophili Scythopolitani; hi omnes erant aperte Ariani. Imperator quoque ad Eusebium scripsit, &, quasi omnibus jam a Concilio definitis, hortabatur; judicium suum aliorum sententiæ conformaret. S. Eusebius in responso promisit, se, ubi Mediolanum adveniisset, quæcunque æquitati consentanea, & Deo grata visa fuerint, facturum. Lucifer etiam, & duo alii Papæ Legati Pancratius, & Hilarius ad Eusebium sua ex parte scripserunt; urgentes, ut veniret, Arianorum artificia dissiparet, & Valenti, sicut olim S. Petrus Simoni Mago, resisteret.

Hilar. 2. or. ad Const. in p. 305.

Postquam S. Eusebius Vercellensis Mediolanum advenit, per decem dies aditu ad Ecclesiam, in qua Concilium agebatur, prohibitus est, & tandem, ubi visum, vocatus. Tum cum tribus Papæ Legatis Lucifero, Pancratio, & Hilario ingressum, ad subscribendum S. Athanasii condemnationi permovere instantissime conantur; ipse, ante omnia Episcoporum fidem esse probandam, respondit; se enim certissimo scire, quosdam e præsentibus hæresi esse infectos. Protulit Symbolum Nicænum, promittens, si hoc ab omnibus fuisset signatum, se, quæ peterentur, facturum. Jamque Episcopus Dionysius Mediolanensis, qui Pro-

tasio

tasio succesſerat, Symbolo Nicæno ſubſcripturus erat; cum Valens Murſenſis charta, & calamo manibus ejus excuſſo, clamavit; nunquam hac via ventum iri ad terminum. Tantus fuit altercantium ſtrepitus, ut ad aures populi devenerit, omnibus bonis dolentibus quod Sancta fides ab Epiſcopis impugnaretur. Ariani judicium populi pertimeſcentes, ex Eccleſia in Regiam tranſierunt Imperatoris juſſu, per ſe præſidere in hoc judicio volentis. Sæculum IV. A. C. 355. *Sulp. Sev. l. 2.*

Itaque Concilii loco ex Eccleſia in Palatium translato, Ariani Edictum, ſeu epiſtolam Imperatoris protulerunt, quæ Hæreticæ Doctrinæ venenum aperte prodebat. Imperator per ſomnium, ſibi Divinitus immiſſum, cognoviſſe ajebat, tali modo fidem eſſe explicandam; utque ad hanc explicationem recipiendam Epiſcopos permoveret, addebat, nihil ſibi ita cordi eſſe, quam pacem reducere, nemini autem dubium eſſe debere, quin fides ejus Catholica eſſet, quem Deus tot collatis victoriis protexiſſet. Legati Pontificis Lucifer, Pancratius, & Hilarius reſpondebant; fidem Nicænam ſemper fuiſſe fidem Eccleſiæ, petebantque, ut Arii Doctrina damnaretur. Conſtantius Arii Doctrinam eſſe Catholicam aſſerebat, ſeque deſuper eorum conſilium non expetere, qui, ſi Arii ſententiam ſequi vellet, Concilium Mediolanenſe. *Lucif. de non conven. pag. 206. edit. Pariſ. 1568. Id. de non parc. p. 226. Idem II. pro Ath. p. 104. Idem I. pro Athan. p. 22. de reg. Apoſt. init. Id. II. pro Ath. p. 112. Idem de non par. p. 235. Sulp. p. 410*

Sæculum IV. A. C. 355.

prohibere minime possent. Ariani epistolam Imperatoris publicarunt, ut, si populi assensus eam probaret, majori auctoritate vigeret, sin minus, tota culpa Imperatori imputaretur, cui, adhuc Catechumeno, Mysteria ignorare liceret. At hæc epistola in Ecclesia lecta populo audienti horrori fuit.

Ergo S. Athanasii condemnatio denuo urgetur. Imperator, vocatis ad se Lucifero, Eusebio, & Dionysio, ut subscriberent, instabat; ipsi, quo minus id facere possent, retractationem Ursacii, & Valentis, ejus innocentiam agnoscentium, obstare dicebant; hic Imperator sella exiliens, *ego*, inquit; *Athanasii accusator sum, saltem mihi credite, fidem meam interponenti, vera esse, quæ contra eum afferuntur.* Responderunt: *quamvis eum accusares, absens tamen judicari non potest. Non hic negotium temporale agitur, in quo tibi Imperatori credendum; solius hic Episcopi judicium valet. Quomodo autem virum accusare potes? loco tantopere remotus, facta per te scire nequis, & si ea refers, quæ ab inimicis ejus didicisti, æquum est, ut ea etiam, quæ pro sua defensione dicit, credas; si fidem, quam ipsi denegas, ejus adversariis habes, omnes profecto credent, eos ideo Athanasium accusare, ut tibi placeant.* Hoc sermone offensus Imperator, adhuc urgere non cessa-

Sulp. pag. 403. *Lucif. II. pro Ath. p.* 105. *Ath. ad Solit. p.* 831. *ad Solit. p.* 861. 862.

Sæculum IV. A. C. 355.

ceſſabat, ut condemnationem S. Athanaſii manu ſua ſignarent, & cum hæreticis communicarent; hoc Eccleſiæ legibus vetari, dixerunt. Ille repoſuit: *quod ego volo, lex eſto, me hæc imperare Epiſcopis Syriæ probatur, vobis aut obediendum, aut exulandum!* Epiſcopi attoniti levatis in Cœlum manibus, vigore Sacerdotali ſuggerebant, Imperium Mundi non ipſi eſſe proprium, ſed Deo, qui dediſſet, & collatum poſſet eripere; imminens Dei judicium comminabantur, tandemque paternum addidere conſilium, ne Eccleſiæ Diſciplinam ſacrilega Romanæ Potentiæ commixtione corruptam vellet. (*) Major erat iracundiæ æſtus, quam ut argumentis deliniri poſſet, ſed adempta loquendi facultate, minari, gladium in Sacerdotes ſtringere, jubere, ut recta ad ſupplicium ducerentur; moxque mutata mente ad exilium damnavit. Dionyſius Epiſcopus Mediolanenſis induci ſe paſſus erat, ut S. Athanaſii condemnationi ſubſcriberet, ea conditione, ſi ab Epiſcopis quæſtio fidei examinaretur; cumque in articulo defendendæ fidei Nicænæ conſtans perſiſteret, nihil ei ſubſcripſiſſe profuit, ſed in exilium migrare coactus eſt.

ibid. p. 831.

Sulp. lib. II. p. 409. *Lucif. pro Athan. p.* 105. *Ath. ad Solit. p.* 836.

(*) Clariſſimum ſane teſtimonium, ex quo Poteſtatis Cæſareæ, & Eccleſiaſticæ limites diſcernantur.

Sæculum IV. A. C. 355.

Antequam Papæ Legati in locum exilii abducerentur, Hilarii Diaconi, vestibus spoliati, dorsum flagris lacerarunt, dicentes: *quare Liberio obedivisti? quare literas ejus attulisti?* qui vero tam indigne Hilarium tractabant, erant Ursacius, & Valens, eorumque factionis Evnuchi, tridentes, & sannas verberibus addentes. Hilarius, hæc patiens, Deum benedicebat.

§. XVIII.

Eusebius. Dionysius. Et Lucifer in Exilium pelluntur.

Hil. in Const. 1. p. 29.

Ductores militum, via sibi per cuneos populi crudelibus modis aperta, in Sanctuarium penetrarunt, ut Episcopos ab Altari abstraherent; ipsi in exilium migrabant, levatis in Cœlum oculis, pulverem pedum suorum excutientes. Talis fuit Concilii Mediolanensis exitus. Plerique Episcoporum vel fraude decepti, vel metu victi condemnationi S. Athanasii subscripserunt. Hos inter legitur Fortunatianus Aquilejensis, qui primo fortiter resistens, deinde succubuit. Dionysius tamen, Eusebius, & Lucifer soli non fuere, qui constantes perseverarunt, plures alii S. Athanasii causam non prodiderunt, similiter propterea proscripti, partim in ipso Concilii Mediolanensis exitu, partim non longo post tempore.

Ath. ad Solit. p. 832.
Ruf. lib. 1. c. 20.
Athan. ap. 1. p. 692.
Apol. 2. p. 807.
Ad. Solit. p. 842.
Lucif. II. pro Athan. p. 106.

pore. Contra singulos confictæ sunt calumniæ, ne propter causam Dei proscripti viderentur. Inter alios notatur Exsuperantius, sub Eusebio in Ecclesia Vercellensi Minister, post hæc Episcopus Dertonensis. Maximus Episcopus Napolitanus diu tormentis tentatus est, quod crederent, ob corporis imbecillitatem facile vincendum, tandem proscriptus, in exilio beato fine quievit. Ariani quemdam nomine Zosimum in ejus Episcopatu substituerunt. Rufinianus admirandæ simplicitatis vir in hac persecutione insolito prorsus Martyrii genere defunctus est, quippe eum Epictetes Arianus Episcopus Centumcellarum ante vehiculum suum tamdiu currendo fatigari coegit, donec ruptis venis per os ejus unacum omni sanguine anima egressa est.

Sæculum IV. A. C. 355.

Serm. 56. in ap. Ambr. n. 2. al. serm. 15. Libell. Faust. & Marc. p. 29.

ibid. p. 54.

ibid. p. 30.

Episcopi exilii sui occasione ad Ecclesiæ emolumentum utebantur; in quemcunque locum fuissent delati, fidem Catholicam suis in vinculis prædicabant, Arianorum hæresin damnabant, Ursacii, & Valentis pudendum relapsum annuntiabant. Omnibus in veneratione erant, tanquam JEsu Christi Confessores, undique ad eorum usus pecuniæ liberaliter comportabantur, omnesque ferme Provinciæ, missis ad eos legatis, honorarunt. Econtra Arianos, tanquam eorum carnifices, omnes abominabantur, nec ita immerito,

Athan. ad Solit. pag. 832.

Sulp. lib. 2. p. 414.

Sæculum IV. A. C. 355.

merito, quippe, quid quid virorum Sanctorum exilium acerbius reddere poterat, cumulabant, & singulos in locum ab aliorum consortio remotum relegarunt, quod ne quidem Maximianus, aliive Persecutores Idololatræ fecerant. Eusebius Vercellensis Scythopolim Palæstinæ relegatus est, ubi Episcopus erat Patrophilus, non ultimum inter Arianorum Principes locum tenens. Lucifer Germaniciam in Syria, cujus urbis Episcopus erat Eudoxius Ariana hæresi notissimus; ipse Lucifer de ærumnis, quas ibi tolerare cogebatur, ad Imperatorem orationem dirigens, ita loquitur: *Quia nos a Concilio impiorum segregavimus, exulare cogimur, in carceribus languemus, solis aspectu privamur, in tenebris arcte custodimur, nemo ad nos, saltem futurus malorum nostrorum testis, admittitur.* S. Dionysius Mediolanensis in Cappadociam migrare jussus, precibus suis a Deo obtinuit, ut celeriter moreretur, ne Ecclesiæ suæ calamitatem cogeretur aspicere. Secutis temporibus Reliquiæ ejus Mediolanum relatæ sunt. Memoriam ejus Ecclesia vigesima quinta Maji honorat. In ejus locum positus est Auxentius Arianus, a Gregorio Antiepiscopo Alexandrino in Presbyterum ordinatus; hunc Imperator de industria ex Cappadocia Mediolanum vocavit, omnibus ignotum, linguæ latinæ,

Ath. ad Solit. p. 836.

Lucifer Exul.

Lucif. pro Athan. p. 17.

Idem de non conv. cum hær. p. 199.

Ambr. ep. 63. n. 70. al. ep. 25. Martyr. Rom. Hilar. in Aur. p. 314.

Athan. ad Solit. p. 861.

Ambr. III. de Spir. c. 10. n. 59.

latinæ, sicut plerique Græcorum, ignarum. Erat Auxentius vir doctissimus, & negotiis aptissimus, sed malus Christianus. Hic ergo armata manu in Ecclesiam Mediolanensem intrusus. Sæculum IV. A. C. 355.

Epist. 6. p. 750. To. 2. Conc.

Liberius Papa ad S. Eusebium Vercellensem, aliosque Episcopos exules litteras circulares dedit, in quibus ait: *Quibus laudibus vos efferam, cum diversi affectus cor meum scindant? hinc ob charissimorum fratrum absentiam dolor torquet, inde ob tantam Gloriam vestram gaudium recreat. Majus solatium ex me capere non potestis, quam si me ipsum vobiscum exulare certissime credatis. Ego quidem, Chari fratres! primus pro vobis omnibus immolari cupiissem, vobisque acquirendæ gloriæ, quam jam tenetis, exemplum dare, sed gaudeo hanc potius meritis vestris, quam meo exemplo deberi.* Inferius subjungit: *promissorum cœlestium certi estote! & quia jam Deo acceptiores facti estis, juvate me vestris precibus, ut hostium conatibus valeam resistere, in pugna eo magis periculosa, quod sit quotidiana. Orate, ut fides servetur inviolata, Ecclesiæ Catholicæ status integer, nobisque Dominus laborum mercedem concedere dignetur. Omnia, quæ in certamine vestro contigerunt, accuratius scire desidero, hinc rogo, ut nihil eorum, quæ facta sunt, in litteris vestris omittatis, sic exhortationes*

Sæculum IV. A. C. 355.

tiones vestræ, & exemplum animum meum multis morbis fractum, & attenuatas corporis vires roborabunt. Ex his ultimis verbis, provectam fuisse Liberii ætatem, judicandum.

§. XIX.

Liberium persequuntur Ariani.

Athan. ad Solit. pag. 832.

Ariani, si Liberii Papæ constantiam devicissent, cæteros omnes in suam sententiam transituros, credebant; hoc ergo futurum esse Imperatori persuaserunt, ardenter desideranti, ut Athanasii condemnatio illa auctoritate, quæ principaliter in Episcopis Romanis residet, robur acciperet (verba hæc sunt Ammiani Marcellini ejusdem temporis Historici gentilis) (*) Imperator ad Pontificem misit Evnuchum, nomine Eusebium,

Amm. lib. XV. c. 7.

(*) Hem! Scriptoris Gentilis contra Protestantes pro Summa in Ecclesia Catholica SS. Pontificum Auctoritate invictum testimonium! Quid ad hæc Interpres Protestans? Is in sua Præfatione ad Partem I. pag. 31. ubi in Criticos temerarios invehitur, hæc habet: Es ist für die verwegene Critik nichts zu heilig, daran sie nicht Hände legen, nichts zu klein, damit sie nicht Muthwillen treiben sollte. Sie streicht aus, sie setzet hinzu ꝛc. Jam tenemus lupum auribus. Hic ipse Interpres in hoc loco ubi a Scriptore Gen-

bium, dona ferentem, & minaces litteras. Ubi Eunuchus Romæ fuit, Liberium hortatus est, contra S. Athanasium subscriberet, & Arianos in communionem reciperet, dicens; hanc esse Imperatoris voluntatem; tum ostendens dona, quæ attulerat, & prensans manus ejus, ajebat: *Accipe hæc, & Imperatori obedi!* respondebat Pontifex: *quomodo Athanasium quisquam hominum condemnare possit, virum non solum in uno, sed etiam in altero Concilio ex omnibus Mundi partibus congregato ab omni culpa absolutum? quem Ecclesia Romana in pace dimisit? quis nostram futuris temporibus communionem non spernet, si jam absentem damnamus, quem præsentem in osculo pacis excepimus? non Ecclesiæ Disciplina hæc est, non traditio, quam nos a Patribus nostris,* Sæculum IV. A. C. 355.

Gentili Principalis Auctoritas inter omnes Christianos tam Occidentis, quam Orientis, Episcopis Romanis adstruitur, impudenter addidit vocem: im Occident. pag. 28. §. 23. Parte III. Denn dieser wünschte nichts so sehr, als daß die Verdammung des *Athanasius* durch das Ansehen des Bischofs zu Rom bestätiget werden möchte, als welcher im Occident der Vornehmste war. Hæc Versio non solum Interpreti, sed etiam omnibus, qui aliquam operam contulerunt, est erubescenda.

Sæculum IV. A. C. 355.

stris, ipsi vero a Beato Apostolo S. Petro acceperunt. Si Imperatori pax Ecclesiæ curæ est, si ea, quæ pro Athanasio scripsimus, vult esse irrita, etiam illa, quæ contra ipsum, & cæteros omnes acta sunt, irritentur; celebretur Concilium vere Ecclesiasticum in loco a Regia remoto, absit Imperator, absit comes, & judicis cujuscunque Sæcularis minæ absint; solus Dei timor præsideat, & Apostolorum traditiones valeant. Ante cætera omnia Ecclesiæ fides stabiliatur, a Patribus in Concilio Nicæno declarata; ejiciantur Ariani! solis Catholicis loqui fas sit! non licet in Concilio loquentes audire, quorum fides ab Ecclesia reprobata est, nec decet de hominis privati causa judicare, antequam negotium fidei sit pertractatum. Dominus noster JEsus Christus non solebat sanare ægrotos, antequam, quali in ipsum fide essent, manifestassent. Hæc a Patribus nostris didicimus, hæc ad Imperatorem defer! hæc audivisse salutare erit, & Ecclesiæ proficuum. Ursacium, & Valentem non audiat, post relapsus perfidiam Principis amicitia indigni sunt! Hunc in modum Liberius Papa loquebatur.

Dolebat Evnuchus, non adeo quod contra Athanasium subscribere nollet Papa, quam quod hæresin Arianorum aperte damnaret; tum reverentiæ, quæ Episcopo debebatur, oblitus, ultima minaba-

tur,

tur, & inde ad S. Apostoli Petri Eccle- Sæculum IV.
siam digressus, ibi dona, quæ Imperator A. C. 355.
miserat, tanquam oblationem deposuit, quod ubi Liberius factum rescivit, Ecclesiæ custodi vehementer iratus, quod non prohibuisset, ejici jussit profana oblata. Evnuchus, cum jam antea multum iræ concepisset, contumelia excitatior, ad Imperatorem rediit, & ejus animum aliunde commotum ad vindictam impulit his verbis: *jam supervacanea est cura, num Liberius subscribere velit, majus nobis malum timendum, nostræ enim Doctrinæ hostis est, & nominatim Arianos anathematizat.* Hic sermo alios Evnuchos furore accendit, nam plurimos, quorum ministerio utebatur Constantius, apud se habebat, eratque tanta istorum hominum in Principis animum potentia, ut, quocunque vellent, flecterent; scripsit ergo Imperator ad Leontium Romæ Præfectum, ut Liberium, insidiis captum, aut si magis e re videretur, aperta vi raptum ad Regiam transmitteret. Tota urbs terrore replebatur, ingentibus promissis multorum fides contra Liberium sollicitabatur; aliis minæ ingerebantur; plures Episcopi quæsiere latebras; multæ mulieres, nobilitate præcipuæ, in domos campestres, ut hæreticorum calumnias effugerent, se recepere. Multi, quibus Domicilium Romæ erat, fugere compulsi. In-

Sæculum IV. A. C. 355.

sidiæ ascetis etiam ponebantur; portus, omnesque urbis aditus custodiebantur, ne quis Catholicus intrare, & Liberio colloqui posset. Tunc urbem Romam propria experientia docuit, quod aliis referentibus non credidisset, quantam calamitatem hæretici in alias Ecclesias inveherent. Tandem Liberius mediæ noctis silentio ab armatis exurbe raptus est, non sine maximo rapientium periculo, ne a populo, qui unice Pastorem suum diligebat, deprehenderentur.

Amm. lib. XV. c. 7.

§. XX.

Liberius Mediolani coram Imperatore.

Liberius Mediolanum adductus in Conspectum Imperatoris sistitur, vel potius in ejus Consistorio interrogatur; ita ille Senatus vocabatur, in quo de maximi momenti rebus consultabatur, atque acta a peritis in notas redigebantur, hinc pii Christiani occasionem nacti sunt, hoc ita notatum colloquium posteris asservandi, ut tali exemplo Christianorum zelus excitaretur. Imperator Constantius, inquit: *quia Christianus es, & nostræ urbis Episcopus, visum nobis est, te ad nos vocare, ut te exhortaremur maledictam insaniam ponere, & impii Athanasii communioni renuntiare; a toto terrarum orbe damnatus*

Theod. II. c. 15. 16.

& Concilii judicio ab Ecclesiæ Commu- Sæculum IV.
nione excluſus est. Episcopus Liberius A. C. 355.
respondit: *Domine! Judicia Ecclesiæ fundamento Sanctæ Justitiæ inniti debent, quamobrem, si tuæ pietati ita placeat, tribunal erigi jubeas, & si Athanasius damnatione dignus est, sententia in eum juxta Canones Ecclesiæ pronuntietur, nam hominem, a nobis non judicatum, damnare non possumus.* Imperator: *impietatem ejus universus orbis damnavit, nunc justæ sententiæ executioni moras injicere cupit pro more suo.* Liberius: *omnes, qui subscripserunt, quæ facta fuissent, oculis suis non viderant, sed vel laudis cupiditate, vel infamiæ metu, quam minabaris, agebant.* Imperator: *quid mihi de laude, de timore, de infamia obgannis?* Liberius: *omnes illi, qui Athanasium nec judicatum, nec visum condemnarunt, veritatem, & Gloriam Dei tuo favori postposuere; absit hoc malum a bonis Christianis!* Imperator dixit: *tamen is ipse præsens in Concilio Tyriensi judicatus est, & in Concilio ab omnibus Mundi Episcopis condemnatus.* Forte Imperator hic loquitur de Concilio Mediolanensi, in quo revera Episcoporum numerus fuit maximus. Liberius respondit: *nunquam, ipso præsente, sententia lata est, & qui eum damnarunt,*

Sæculum IV. A. C. 355.

id est Tyri, inique damnarunt, & post ejus discessum.

Eusebius Evnuchus inquit: *Omnes Athanasium fidei Catholicæ hostem agnoverunt in Concilio Nicæno.* Eusebius iste, cujus tunc tanta erat auctoritas, haud dubie cubiculariorum Præfectus fuerit, & quia erat Arianus, fidem Catholicam appellabat illam hæresin, quam S. Athanasius semper oppugnaverat. Liberius, ad Evnuchum respicere non dignatus, Imperatori respondebat: *Non plures quam quinque sunt, qui Athanasium judicarunt, illi nempe, qui in Mareotidem ad inquirenda facta ejus missi sunt; ex his quinque duo, Theognis, & Theodorus mortui sunt, alii tres sunt superstites, nempe Maris, Valens, & Ursacius; Concilium Sardicense sententiam damnationis in hos Delegatos pronuntiavit, & hi ipsi Delegati libellos supplices Concilio tradiderunt, veniam humillime precantes propter inquisitiones quas in Mareotide contra Athanasium absentem calumnioše obivissent; hos libellos retractationis manibus nostris tenemus.*

Liberius Papa coram Imperatore.

v. Vales. in Theodor.

Liberius hic loquitur de retractatione Ursacii, & Valentis in Concilio Romano post Concilium Sardicense, & in hunc modum prosequitur: *Jam edic quibuscum nos æquitas communicare jubeat, an cum illis, qui, postquam Athanasium con-*

demna-

demnarunt, pœnitentes facti veniam rogarunt, an cum illis, qui modo hos ipsos supplices condemnarunt?

Episcopus Epictetes inquit: *Domine! non amore fidei, aut judiciorum Ecclesiasticorum Liberius tanta linguæ intemperantia tibi loquitur, sed ut Romæ apud Senatum jactare se possit, tibi, quæcunque voluerit, in faciem exprobrasse.* Constantius ad Liberium: *Quantum te ipsum facis in mundo, ut immani superbia solus cum impio socio totius universi pacem turbare audeas?* Liberius: *Etsi solus essem, non ideo fidei causa caderet; olim non plures tribus viris mandato Regis resistebant.* Hic de tribus pueris, Danielis sociis, loquitur, quod bene capiens Evnuchus Eusebius ait: *Nempe Imperator noster tibi alter Nabuchodonosor est!* Liberius: *Non est; sed æque injusta, ac ille quondam a suis, vos a nobis petitis, dum vultis, ut virum injudicatum damnemus. Ego quoque peto, ut omnium primo exhibeatur charta omnium Episcoporum Nominibus signata, qua fides Nicæna confirmetur; deinde omnes fratres nostri ab exilio revocentur, suis Cathedris restituantur, & postquam illos, qui modo Ecclesias turbant, fidem Apostolicam recipere exploratum fuerit, tunc omnes Alexandriæ, ubi accusatus, accusatores, iique omnes, quorum inter-*

Sæculum IV. A. C. 355.

est, præsentes sunt, congregentur, ut, cunctis examinatis, judicium ferre possimus.

Epictetes ait: *Vecturæ publicæ tot itinerantibus Episcopis non sufficient.* Liberius, *Ecclesia*, inquit: *vecturis publicis non indiget; particulares autem Ecclesiæ necessaria ad transvehendum Episcopum suum usque ad mare suggerent.* Imperator: *Quæ semel judicata sunt, irritari non debent, plurimorum Episcoporum judicium valeat! solus es, quem impii hujus amicum te dicere non pudet.* Liberius: *Domine! inauditum nobis erat hactenus, absentem reum a judice suo impium dici, id enim magis privato ejus inimico convenit.* Imperator: *Cunctos offendit iste, me vero omnium maxime! Fratris primogeniti mei interitus non exsatiavit crudelem animum, nunquam cessavit Constantem felicis memoriæ impellere, ut me oderit, maximo forte meo damno, nisi ejus, & fratris mei molitionibus mansuetudinem, & patientiam objecissem. Nihil ita eximium a me factum existimavero, ne quidem devictum Magnentium, aut Silvanum, quam si sceleratissimum hominem ab Ecclesiæ Regimine deturbavero.* Silvanus, de quo hic sermo, Dux belli erat ex natione Francorum, inter Romanos educatus, & multo tempore in militia

Amm. Marc. L. XV. c. 5.

tia fidem præstiterat; tandem calumniis, quibus apud Constantium fama ejus impetebatur, in desperationem actus, cum seditionem moviſſet, Coloniæ occisus est, postquam Imperatoris Nomen non pluribus viginti octo diebus gessisset. Id eodem anno 355. contigit. Sæculum IV. A.C. 355. Silvanus Anti-Imper. *Pagi* 353. *n.* 4.

Liberius ad Imperatorem: *Domine! si de inimicis tuis vindicare te animus est, noli ad hoc opus Episcoporum opera uti, nam manus Clericorum ad reconciliationem, & sanctificationem destinatæ sunt. Quæso te! ut Episcopos domum mittas, & si in confessione fidei Nicænæ uniti fuerint, tunc conveniant, & universi orbis paci consulant; hoc vero absit! ut ad innocentem opprimendum conjurasse videantur.* Imperator: *Unum est, quod te volo; remittam te Romam, si communionem aliarum Ecclesiarum amplexus fueris; cede pacis amori, subscribe, & Romam revertere!* Liberius: *Fratribus meis Romæ ultimum vale dixi, quid enim mihi prodesset Romæ esse, si salvis Ecclesiæ legibus esse non possum?* Imperator: *Tres tibi dies sunto, quibus deliberare liceat, an velis subscribere, & Romam redire, nisi feceris, locum exilii tibi elige!* Liberius: *Nec tribus diebus, nec tribus mensibus mens mea mutari potest; ibo autem quocunque me miseris!*

Sæculum IV. A. C. 355.

§. XXI.

Liberius in Exilium mittitur. Felix Anti-Papa.

Theod. ibid. Soz. IV. c. 2. Post duorum dierum lapsum Liberius ab Imperatore vocatur, & in proposito constans, Bereæ in Thracia exulare jubetur. Schisma II. Dum Palatio excesserat Liberius, ei Imperator in vitæ subsidium quingentos nummos aureos, qui ultra quatuor millia librarum gallicarum valebant, misit; Liberius ad eum, qui sibi pecunias attulerat, *Redi*, inquit: *& redde has pecunias Imperatori, quas melius in militum stipendia expenderit.* Totidem Imperatrix submiserat, rursusque Liberius: *Et has date Imperatori, cui alendis exercitibus sunt necessariæ; aut si Imperator his non indigeat, det Auxentio, & Epicteti, qui auro inhiant.* Cum igitur nec ab Imperatore, nec ab Imperatrice quidquam acceptasset, Evnuchus Eusebius opes suas abeunti obtulit, cui Liberius: *Tu es ille, qui omnes mundi Ecclesias suis Pastoribus orbasti, & jam eleemosinam mihi porrigis, tanquam viro condemnato! habe tibi tua, & si bonus esse cupis, Christianus esse incipe.* Rejecta igitur hac pecunia tertio abhinc die in exilium migravit. Ideo Liberius Evnucho Eusebio suadet, ut Christianus fiat, quia Catholici Arianos pro Christianis

Felix. Quibusdam Papa & Mart.

Sæculum IV. A. C. 355.

ſtianis non habebant. Demophilus, notiſſimus Arianus tunc temporis Bereæ, quo Papa mittebatur, Epiſcopus erat. Epictetes, cujus hic ſæpius mentio redit, erat Neophytus juvenis, ingenio audax, & ad violenta pronus, quem procul a patria ſua, & illis, quos regere debebat, ignotum Imperator Epiſcopum poſuerat, nempe Centumcellis in ora maritima Hetruriæ prope Romam. Ejus potiſſimum uſus opera, Conſtantius alium loco Liberii in Sedem Romanam intruſit. Omnes Clerici juramento ſe obſtrinxerant, Liberio vivo, neminem alium Epiſcopum recepturos; factio autem Arianorum Felicem, Eccleſiæ Romanæ Archi-Diaconum, elegit, & quia omnes Eccleſiæ ipſis erant clauſæ, eum in Palatio ordinaverunt, tres Evnuchi conventum populi Chriſtiani referebant, tres Epiſcopi, quorum unus erat Acacius Cæſarienſis, impoſuerunt ei manus. Felix tamen nunquam non fidem Nicænam profeſſus eſt, quamvis cum Arianis communicaret. (*)

Hier. Chron. an. 350. Ath. ibid. Hier. Script. in Acac. Theod. II. c. 17. Sozom. IV. c. 11.

Felix Anti-Papa.

(*) Hic Proteſtans adjecta Nota de futuro Liberii lapſu triumphat. Homo iſte ſimilis eſt Muſcis, quæ ſanas corporis partes relinquunt intactas, & ulceribus inſident. Prudentius egiſſet, ſi tot errores, quibus verſio hæc ſcatet, relegendo

Sæculum IV. A. C. 355.

§. XXII.

Osium persequuntur. Ejus Epistola.

Athan. ad solit. p. 837.

Tot Episcopis, & Liberio Papa in exilium pulsis, tamen Osio adhuc stante, necdum sibi quiescendum putarunt Ariani; Is Episcoporum primus (*) habebatur, Confessionis Gloria insignis, Episcopatus apicem ultra annos sexaginta tenuerat; omnia dirigebat Concilia, Epistolæ ejus ubique reverenter excipiebantur; ipse primus Symbolum Nicænum credendum proposuerat, & Arianos in omnibus locis hæreticos declaraverat. Ergo Ariani importune Imperatorem ambire, & dicere, quæcunque jam acta essent, nihil profutura, nisi iste Senex vinceretur. Scripsit ad eum Imperator, & eodem tempore, quo Liberium, ad se venire jussit; ubi advenit, Imperator ei persuadere conabatur, ut Athanasium condemnaret, & cum Arianis communicaret; at Senex sanctus, quantum vel solo talis sermonis auditu torquere-

---

do emendasset. Hi, quia negligentiæ, non malitiæ originem debent, brevitatis causa non recensentur.

(*) Primus, non Sedis suæ Prærogativa, sed dotibus præclaris, & fama.

queretur, fatebatur, & Episcopali auctoritate Principem reprehendens, obtinuit, ut ad suam Ecclesiam redire permitteret, Ariani de hac Constantii lenitate querebantur, Evnuchi tanta importunitate instabant, ut Imperator rursus ad Osium scripserit verbis minacibus, & injuriosis, ipsum solum sibi resistere; tum aliorum exulantium, quorum nomina referebat, exemplo proposito terrere volebat; non nunquam etiam Senem mulcebat, blando Patris nomine compellans, quippe plures ad eum dedit Epistolas. Tunc Osii Constantia expugnari non potuit, qui Imperatori rescripsit in hunc modum: Sæculum IV. A. C. 355.

Osius Imperatori Constantio in Domino nostro salutem. Prima vice in Persecutione sub Maximiano Proavo tuo JEsum *Christum confessus sum, si & tu Persecutor fueris, paratus sum secundo omnia pati potius, quam sanguinem innocentem fundere, & prodere veritatem. Si ita scribere, & minari pergis, tuæ Communioni renuntio. Noli igitur ulterius talia mihi scribere, Arii Doctrinam ne sequere, Orientales non audias, nec tibi ab Ursacio, & Valente illudi patere; Athanasii condemnandi specie hæresin suam propugnant. Crede mihi, Constanti! qui per ætatem avus tibi sum; Concilio Sardicensi intereram,* Ibid. p. 838.

Sæculum IV. A. C. 355.

tereram, quo nos omnes tu, & frater tuus Constans felicis memoriæ convocassis, ego ipse Athanasii inimicos, ut ad me in Ecclesiam, habitationem meam, venirent, invitavi & accusationes contra eum exponerent, hortatus, ut timerent nihil, sed judicium justum exspectarent; hoc ut facerent, bis suasi, & si coram toto Concilio nollent, saltem mihi soli aperirent; promisi, si reus inveniretur, a nobis sine tergiversatione damnandum, si vero, inquiebam: innocens est, & vos calumniarum convincat, si tamen eum recipere non vultis persuadebo, ut mecum in Hispaniam veniat; Athanasius consentiebat, ipsi autem nihil proferre ausi, omnia recusarunt. Athanasius post hæc ad aulam tuam Antiochiam ivit, a te vocatus; cumque inimici ejus ibi essent, petiit, ut simul omnes, aut separatim comparere juberentur, & in ejus præsentia accusationes probarent, aut absentem calumniari desinerent; at nec tibi, nec illis petitio placuit.

Osii Episcopi Epistola ad Imperatorem.

Quare ergo iterum eosdem susurrones audis? Quomodo apud te Valentem, & Ursacium ferre potes, postquam dicta sua retractarunt, & litteras, quibus calumnias suas fatebantur, sua manu signarunt? Falsum enim est, quod dicunt, se ad hoc coactos fuisse; aut ubi milites, qui

Sæculum IV. A. C. 355.

qui coegerunt? Inscio fratre tuo hoc fecerunt; Episcopos cogere hodierna est calamitas, quæ sub Regno fratris tui ignorabatur, Deo immortali sint laudes! Ursacius, & Valens ultro Romam venere, & retractationem præsente Episcopo, & Presbyteris scripserunt, cum antea ad Athanasium Epistolam in pacis, & amicitiæ signum dedissent; si vero affirment se metum gravem passos, idque aliorum injuria sibi accidisse, & tu quoque Cæsar credas, hos Episcopos cogi non debuisse, at exemplo tuo non faciendum proba, quod ab aliis factum damnas; minari in Epistolis desine, nullos Comites mitte, exules revoca, ne dum, duos injuriam passos, quereris, ipse plurimis vim longe atrociorem inferas. Quando autem Constans quidquam simile attentavit? quem Episcoporum in exilium misit? Quando judicio Ecclesiastico, satellitibus stipatus, interfuit? Quis Ministrorum ejus quemquam alterius damnationi subscribere vi adegit? nisi quod, talia sibi contigisse, Valens insigniter mentiatur? Cessa, obsecro! ista moliri, quid ad te Ecclesiastica? Mortalem te memento! futurum judicium time! ne nobis Episcopis, quid in Spiritualibus faciendum, imperare velis, sed a nobis te doceri patere! Deus tibi dedit Imperium Romanum regendum, nobis Ecclesiam

Sæculum IV. A. C. 355.

cleſiam. (*) *Sicut ille, qui Poteſtati tuæ reſiſtit, Dei præcepto reſiſtit, ita etiam cavendum tibi, ne magni ſceleris reum te facias, ſi in jura Epiſcoporum involes.* Matt. 22. 21. *Scriptum eſt: Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo. Nobis igitur terreſtre Dominium non eſt datum,* (**) *nec tibi ſacrificandi poteſtas. Hæc tibi ſcribo, quia curam ſalutis tuæ gero; circa ea autem, quæ mihi mandaſti, hæc mea eſt ſententia: Non poſſum cum Arianis communicare, quorum hæreſin anathematizo, nec contra Athanaſium ſcribere, ab Eccleſia Romana, toto Concilio, & me ipſo abſolutum. Hæc te minime latent, tu eum ab exilio revocaſti, atque honorifice in patriam ſuam, & Ecclesiam*

(*) Argumentum contra Proteſtantes, dicentes, ſolis Principibus competere jus in Sacra.

(**) Ecce Oſius Epiſcopus, magnum ſua ætate Eccleſiæ lumen, pauciſſimis verbis quid de Jurisdictione Eccleſiaſtica ſentiat, exponit, dum alii integra volumina implent. Si univerſa Hiſtoria Eccleſiaſtica attente perlegatur, patebit, Epiſcopos nunquam gladio in delinquentes animadvertiſſe, niſi gladio excommunicationis. Hodie Poteſtas Sæcularis Epiſcoporum, qui S. R. I. Principes ſunt, ab eorumdem Poteſtate Eccleſiaſtica, & ſpirituali accurate diſtinguenda eſt.

Sæculum IV. A. C. 355.

cleſiam redire permiſiſti, quid ergo mentem tuam in virum mutare potuit? iidem ſunt inimici ejus, qui antea, criminationes easdem clanculo, nam palam, & ipſo præſente non audent, recudunt, quas, antequam eum revocaſſes, machinati erant, easdem, quas in Concilio afferre auſi ſunt, & quas, cum toties, ut dixi, poſtularem, probare non potuerunt, ſi enim potuiſſent, non utique probroſa fuga ſe ludibrio eripuiſſent. Quid cauſæ eſſe potuit, ut poſt hæc Epiſtolarum tuarum, & promiſſi immemor fieres? Siſte! malorum hominum conſilia noli audire, ne alieno ſcelere conſcientiam tuam oneres; alienis vides oculis, perverſorum iſtorum, non tuo ductu, ageris. Jam Arianorum cauſam ſtrenue defendis, at in Dei judicio quis Arianorum te tuebitur? Privatum ſuum adverſarium per nefas proſternere volunt, te, Cæſar! inſtrumento utuntur, te Arianæ impietatis miniſtrum conſtituunt, ut in Eccleſia Dei hæreſin deteſtabilem diſſeminent. Prudentiæ tuæ eſt, ne, ut perditorum hominum cupiditati ſervias, propriæ ſalutis periculum ſubire velis. Obteſtor te, crede mihi, & mentem muta, Conſtanti! meum eſt in hunc modum ad te ſcribere, tuum vero Senis, & Patris conſilium non contemnere. Talis fuit Epiſtola Oſii, quæ tamen Imperatoris animum non fregit, nam *Athan. ad ſolit. p. 841.*

Sæculum IV. A. C. 355.

nam minas ingerere non destitit, vias nocendi quærens, & quamvis nulla persequendi Osium occasio inveniri posset, nisi quod alios Episcopos, præcipue in Hispania, commoneret, ne S. Athanasii innocentiam desererent, tamen Constantius, rursus adduci jussum, nulla habita ætatis ejus reverentia, nam annum plus minus centesimum agebat, anno integro Sirmii captivum tenuit.

§. XXIII.

Persecutio universalis.

Ibid. p. 829. Tum vero Ariani in omnes universim Catholicos furere cœperunt. Constantius Imperator in omnes Provincias ad Episcopos, & Judices mandata minantia mittebat; Episcopi jubebantur contra S. Athanasium subscribere, & cum Arianis communicare, indicta ipsis proscriptionis pœna, populis autem, qui ad ipsorum Ecclesiam convenirent, carcere, afflictione corporali, & bonorum suorum privatione. Judicibus, ut hæc exequerentur, præcipiebatur, & ne segnes esse possent, qui missi ad eos veniebant, socios habebant Clericos Ursacii, & Valentis, qui tarde Imperatoris mandata curantes denuntiarent. Omnis generis hæreticis libertas erat suas blasphemias publice docendi, soli Catholici premebantur.

Sæculum IV. A. C. 355.

bantur. Multi igitur Episcopi coram judicibus adducti, subscribere, aut Ecclesiis suis cedere compellebantur. Multi privati ex omnibus urbibus excesserunt, ne accusarentur, quod Episcoporum amici essent. Magistratibus quoque Municipalibus imperatum fuerat, ut, nisi in singulis civitatibus suos Episcopos ad subscribendum cogerent, ipsi pœna pecuniaria mulctarentur. Urbes omnes sollicitudo, & timor angebat. Non nulli Episcoporum ad Imperatorem ire coacti, ut ipsius Principis præsentia terrerentur; in quosdam calumniæ fingebantur, ut aliis metus incuteretur. Fuere non pauci, qui tot malis cedentes, S. Athanasii communioni renuntiarunt. Qui ad Imperatorem adducebantur, non admittebantur in conspectum, nec eis domo egredi licebat, nulla miseris quies dabatur, nisi subscriberent; renuentes in exilium ejiciebantur. Arianis summæ curæ erat partes suas plurimis subscriptionibus, etiam parum sinceris, augere. Imperator nunquam flecti se sinebat, ut Episcopos, propter fidem exules, revocaret, quamvis sæpe aliorum criminum reis, & propter furta, homicidia, seditiones proscriptis post paucos menses parceret.

Ad solit. p. 856.

Quicunque Arianorum amicus suisset, etsi aliunde gravium criminum reus, & convictus, non accusabatur, aut judi-

Ibid. p. 810. p. 812.

Sæculum IV. A. C. 355.

cio perfunctorie instituto absolvebatur, inde clarius ei inter illos nomen; Imperatoris amicis adscribebatur, quidquid petiisset a judicibus impetrabat. Contra, qui hæresi eorum infensus erat, etiam innocens, confecto crimine comprehendebatur, quod contumelioſe de Imperatore locutus sit, aut blaspheme in Deum; illico ab Imperatore judicatus, exulare cogebatur; In locum Episcopi depulsi statim mittebatur alius, Arianis ex asse devotus, quem populis, quis vir esset, ignorantibus, armatorum opera obtrudebant; si qui recusarent, summo rigore, & bonorum privatione puniebantur, illum odisse jubebantur, quem amabant, Præceptorem suum, Patrem spiritualem, & diligere hominem, quem aversabantur, eique liberos suos concredere, cujus vitam, & mores nesciebant.

§. XXIV.

S. Gregorii Nazianzeni, & S. Basilii initia.

Naz. Or. 4. p. 132.

A Galli Cæsaris nece Julianus, frater ejus, Athenis egerat, ubi adhucdum Philosophiæ, Eloquentiæ, & artium liberalium studia florebant; majorem partem hujus anni 355. ibi moratus inter alios sibi notos habuit S. Basilium, & S. Gregorium Nazianzenum, post hæc clariſſi-

Sæculum IV. A. C. 355.

clarissima Ecclesiæ lumina. Utriusque Patria erat Cappadocia; Basilii urbs paterna fuit Cæsarea, alias dicta Mazaca, inter civitates amplissima, Provinciæ Metropolis, cujus incolæ plerique fidem Christianam colebant. Gregorius Nazianzi, quæ etiam Dio-Cæsarea dicebatur, ortus, Patrem habebat Gregorium, tunc temporis illius urbis Episcopum. Filio natura ingenium docile dederat, & magnum litterarum amorem; puerum egressus, litterarum Causa Cæsaream Provinciæ caput missus est, & inde Cæsaream in Palæstina, ubi Magistrorum eloquentiam imitatus, mores vero aversatus est. Ille, sub quo particularius operam dedit, erat Thespesius. Eodem tempore Euzoius, postea ejusdem urbis Episcopus Arianus, ibi litteris incumbebat. Gregorius Alexandriæ quoque scientiis vacavit, inde navim conscendit, ut in Græciam veheretur; in illa navigatione exorta procella de vita periclitatus, in ultimas angustias redactus est, quod necdum esset baptizatus. Tandem feliciter Athenas delatus, pluribus annis in arte eloquentiæ exercitabatur, a corruptis Athenienſium moribus, erant enim vanarum rerum curiosissimi, solertissime sibi cavens.

Sup. l. XI. §. 30. Greg. Presb. Vita Naz. Greg. Naz. carm. 1. Hier. Script. in Euzoi. &c.

Basilius aliquanto serius Athenas venit. Parens ejus, etiam Basilius nomine, ex

Basil. ep. 331 Greg. Naz. or. 20. p. 318.

Sæculum IV. A. C 355.

ex Ponto originem traxerat, & Familia nobili, filius Macrinæ, quæ Neocæsareæ nata, Discipulos S. Gregorii Thavmaturgi Magistros habuerat. Ambo conjuges magno fidei zelo ardebant, plurima in persecutione Maximini Dajæ passi. Basilius eorum filius magnæ Doctrinæ eloquentiam, & solidam pietatem junxit, is Emmeliam, cujus insignis pietas, amorque in pauperes erat, uxorem duxit; ipsa quidem servare virginitatem maluisset, sed puellaribus annis parentibus orbata, cum intelligeret, se ob præclarissimam formam raptus periculo expositam, nubere constituit, ut securam se præstaret, virumque elegit Basilium, ex quo matrimonio decies mater facta est. Macrina ex hoc matrimonio natu maxima, Virgo permansit, omnium virtutum exemplar. Basilius inter filios primogenitus fuit. Gregorius Cathedram Nyssenam tenuit, & Petrus, natu minimus, Episcopus Sebastenus fuit. S. Basilius apud S. Macrinam, aviam suam paternam educatus, ab ineunte ætate sanam Ecclesiæ Doctrinam, ex S. Gregorii Thavmaturgi traditione hausit. Pater ejus quoque pietate, & litteris humanis filium imbuit. Tum ut plenius instrueretur Cæsaream missus est, atque exinde Constantinopolim, ubi Sophistas, seu Philosophos, quorum fama eminebat, audivit;

Basil. ep. 75. Sup. l. IX. §. 20.

Greg. Naz. vit. S. Macr. p. 178.

Basil. ep. 75.

Naz. or. 20. p. 325.

Sæculum IV. A. C. 355.

vit; tandem Athenas venit, ubi a S. Gregorio Nazianzeno, amico suo, exceptus est; amborum deinde amicitia ad extremum duravit.

Ibid. p. 327. Eunap. in Pisel.

SS. Gregorius Nazianzenus, & Basilius.

Gregorius primo adventu Basilio gratum præstitit obsequium, dum aliorum alumnorum insolentia liberavit. Quisque Sophistæ sui nomen, & famam præfervide defendebat ad eum prope modum, quo singuli ex populo in spectaculis alterutri eorum, quorum equi decurrendo certant, ardentius favent. Itaque juvenes isti, si quem novum Discipulum Athenas advenire præsciviissent, obviam ad portus, alios urbis aditus, imo & semitas desertas procedebant, exspectabantque venturos, tota Græcia spargebantur, populum, ut suæ potius quam alteri factioni assentiretur, cogentes. Postquam studiosum hospitem in suam, aut cujusdam amicorum suorum domum introduxissent, publicam disputationem sustinere debebat, nam cuivis recens advectum tentare, & impugnare licebat; cæterum plus terroris, quam nocumenti hoc pugnæ auguralis genus adventantibus ferebat, & multi, posita ferocia, ad futuram conversationem tractabiliores fiebant. Satis tentatum non sine ceremonia ad balneum deducebant, bini ante eum præcedentes, cum appropinquarent, clamare, & saltare, furentium more,

Sæculum IV. A. C. 355

re, incipiebant, seque ingressurum prohibituros simulabant; forium percursu, ingentique tumultu pavidum morabantur; tandem ingredi sinebant, atque exinde pro initiato habebatur, qui omni jure, & honore, studiosis Athenarum competente, gauderet. Gregorius, cum apud amicos prudentiam, & gravitatem Basilii, jamque comparatam sapientiæ famam dilaudasset, effecit, ut molesto occursu non vexarent.

Basilium brevi tempore inter leviss. mos Athenienſium juvenum mores fastidium subiit, ita ut discessisset, nisi a Gregorio fuisset retentus; Basilius adhuc juvenis ætate, senem gravitate referebat. Hominum existimationem magis virtute, quam scientia, & eloquentia, quamquam in utroque excelleret, sibi comparabat. Maximo conatu scientiis se impendebat, cum tanta ingenii capacitate valeret, ut omnia sine labore percipere posse videretur; hinc in paucis sui ævi doctus evasit. Forti facundia auditorum mentes movebat, & incendebat. Grammaticam callebat, qua arte linguæ Græcæ, Historiæ & Poetarum intelligentia comprehendebatur. Omnes Philosophiæ partes seu practicas, seu speculativas tenebat, & tantam logicæ argumentationis vim, ut ab ejus syllogismis nemo nisi peritissimus se expedire potuerit. Astro-

Greg. Nyss. in Basil. p. 911.

nomiæ

nomiæ quoque, Geometriæ, & Arithmeticæ, quantum opus erat, ſtuduerat, ut haberet, quod illis, qui in his Magiſtros ſe jactabant, reſponderet, cœtera, tanquam inutilia rejiciebat. Cum ſæpiſſime ægrotaret, inductus eſt, ut etiam Medicinæ operam daret. Ita S. Baſilius ſcientiis profanis vacabat, ut ſacras litteras, quas a teneris didicerat, non negligeret. Magiſtri ejus in eloquentia fuere Himerius, & Prophereſius, utpote in Cappadocia nati, populares ejus, & Chriſtiani. Sæculum IV. A. C. 355. *Socr. l. IV. c. 26. Soz. l. VI. c. 17.*

§. XXV.

Julianus Cæſar.

Cum Julianus Princeps Athenas venit, Baſilium, & Gregorium noſcendi occaſionem nactus eſt, in quorum ſocietate non ſolum litteris humanis, ſed etiam SS. Scripturis vacavit, quamvis jam tum Chriſto nuntium mittere apud ſe ſtatuiſſet, quod autem cordis ſecretum nemini aperire audebat. Ipſi depravatum hominis ingenium ex ejus Phyſiognomia, & omni exteriori habitu facile deprehenderunt. Erat ei modica ſtatura, collum groſſum, humeri lati, quos ſicut & caput creberrima jactatione commovebat; pedes infirmi, & greſſus vacillans. Oculi vivaces quidem, ſed vagi, & errantes. Aſpectus furorem, naſus faſtidium, & ſuperbiam *Amm. Marc. l. XXV. c. 5. Greg. Naz. or. 4. p. 122.*

Sæculum IV. A. C. 355.

perbiam ſpirabant, os late diductum, labium inferius dependens, barba rigens, & in acumen deſinens. Diſtorta vultus compoſitione riſum ſæpe movebat, capite ſine cauſa mutabat, riſus immodicus, & excuſſus. Elocutionem ſæpe interrumpebat, ut reſpiraret. Quæſtiones movebat abſurdas, reſponſiones dabat alteram altera impeditas, in quibus nec fundamentum ſolidum, nec methodus apparebat. Hunc aſpiciens Gregorius dicere ſolebat; quod monſtrum in hoc homine Romanum Imperium alit! faxit Deus, ut falſus Propheta ſim.

Amm. l. 15. c. 8. Zoſim. l. 3. init.

Julianus, Athenis degens, mandato Imperatoris in Italiam revocatur; periculum Gallicarum Provinciarum, quas Barbari invadebant, Conſtantium movit, ut eum, Cæſarem creatum, illuc mitteret, dum ipſe in Italia permaneret, ne a cœteris Imperii partibus nimium removeretur. Julianus ægre ferebat ab Athenis ſe avelli, ſive quod tantus ſcientiarum eſſet amor, ſive inimicorum ſuorum inſidias timeret, quem nempe fratris veſtigia terrebant; oculos lacrymis madentes ad templum Minervæ vertebat, cujus tutelam implorabat, nec fruſtra, nam Deam ſibi favorem ſuum pollicitam credidit, atque e Sole, & Luna Angelos in corporis cuſtodiam ſubmiſiſſe; ita hac de re ipſe loquitur. Mediolanum

Julian. ep. ad Athan. p. 504. 505.

Liban. pan. in Jul. p. 235

num devecto, rescinditur barba, & pal- Sæculum IV.
lium philosophicum detrahitur, a Con- A. C 355.
stantio coram militibus Cæsar declaratur Julianus Cæ-
octavo Idus Novembris Arbetione, & far.
Lolliano Consulibus, id est, sexta Nov.
anno 355. paucis abhinc diebus Constantius ei sororem suam Helenam in matrimonium dedit, jussitque, ut maturaret in Galliam iter; Cœterum occultos factorum ejus exploratores addidit, & omnia sic disposuit, ne sibi timenda evadere possit ejus potentia.

§. XXVI.

Persecutio in S. Athanasium.

Ab eo tempore, ex quo Montanus epi- *Sup.* §. 11.
stolam attulerat, viginti sex mensibus *ad Solit. p.*
nullum Imperatoris Constantii manda- 829.
tum ad S. Athanasium pervenit, sed statim post Concilium Mediolanense Imperator Ægypti Præfecto scripserat; frumentum, quod Constantinus Parens ejus Ecclesiis concesserat, Athanasio aufferret, & Arianis daret; & omnes, quicunque cum Athanasio communicantes insectari voluissent, impune facerent. Elapsis vi- *ibid. p.* 843.
ginti sex mensibus Diogenes, & Hilarius, Imperatoris Notarii, nempe viri a Secretis Cæsareis, & munere suo spectabiles advenerunt, Duci Ægypti, & militibus ejus minaces litteras afferentes,

Sæculum IV. A. C. 355.

ut omnes ad communionem Arianorum compellerent. Cum Diogenes juberet, ut Athanasius Alexandria excederet, petiit mandatum Imperatoris sibi exhiberi, idem Clerus, & populus Alexandrinus petebant; Diogenes nullas protulit epistolas, quibus Athanasius exire juberetur, nec in conspectum ejus venit, imo videns populum ad sui Episcopi defensionem arma parantem, re infecta, abiit.

Ad Solit. p. 845. *Apol. p.* 688.

Ergo ex Ægypto, & Lybia Legiones accersuntur sub Duce Syriano; is quamprimum Alexandriæ fuit, Ariani jactanter dicere, jam se, quod vellent, effecturos. Syriano instante, ut Athanasius ad aulam Imperatoris proficisceretur, rursus petiit videre litteras, quibus id juberetur, *ego enim*, inquiebat: *non aliter, quam expresso Imperatoris mandato redii; tribus vicibus ex hac causa ad me scripsit, & post fratris ejus Constantis obitum iterato mihi scripsit; in Ecclesia mea manerem, nihil timerem, nec ad eos attenderem, qui forte metum incutere tentarent; hæc ultima epistola mihi a Palladio, qui Magister Palatii fuit, & Asterio, aliquando Armeniæ Duce, reddita est. Cum ergo hic manendi jussa ab Imperatore mihi sint expressissima, nisi mandata contraria, Imperatoris manu signata, videro, non abibo; ne munera Episcopi memorem, quibus gregem meum derelinquere prohibeor, &*

Soz. IV. hist. c. 9. *Ath. apol. p.* 688.

S. Scri-

S. Scripturæ præcepta! Syriano fatente, sibi jussa, de eo expellendo, scripta non data, S. Athanasius vehementer postulabat, ut saltem ipse, vel Maximus Ægypti Præfectus hac de re ad Imperatorem scriberent, quod facere recusarunt, aut etiam palam edicere, quod ea, quæ agerent, se Imperatoris jussu agere. Hinc S. Athanasius jure sibi existimandum credidit, ipsos injussos, & Arianorum sollicitationibus corruptos hæc moliri, præsertim cum videret, eos nunquam non Arianorum caterva stipatos, quibus liceret eorum mensæ accumbere, & nihil Arianis insciis faciendum decerni. Igitur periculum manifestum, ne ipso absente, hæretici, ut lupi rapaces gregem suum invaderent, Athanasium in firmissimo proposito non discedendi confirmavit. Sæculum IV. A. C. 355. *p.* 690.

Populus Alexandrinus, Presbyteri, & maxima civitatis pars Syrianum adierunt, rogantes, ut vel Athanasio, quæ sibi imperata essent, scripto indicaret, vel eo usque suos Conventus impedire differret, donec ipsi Delegatos ad Imperatorem misissent. Cum in hac petitione diu perstitissent, Syrianus, justa peti agnoscens, per Imperatoris vitam juravit, promittens se, quod peterent, facturum; hoc edixit in præsentia Præfecti Maximi, Notarii Hilarii; audientibus duabus officialium cohortibus, Duce, & Præfe- *p.* 689.

Sæculum IV. A. C. 356.

Præfecto, & Prytani urbis Magistratu, fidei datæ depositario. Hoc actum 18. Januarii anno 356. Tum populus Catholicus libere ad consuetos conventus pro more se contulit.

§. XXVII.

Epistola S. Athanasii ad Episcopos Ægypti.

orat. 1. in Ar. p. 283. ibid. p. 287.

Interim S. Athanasius epistolam circularem ad Episcopos Ægypti, & Lybiæ dedit, ut animos ad ferendam Arianorum persecutionem adderet. Epistolæ suæ causam his verbis indicat: *certa scientia teneo, quosdam Arianos convenisse, & scriptum Symbolum de fide composuisse, quod ad vos mittent subscribendum, & addent minas, omnes, qui recusaverint, in exilium pellendos; jamque hujus vicinia Episcopos terrefacere cœperunt.* Hoc Arianorum scriptum forte fuerit epistola Imperatoris Constantii, quam in Concilio Mediolanensi anno superiore protulerant; aut forte aliquam fidei confessionem Antiochiæ concinnaverant, quando Georgium in Episcopum Alexandrinum ordinaverunt. Ut ut res se habeat, duo in hoc molimine Arianos sibi efficienda proposuisse dicit, *primo*, inquit: *ut vestris subscriptionibus probrosum Arii Nomen obtegant, ipsique hæresin ejus sectari*

Sup. §. XVI.

Athan. or. 1. instr. p. 288.

non

non videantur, secundo, ut Concilium Nicænum obscurent, & fidem in eo expositam deleant.

Hæc Arianorum inconstantia, & frequentissimæ fidei formulæ ignorantiæ eorum, & malæ fidei signa sunt manifesta; aut enim sine causa formulas multiplicant, aut hæresin fovere, & sub vocibus ambiguis occultare volunt, quam nudam in lucem producere pudet. Hoc autem eorum mentem apertissime prodit, quod recipiant, & adhæreant Arianæ hæresis præcipuis fautoribus, quales sunt Secundus Pentapolitanus, Georgius Laodicenus, Leontius Eunuchus, Ursacius, Valens, aliique, a p. 289. *Concilio Sardicensi depositi. Eadem est causa, quod Episcopos constituerint, homines e procul sitis Regionibus accersitos, & populis ignotos, ut Cecropium Nicomediensem, & Auxentium Mediolanensem, quod scirent, hæresi suæ propugnandæ paratissimos.*

Hinc etiam, pergit S. Athanasius: p. 290. *in hanc urbem quemdam ex Cappadocia, Georgium nomine, cujus operam, cum ad quodvis facinus esset venalis, multa pecunia coemerunt, volunt immittere; quantæ autem auctoritatis homo sit, ex eo cognoscite, quod ne quidem Christianus esse feratur.* Deinde celeberrimos sui temporis Episcopos, & fidei constantia præcipuos enumerat, nempe primo, Magnum Christi

Sæculum IV. A. C. 356.

Christi Confessorem, Osium, Maximinum Galliæ, & Successorem ejus, id est, Paulinum Trevirensem, Philogonum, &
p. 291. Eustathium in Oriente, id est, Antiochiæ, Julium, & Liberium Episcopos Romanos, Cyriacum ex Mœsia, Pistum, & Aristum ex Græcia, Silvestrum, & Protogenem ex Dacia, id est, Sardicenses, Leontium, & Eupsichium ex Cappadocia, Cæcilianum ex Africa, id est, Carthaginensem, Eustorgium ex Italia, Capitonem ex Sicilia, Macarium Jerosolymitanum, Alexandrum Constantinopolitanum, Pederotum Heracleensem, Basilium, Meletium, Longinum ex Armenia, & Ponto, Lupum, & Amphionem ex Cilicia, Jacobum ex Mesopotamia, id est, Nisibitanum, & Alexandrum Alexandrinum.

Ut artes Arianorum, errores suos dis-
p. 294. simulantium, eluderet Athanasius, Arii opinionem fideliter & absque fuco exponit, qualem primo, cum ex Ecclesia ab Alexandro Episcopo suo ejectus est, pro-
p. 296. ferebat; eam deinde refellit, adductis clarissimis ex S. Scriptura textibus, & in fine solerter indicat, quomodo ea, quæ
p. 299. de JEsu Christo tanquam Deo dicuntur, ab iis, quæ dicuntur, tanquam homine,
p. 301. distinguenda sint. Arii mortem, tanquam fraudis, & perjurii pœnam, memorat. Hortatur Episcopos, ut fidei Ni-

cænæ

cænæ adhæreant, ab hæreticis sibi caveant, & fortiter resistant, cum hic de Religionis Summa agatur. *Martyrium*, inquit: *non in hoc solo consistit, ne quis incensum Idolis offerat, est & Martyrium mentis, quod consistit in eo, si quis fidem non neget. Judas proditor non Idolis sacrificavit, neque Hymeneus, & Alexander, quorum fides naufragium passa est. Econtra Abraham, David, Samuel, & alii, quorum fidem S. Paulus laudat, sanguinem suum non dederunt. Ariani, & Meletiani ob lites sectæ suæ peculiares odio se prosequuntur invicem, sed, ubi de oppugnanda veritate agitur, unitos videbis. Non hodie primum Ecclesiæ hostes esse noscuntur, quinquaginta quinque anni sunt, ex quo Meletiani in schismate esse cœperunt, & triginta sex, ex quo Ariani totius Concilii universalis judicio hæretici declarati, & Ecclesia ejecti sunt.* Hic intelligi debet Concilium a S. Alexandro cum Episcopis Ægypti anno 320 actum, quia hæc epistola serius, quam anno 356 scripta esse non potest, & Meletianorum Schisma circa annum 301 initium sumpsit. Per totam hanc epistolam S. Athanasius, quantum potest, bonam Constantii voluntatem excusat, omnis mali causam in Arianorum nequitiam refundens.

Sæculum IV. A. C. 356.

p. 304.

2. *Tim.* 2, 17. 4, 14.

Heb. 11.

p. 305.

Sup. l. X. §. 31.

Sup. lib. VIII. §. 24.

§. XXVIII.

Sæculum IV. A. C. 356.

§. XXVIII.

Syriani violenter acta.

Protest. pop. ap. Athan. p. 866.

Contra fidem datam a Syriano 18. Januarii, elapsis viginti tribus diebus, nempe nona Februarii, populo de nocte in Ecclesia S. Theonæ ad vigilias, & orationes congregato, quia sequenti die, quæ erat Veneris, Mysteria celebranda erant, is ipse Syrianus circa medium noctis Hilario comitante, & ducentibus Arianis ad Ecclesiam venit; ultra quinque millia virorum ex Legionibus sequebantur; galea tegebantur, nudos enses tenentes, arcus quoque, & alia armorum genera gerebant. Hæ copiæ Ecclesiam, ne quisquam effugere posset, cinxerunt. S. Athanasius in hoc periculo populum suum derelinquendum non existimavit, mansit sedens in Cathedra sua, & a Diacono unum psalmorum prælegi jussit, quo Misericordia Dei manens in æternum celebratur; plebem autem monebat, ut quisque in domum suam se reciperet. Diacono legente, milites, effractis foribus, Ecclesiæ infunduntur, militari clamore arma concrepantes, ferri fulgore, qui ad lampadarum lucem internitebat, terrorem augente. Tunc Syriano imperante, ut ferirent milites, multi sagittis confixi, alii, ingredientium militum impetu in terram dejecti, proculcati sunt.

Athan. de fuga. p. 717.

sunt. Non nullis virginibus anima elisa est, aliæ spoliatæ nuditatis confusionem, tormentum ingenuis puellis morte gravius, pati coactæ. Militum pars Sanctuarium ad comprehendendum S. Athanasium obsidebat; ipse in Cathedra sua persistens, omnium ultimus exire statuerat, quamvis qui de Clericis, & populo proximi stabant, hortarentur ut fuga se subtraheret. Tandem assurrexit, & ultimam orationem recitari præcepit, iterumque obtestabatur omnes, ut discederent, præstare se solum periculo objici; plerique exierant, & sequebantur cœteri, tunc Monachi, & Clerici qui ultimi supererant, cunctantem injectis manibus secum abstrahunt. Tanta erat in fugientium multitudine compressio, ut periclitaretur Athanasius, ne membra a membris avellerentur; certe animo linquebatur, & exspirasse creditus, a suis asportatus est; itaque per medios satellites, non Sanctuarium modo, sed etiam Ecclesiam cingentes efferri, & salvari potuisse, prodigio simillimum fuit. Tum hostes Ecclesiam diripere, confringere portas, omnes in loca Sancta intrare, quo nec omnibus Christianis ingredi licebat. Gorgonius civitatis centurio huic tumultui aderat. Sæculum IV. A. C. 356.

Corpora mortuorum a militibus auferri jussa, ut occultarentur; at occisæ

Sæculum IV. A. C. 356.

Virgines in sepulchris conditæ, & Martyrum cultu honoratæ sunt. Hodiedum omnium illorum, qui hac occasione vita functi sunt, memoria agitur. Fideles in Ecclesia sagittas, gladios, & alia arma suspenderunt, irrefragabile rei hujus testimonium futura, & præterea edito libello contra vim illatam publice protestati sunt. Syrianus cogere volebat, ut hanc protestationem retractarent, & neminem in illo tumultu fuisse occisum testarentur; imo quosdam, ad se venientes, ut orarent, ne quemquam ad negandam veritatem vi compelleret, fustibus cædi jussit. Sæpius misit cohortis suæ lictorem, & civitatis centurionem, ut arma in Ecclesia suspensa aufferrent, quod fieri Catholici prohibuerunt, & secundam protestationem ediderunt, cujus initium hoc est:

Martyr. Rom. 28. Jan.

§. XXIX.

Protestatio populi Alexandrini.

Ap. Athan. p. 866.

Populus Ecclesiæ Catholicæ Alexandrinæ, qui sub Reverendissimo Episcopo Athanasio est. Semel antea propter aggressionem nocturnam, in nostram Ecclesiam attentatam, protestati sumus, quamvis in re toti Civitati notissima protestatione opus non sit. Corpora occisorum publice exposita jacuerunt. Arma, & arcus in Ecclesia

Sæculum IV. A. C. 356.

clesia suspensi vindictam clamant. Cum autem Illustris Dux Syrianus compellere nos velit, ut dicamus, nullum extitisse tumultum, signum est manifestum, ipsum præter Clementissimi Imperatoris Constantii voluntatem egisse, nam si ejus imperio feciisset, quid causæ esset, cur sibi timeret? Et deinde: *Quidam ex nostris ad Piissimum Imperatorem proficisci parati sunt, itaque per Deum omnipotentem, & per ipsius Imperatoris Salutem Præfectum Ægypti Maximum, & Curiosos obtestamur, ut Imperatori, & Prætorii Præfectis omnia perscribant. Obsecramus etiam omnium navigiorum Dominos, ut hæc ubique publicent, hæc ad aures Imperatoris, Præfectorum, & cujusque in loco judicis deferant, ut bellum, quod Ecclesiæ infertur, nemo ignoret, atque Syrianum Imperatore Constantio Virgines, aliosque Fideles Martyrio affeciisse; nam vigilia, diei quintæ ante Idus Februarii, id est, 14. mensis Mechir cum in Ecclesia vigilaremus, & oraremus.* Hic omnia, sicut acciderant, enarrant. *Mechir* erat sextus apud Ægyptios mensis, cujus initium erat vigesima sexta Januarii, dies decima quarta incidebat in Februarii octavam, id est, in diem Jovis, nonæ vigiliam, quæ hoc anno 356. erat dies Veneris. Hoc scriptum ita clauditur: *Si Imperatoris mandato premimur, omnes ad sustinendum*

Sæculum IV. A. C. 356. *Martyrium parati sumus, si hæc injussu Cæsaris passi sumus, rogamus Maximum Ægypti Præfectum, & omnes Magistratus, ut nos a tanta injuria securos imposterum præstent. Rogamus etiam, ut Imperatoris reddatur libellus supplex, quo petimus, ne quis alium Episcopum in urbem nostram introducere moliatur; mortem omnes subibimus amore Reverendissimi Athanasii, qui nobis ab initio juxta Patrum nostrorum successionem Dei gratia concessus est, quem Imperator Constantius cum litteris, juramento firmatis, ad nos misit; quis credat tantum Imperatorem fidem datam violaturum? imo persuasum nobis habemus, postquam, quæ contigerunt, resciverit, indignationis signa daturum, jussurumque, ut Episcopus Athanasius apud nos remaneat. Datum sub Consulatu eorum, qui post Arbetionem, & Lollianum Consules designabuntur,* 17. *Mechir.* Id est pridie Idus Februarii seu duodecima anno 356.

Hoc Libello Alexandrini apud Constantium Imperatorem nihil effecerunt, cui omnia, quæ acta fuerant, placuere; datis ad Senatum, & populum Alexandrinum litteris, pubem excitabat, ut concurrerent, & Athanasium persequerentur, nisi se iratum vellent. Pudorem leviter mutati animi levabat, dicendo; se quidem non aliter Athanasii reditum tole-

ad Solit. p. 843.

Sæculum IV. A. C. 356.

toleraſſe, quam ut interim amicitiæ fratris aliquid daret, cum autem modo hunc virum relegaret, Magni Conſtantini Parentis ſui exemplum imitari, qui eundem in Gallias proſcripſiſſet. Tandem facti hujus probrum zelo conſervandæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ tegebat. Hæc epiſtola a Comite Heraclio allata, & promulgata. Edixit quoque Imperatoris nomine, niſi Alexandrini obedirent, panum largitionem beneficio Reipublicæ fieri ſolitam abrogaturum, pluresque tam ex Magiſtratu, quam populo ad fiſci ſervitutem redacturum. Etiam Idola a ſe evertenda minabatur, ut Paganos, quorum magnus erat numerus, terreret; dum hæc minaciter jactaret, publice addebat, inviſum Imperatori eſſe Athanaſium, eumque præcipere, ut Eccleſiæ Arianis traderentur; ſtupebant omnes, &, fixo quisque in alterum obtutu, interrogabat, num in hæreſin lapſus eſſet Conſtantius? ſed his majora egit Heraclius; Senatores, Magiſtratus, & Paganos templorum Idolis ſacrorum cuſtodes compulit, ut ſcripto promitterent, ſe Epiſcopum, quem Imperator miſſurus eſſet, recepturos; Pagani non ægre hoc promiſſo Idolorum ſuorum ſecuritatem, & opificia ſua divendendi libertatem redimebant, præterea Principis voluntati obtemperabant, cui competere credebant, urbi, quem vellet

v. inf. §. 48.

ibid. p. 846.

Sæculum IV. A. C. 356. Episcopum, sicut Provinciæ Prætorem dare.

§. XXX.

Heraclius vim adhibet.

ad Solit. p. 847. Catholicorum resistentia brevi novorum malorum causa fuit. Quodam die Mercurii, qui erat dies stationis, cum populus in magna Ecclesia conventum ageret, Comes Heraclius secum ducens Præfectum Ægypti Cathaphronium, Faustinum Catholicum, seu quæstorum omnium præpositum, & hæreticum nomine Bithynum, allegato Cæsaris mandato, juniores ex Idololatris, quos forte in foro stantes vidit, excitavit, ut Ecclesiam intrarent, & lapides in populum jacerent. Jam tunc concio erat soluta, & plerique Fidelium diffluxerant, paucæ tantum supererant fæminæ, ibi sedentes, haud dubie, ut ab oratione, quæ tunc stando peragi solebat, paululum quiescerent. Subito irruunt pueri nudo corpore, fustibus armati, & lapides jacientes; verberant Virgines, capitis velamen diripiunt, cumque eæ resisterent, pedibus percutientes, probra procaciter ingerebant; ipsæ, ne talia audirent, tanquam a morsu aspidis fugiebant. Hæc Arianis risu digna videbantur. Tunc Gentiles scamna, Cathedram, Altare, quod ex ligno erat, Ecclesiæ vela, & quæ-

quæcunque loco movere potuerunt, auferunt, & ante principalem Ecclesiæ portam in magna area cómburunt; simul incensum in hunc ignem injiciebant, laudantes Idola sua, & dicentes: *Constantius Idola adorat, & Arianis Religio nostra placet.* Imo buculam, cujus opera in illa urbis regione aqua irrigandis hortis extrahebatur, apprehensam immolare parabant, nec abstitissent, nisi fæminam esse agnovissent, quas Diis in Sacrificium offerre nefas ducebant. Sæculum IV. A. C. 356.

In hoc tumultu duo acciderunt, quæ sensibilia Divinæ vindictæ signa credi potuere. Ex caterva puerorum aliquis Cathedræ Episcopali insedit, naso inhoneste sibilans, tum surgens, Cathedram disrumpere nitebatur, dum omnem virium conatum adhibet, acutum ligni frustum ventrem trahentis perforat, tam lato vulnere, ut ilia erumperent; concidit, asportatur, altera die animam egit. Alius intravit Ecclesiam cum foliis, quæ Paganorum more quatiens, pueriliter insolescebat, illico oculis ludentis tenebræ offunduntur, ita, ut nihil videns, nesciret, ubi esset; cecidisset, nisi manu tenuissent, & abduxissent; vix satis post unius diei spatium mens rediit, tuncque, nec quid feciſſet, nec quid sibi accidisset, reminiscebatur. Hæc exempla Gentiles permo-

Sæculum IV. A. C. 356.

verunt, ut furere desinerent; Arianorum contra inde contumacia crevit.

§. XXXI.

Georgius intruditur in Sedem Alexandrinam.

Amm. Marc. l. XXII. c. 11.

Greg. Naz. or. 21. p. 382. Ath. ad Solit. p. 844. c. 861.

Georgius, quem Episcopum Alexandrinum ordinaverant Ariani, erat natione Cappadox, obscuris natalibus, fullonis filius. Juveni parasitorum conditio præ cœteris placuit, eratque illi semper amicissimus, cujuscunque mensa lautius gulam satiasset. Deinde negotiationi se dedit, & quæ militibus alendis caro porcina distribui solebat, hanc ipse coëmendi curam in se suscepit; at pessime administratione sua functus, omnibusque, quæ habebat, consumptis, Constantinopoli, ibi enim egregium munus obierat, auffugiens, per varias Provincias erravit. Homo scientiarum omnium expers, ingenii illiberalis, & injucundi, amœnioribus Musis ignotus, Christianus nomine, re Gentilis eam Doctrinam sequebatur, quæ rebus suis utilior videbatur; pietatem nequidem externe profitendi cura erat; sed avaritiæ vitium non premebat, ad omne malum pronus, perturbator pacis, & natura ad crudelitatem comparatus.

Ath. de Synod. p. 912. Idem in Ar. or. 1. p. 290.

Tan-

Tantum virum Ariani præ cœteris omnibus dignum judicarunt, qui, S. Athanasio depulso, Sedi Alexandrinæ imponeretur, quia rebus gerendis parem, & suæ factionis ex asse devotum credebant. Ab ipsis in Episcopum ordinatus creditur Antiochiæ in Conciliabulo triginta Episcoporum suæ factionis congregato, anno 354. ubi iterum damnato S. Athanasio, ad omnes deinde Episcopos litteras dederunt, ne quis cum eo communicet, sed Georgio, quem ordinassent. Quidquid vero de ejus ordinatione sit, Alexandriam ingressus tempore Quadragesimæ hujus anni 356. ad festa Paschalia furere cœpit. Populus Catholicus relicta Ecclesia illa S. Die, & Dominicis sequentibus in loco deserto prope cœmeterium congregatus est. Septimana Pentecosten sequente, populus, postquam jejunasset, in eundem locum ad orandum venit, quod ubi Georgius scivit, Ducem Sebastianum, qui erat Manichæus, instigavit, ut illuc iret; fecit ille, quod petebatur, & ipsa Dominica illuc ultra tria armatorum millia duxit; ergo populum istum mixtis mulieribus, & infantibus ad orationem congregatum armata manu invadunt, dilapsa tamen majori parte, pauci remanserant. Sebastianus, cum ingentem rogum accendi jussisset, mortis horrendæ metu a Virginibus extorquere

Sæculum IV. A. C. 356.

Sozom. III. hist. c. 7. in fin. id. l. IV. c. 8.

Pagi an. 354. §. 9.

Ap. p. 692.

de fuga. p. 704.

Sæculum IV. A. C. 356.

volebat, ut, se Arii Doctrinam sequi, profiterentur, & dum, ad flammarum aspectum imperterritæ, fidem negare recusant, velamine spoliantur, percutiuntur in facie, & ea crudelitate deformantur, ut post longum tempus eorum vultus a sibi antea familiarissimis vix agnosci potuerit. Ipso jubente, quadraginta viri comprehensi, quorum dorsa palmarum ramis, recens ab arbore divulsis, & adhuc spiculis armatis concisa sunt; palmarum flagellatorum carni ita profunde incussi, ut iis extrahendis arte chirurgica opus fuerit, & incisionibus cruentis, atque non nulli ex hac laniena extincti sint. Quædam Virginum eadem sævitia cæsæ. Occisorum corpora postulantibus propinquis non restituebantur, sed primum occultata, deinde canibus projiciebantur, unde a suis non sine periculo ablata, secreto sepeliebantur. Hi inter Martyres relati sunt, eorumque memoriam 21. Maji Ecclesia agit. Qui superstites fuere, in desertum, quod magnam Oasin dicebant, in exilium migrare compulsi sunt.

ad Solit. p. 859.

Martyr. Rom.

§. XXXII.

Persecutio in urbe Alexandria.

ad Solit. p. 849. 859.

Athanasii investigandi specie quædam domus obsignatæ, aliæ direptæ, etiam sepulchra perfracta, & aperta; depositæ,

posita, quæ S. Athanasius hominibus ex- Sæculum IV.
ploratæ pietatis crediderat, ablata. Ca- A. C. 356.
tholici majorem bonorum suorum partem dare cogebantur, ut minorem servare liceret, & mutuas pecunias accipere, quibus Arianorum vexationes redimerent. Ut eorum occursum vitarent, *p.* 853.
aliqui de vico in vicum, de civitate in suburbana migrabant, si qui Catholicos in domos suas recepissent, eadem immanitate ab Arianis vexabantur. Alii in deserto pernoctabant, alii malebant mari se credere, quam continuas eorum minas audire, semper enim Imperatoris Nomen crepabant. Multas Virgines suis e do- *p.* 150.
mibus rapuerunt, alias in plateis insectabantur; præcipue mulierum Arianarum intolerabilis erat arrogantia, quæ Bachantium more decurrentes, occasionem fœminis Catholicis insultandi captabant.

Ducis Sebastiani imperio Presbyteris, *p.* 852.
& Diaconis, qui Ecclesiæ Alexandrinæ a
S. Petri, & S. Alexandri temporibus mi- *p.* 858.
nistrabant, pulsis, illi, qui ab initio cum
Ario ejecti fuerant, reducti sunt; inter *p.* 859.
alios Presbyteros duo Hierax, & Dioscorus in exilium missi, & Domus eorum *p.* 852.
Arianis in prædam cesserunt. Quædam Virgines columnis alligatæ, & earum latera in tertiam usque vicem lacerata, qua pœna etiam maximorum criminum

rei

Sæculum IV. A. C. 356.

rei affici non solebant. Quidam Subdiaconus nomine Eutichius, dorso ejus loris bubulis flagellato, ita ut tantum non fuerit necatus, ad fodinas Phainenses missus est, locum insalubrem, ubi damnati vitam ultra paucos dies non trahebant, huic paucas horas non indulserunt, ut ligandi vulnera ejus esset tempus, sed crudeli festinatione abductus, animam in via Deo reddidit, Martyrii gloriam assecutus. Ipsius memoriam agit Ecclesia cum aliis Martyribus, qui in Persecutione Georgii passi sunt; dum populus pro Eutichii liberatione deprecabatur, instantibus Arianis quidam nomine Hermias, & tres alii spectabilis conditionis comprehensi sunt, quos Dux Sebastianus, verberibus concisos misit in carcerem; Ariani querentes, quod vivere sinerentur, minabantur, se litteras ad Evnuchos daturos; his perterritus Dux altera vice verberibus tundi innocentes jubet, nihil aliud dicentes, quam hæc pauca: *proveritate verbera sustinemus, nolumus cum hæreticis communicare, verberate ad satietatem vestram, Deus judicabit,* volebant deinde Ariani, ut in carcere extinquerentur, at populus captata occasione post dies septem obtinuit, ut dimitterentur. Tunc Ariani, rabiem, quam in his quatuor explere non potuerant, verterunt in pauperes; nam postquam Dux

Martyr. Rom.

Aria-

Arianos in possessionem Ecclesiarum miserat, exclusi pauperes in illis locis sedebant, quæ sibi a Clericis, eorum curam gerentibus, assignata erant, Arianis autem intolerabile videbatur, quod a Catholicis abundanter stipem acciperent, ideo viduas impactis calcibus ejecerunt, & eleemosinam dantes ad Sebastianum tanquam gravis delicti reos detulerunt; ipse utpote Manichæus, & hoc ipso pauperum, & eleemosinæ hostis, hos accusatores benigne excepit. Erat ergo tunc novum, & inauditum criminis genus, miseris succurrisse. Hac crudelitate Ariani omnium hominum invidiam contraxerunt, eosque ipsi Gentiles, ut infames innoxiorum carnifices execrabantur. Cœterum hic videmus pauperes in Ecclesia habitasse, id est, in ædificiis contiguis, aut certe locus ibi erat assignatus, quo eleemosinas acciperent. Sæculum IV. A. C. 356.

§. XXXIII.

Episcopi Ægypti expulsi.

Persecutionis furor ex urbe Alexandria in totam Ægyptum, Lybiamque pervasit. Missum erat a Constantio Decretum, ut depulsis Episcopis Catholicis, Ecclesiæ Arianis traderentur, quod Sebastianus strenue exequi cœpit, datis ad Prætores inferiores, & Duces militares litte- *Apol.* 1. *p.* 697. *Ad Solit. p.* 857. 858.

Sæculum IV. A. C. 356.

litteris. Ergo Episcopi capiuntur, Presbyteri, & Monachi, antea prope ad necem verberibus affecti vinculis onerantur; tota Provincia turbatur, populus tam ob legis iniquitatem, quam rigorem executionis murmurat, quamvis enim Principis mandatum non aliud ferret, quam ut Patria pellerentur, tamen trans externas Provincias in remotissima, & situ horrentia deserta trahebantur, nempe, qui in Lybia habitassent in magnam Oasin Thebaidis, qui in Thebaide in Lybiam Ammoniam. Ita viri senectute venerabiles, multorum annorum Episcopi affligebantur, quorum aliqui a tempore S. Alexandri, alii S. Achillæ, & alii S. Petri, qui Martyrium ante quadraginta quinque annos subierat, Episcopali Dignitate fulgebant. Eo fine per tot deserta ducebantur, ut in iis perirent, nec enim ægrotantium ulla erat miseratio, nec ideo mollius, aut lentius vehebantur, sed seretro impositi raptabantur, & sequebantur habentes instrumenta, quibus defuncti in via sepelirentur. Quosdam in loco exilii fata rapuerunt, quosdam in via. Fuit, cujus extincti corpus aufferendi licentia propinquis ejus denegata est. Hoc modo ferme nonaginta Episcopi vexati sunt, nempe ferme quotquot in Ægypto, & Lybia numerabantur. Sedecim fuere proscripti, ultra triginta pulsi, non nulli metu

ad Solit. p. 863.

Apol. 1. *p.* 692.

Ad Afric. p. 940.

De fuga. p. 705.

Sæculum IV. A. C. 356.

metu victi mentem dissimularant, hos inter Theodorus Oxirincius legitur, qui a Georgio secundo ordinari sustinuit.

Marc. & Fausl. p. 777.

Inter Episcopos proscriptos erat Dracontius, cui, ut Episcopatum susciperet, persuadere tantæ molis fuerat, atque inter Episcopos persecutionem passos, illos rursus invenimus, quorum exemplum ei S. Athanasius sequendum proposuerat, quod e Monasterio ad Episcopatum fuerint assumpti; Dracontius in Deserta prope locum Clysma dictum in littore maris rubri missus, & in castro Thebatensi incluſus, ubi ad eum S. Hilarion invisit. Idem etiam invisit ad Episcopum Philonem, Babylonem in secunda Augustamnica relegatum. Adelphius Psinablam in Thebaide sitam missus est, atque is fuisse creditur, ad quem S. Athanasius dedit epistolam, ut illum Arianorum errorem refelleret, dicentium; JEsu Christi carnem non esse adorandam; in hac epistola probat, Christi carnem esse adorandam, qui Divinitati unita est, & solide in JEsu Christo unitatem Personæ, non obstante naturarum distinctione, demonstrat. Adelphium nomine Confessoris honorat, inde hæc epistola post ejus exilium scripta creditur. Presbyter Hierax, cui S. Athanasius epistolam suam communicari permittit, e numero Confessorum exulantium erat. S. Serapion quoque

Sup. §. 12.
Ad Dracon. p. 957.

Hier. vita Hilar. c. 25.
inf. §. 37.

Hier. de Script.

Sæculum IV. A. C. 356.

que Thmovitanus in eadem persecutione multa tulit. Quædam Monasteria eversa. Multi Monachi in tanto Arianorum furore vix flammas effugerunt.

Ad Solit. p. 856.

§. XXXIV.

Episcopi intrusi.

ibid. Apol. p. 693.

In Sanctorum Episcoporum locum perditi juvenes sufficiebantur, adhuc Pagani, aut vix satis Catechumeni, non nulli bigami, alii gravioribus criminibus infames. Solæ, & necessariæ ad Episcopatum obtinendum dotes erant, Arianam hæresin profiteri, divitem esse, & inter suos potentia sæculari prævalere. Episcopalem Dignitatem emebant, haud secus, ac in foro publico alimenta solent.

Ad Solit. p. 863.

Perfecto emptionis contractu Ariani assumptis militum præsidiis clientem suum eligi curabant, & in possessionem mittebant. Plerumque Decuriones, aliique Civitatum Magistratus hoc ritu in Episcopos eligebantur, ut prima sede, & exemptionibus frui possent. Ad tales pro data pecunia recipiendos promptissimi erant Meletiani, qui SS. Scripturas rarissime legebant, vixque Doctrinæ Christianæ Summam didicerant. Hi Episcopi nec muneris sui præstantiam, nec veræ, falsæve Religionis diversitatem intelligebant, ex Meletianis facile Ariani fiebant, parati,

parati, quotiescunque Imperator jube- Sæculum IV.
ret, aliam, atque aliam Religionem pro- A. C. 356.
fiteri, dum ſuper alios eminentiam, & a tributis exemptionem ſervarent. Intus Gentiles, foris Religionem ad regulas humanæ prudentiæ accomodabant. Mercenarii iſti fidem in Ægypto corrumpere cœperunt, quæ hucusque libere prædicata fuerat, cumque boni Fideles ab eorum communione refugerent, Duci Sebaſtiano nova occaſio nata eſt, qua Catholicos cæderet, in vincula conjiceret, & bonis privaret. Barcæ in Pentapoli *ad ſolit.* Presbyter erat, nomine Secundus, qui *p.* 853. Epiſcopo ejusdem ſecum nominis, & inter Arianos ſpectabili ſubjici noluit, quapropter is Epiſcopus, & quidam Stephanus, abhinc ab Arianis ad Epiſcopa- *Philoſt.* tum in Lybia promotus, juncta opera Se- *L. VII. c. 2.* cundum Presbyterum ita atrociter calcibus percuſſerunt, ut Spiritum eliſerint, oranti: *Nemo mortem meam in judicio ulciſcatur, Dominus noſter, cujus amore patior, vindicabit*; ſed nec morientis verba, nec ſanctitas temporis barbaros animos movit, quippe in Quadrageſima hoc homicidium, Arianorum ſævitia dignum, perpetrarunt.

Georgio Pſeudo-Epiſcopo Alexandri- *Greg. Naz.* no ad coacervandas divitias, & augen- *or. 21. p. 385.* dam potentiam nec animus, nec ſolertia deerat; ſolius poteſtatis ſæcularis au-

Sæculum IV. A. C. 356.

xilio, & Constantii potestate sustentabatur, cujus levitate animi, & falso Religionis zelo abutebatur. Pauperum patrimonium, id est, Ecclesiæ suæ Reditus qui erant amplissimi, ad conciliandam sibi Ministrorum in aula, præcipue autem Evnuchorum in Palatio gratiam impendebat. Cæterum una manu sponte oblata accipiebat, altera, quæcunque cuperet, ab invitis rapiebat. Privatis a Parentibus relictam hæreditatem auferebat. Salis quoque nitrarii Monopolium invasit. Stagna omnia, quibus papyrus Ægyptiaca gignebatur & paludes salarias sibi extorsit. Nullus acquirendi modus extra curam fuit. Mos erat, mortuos ad sepulchrum deferre in lectulis, tales certo numero jussit confici, iisque defunctorum cadavera, etiam advenarum devehi, constituta id negligentibus pœna, & pro singulis funeribus, quod sibi penderetur, vectigali. Vita ejus voluptatibus turpis, & ingenium ad crudelitatem factum. Plures accusabat apud Imperatorem, quod mandatis Principis non, ut par erat, morem gererent, qua de re ipsi Gentiles querebantur, muneris sui Episcopalis non esse observantem, quod nihil nisi justitiam, & clementiam requireret. Consilium Imperatori nequissimum suggessisse ferebatur, omnium domorum Alexandriæ proventus fisco appli-

Epiph. hær. 76. n. 1.

Amm. Marc. Lib. XXII. n. 11.

Sæculum IV. A. C. 356.

applicari posse, quod a civitatis origine Alexandri Magni ejus fundatoris sumptibus fuissent exstructæ, in cujus jura Imperator successisset. Itaque omnium, & maxime Gentilium atrox odium in se concitavit, apud omnes non Episcopus, sed Tyrannus audiebat.

Georgii Alexandrini Tyrannis.

Populus, in furorem actus, quadam die in Ecclesia existentem aggressus, occisurus erat; ægre tamen elapsus, ad Imperatorem confugit. Interim qui S. Athanasio adhærebant, nempe Catholici, in possessionem Ecclesiarum redierunt, quas non nisi brevi tempore retinere licuit, nam Dux Ægypti superveniens, illis, qui ex parte Georgii stabant, restituit. Inter hæc Notarius Imperatoris advenit, qui pœnas ab Alexandrinis reposceret; is multos verberibus, tormentisque affecit; paulo post ipse Georgius rediit, multo quam antea ferocior, multoque magis invisus omnibus, nam quidquid mali jubente Imperatore patiebantur, id Georgio instigante accidere sciebant. Monachi Ægyptii, quorum ob virtutes suas magna apud populum erat auctoritas, hominis fastum, & impietatem arguebant.

Soz. IV.

Aetius ille Sophista Arianus, quem Leontius Antiochiæ Diaconum ordinaverat, & cui sacra invitus interdixerat, tunc Alexandriam rediit, ubi inter Geor-

Sup. L. XI. §. 46. Greg. Nyss. 1. Conc. Eunom. p. 30 Theod. II. hist. c. 27. 28.

Sæculum IV. A. C. 356.

gii assentatores, Gnathonesque adlectus, & interdicto absolutus, ejus Diaconus dicebatur; & profecto Georgii fidelissimus erat Minister, nec sermonis impietate, nec scelerum immanitate tali Domino impar. Circa id tempus Eunomius Aetii Discipulus esse cœpit, & cum tempore hoc Magistro dignus evasit. Eunomius iste in Cappadocia ortus in Confiniis Galatiæ, filius pauperis agricolæ, qui æstate modicum fundum manibus suis excolebat, & in hieme ut victum pararet, infantes docebat litteras legere, & formare. Eunomio filio rigidus labor displicuit, quare aratro tempus in omne valere jusso, ad artem notis scribendi incubuit; primum hac scribendi methodo in domo cujusdam propinqui sui alimenta meruit, tum liberos ejus informare, & Rhetoricæ studere cœpit. Exinde, cum sinistros aliquot casus non sine famæ detrimento ferre coactus esset, Aetium tanquam magni Nominis Philosophum laudari audiit, & Antiochiam profectus est, ut eum quæreret; eo Antiochiæ non invento, Alexandriam delatus est, ubi in eadem cum ipso domo habitavit, & Theologiæ operam dedit, id est, hæresi Arianæ. Cum egregiis his sociis Georgius Ægyptum peragrabat, in Syria grassabatur, & quotquot Orientalium poterat ad Arianorum factionem pertrahebat, eos semper

Greg. Nyss. ibid. p. 30.

Philost. III. c. 20.

Greg. Naz. or. 21. p. 385.

semper adortus, quos vel imbecillitate non posse, vel vecordia nolle resistere sciebat. Sæculum IV. A. C. 356.

§. XXXV.

S. Athanasius in deserto.

Interim S. Athanasius in deserto morabatur; illuc statim, cum Alexandria excederet, post ingressum Georgii secesserat; paulo post solitudinem relinquere, & ad Imperatorem proficisci meditabatur, confidens in ejus promissa, toties repetita, & in suam innocentiam; jamque in viam se dederat, cum relatum est ei, quam male in Occidente Liberius, Osius, & Dionysius habiti fuerint, cunctanti, an crederet, quæ in Ægypto, & Lybia agerentur, referuntur, Episcopos Sedibus suis pulsos, & mala omnia, quæ superius narrata, præsertim vero scandala, & abominationes, quæ Alexandriæ tempore Paschali visæ fuerant. Hæc omnia necdum Athanasium permovebant, ut a persequendo itinere desisteret, credens, pessimos homines Imperatoris Nomen suis facinoribus obtendere, & potestatis suæ limites transgredi; tandem allatis sibi, lectisque duabus Constantii Epistolis persuaderi se passus est; prima ad populum Alexandrinum directa erat, qua eorum obedientiam, quod Athanasium ejecerint, & Georgium rece-

Apol. p.691.

p. 692.

Ap. Athan. p.694.

Sæculum IV. A. C. 356.

perint, laudat, de Athanasio ut homine fraudulento, impostore, & Circulatore loquitur, attamen majorem populi partem eum sequi fatetur; dicit eum vilissimo opifice nihilo meliorem; ex hoc ejus paupertas, & in habitu simplicitas dignoscitur. Tandem eum judicum suorum sententiam fuga elusisse, quod est obsoleta Concilii Tyriensis calumnia; econtra Athanasii inimicos ait esse viros graves, & admiratione dignos, & nominatim Georgio aptiorem se scire neminem, qui Alexandrinos de rebus cælestibus instrueret, & sapientius in Spiritualibus regeret; sub finem minas addit, si qui tanta temeritate fuerint, ut posthac Athanasii factionem adhærere audeant, ultima esse

Sup. L. XII. §. 45.

passuros. Ex Epistolæ hujus tenore, alteriusque, quam idem Constantius Imperator Athanasio faventem dederat, huic summe contrario satis apparet, neutram manu propria scripsisse, sed Imperatoris Notarios, ut fieri amat, secundum eorum affectum, qui tales Epistolas impetrant, fuisse locutos.

Ibid. p. 696.

Altera Epistola scripta erat ad Aizanum, & Sazanum Principes Auxumæ in Æthiopia, quibus Constantius, quamvis fratres vocet, imperat, ut subditis. Vult,

S. Athanasius in Deserto.

ut quantocius Episcopum Frumentium in Ægyptum mittant, a Georgio instruendum, & examinandum, &, ut videri potest,

teſt, de novo ordinandum. Idem eſt Frumentius, qui primus in illud Regnum fidem invexit, atque illius Eccleſiæ Epiſcopus a S. Athanaſio ordinatus fuit; hinc Ariani præcavebant, ne Athanaſius apud eum refugii locum inveniret, quem vel inter Barbaros acquieſcere nolebant. Athanaſius, viſis his Epiſtolis, propoſitum adeundi Imperatorem mutavit, ſciens ipſum a ſuis inimicis obſeſſum, eorumque tantam eſſe rabiem, ut merito timendum eſſet, ne, antequam acceſſus pateret ad Principem, per inſidias interceptus occideretur. Itaque, ut tempori magis opportuno ſe ſervaret, in deſertum rediit. Sæculum IV. A. C. 356. *Sup. L. XI.* §. 36.

Hoc ei commodiſſimum in fuga ſua accidebat, quod per otium Ægypti Monaſteria inviſendi occaſio eſſet, liceretque, viros illos noſcere, qui ſeparati a mundo, unice Deo vivebant. Quidam erant Anachoretæ, perfecte ſolitarii, ſoli Deo, & ſibi ipſis colloquentes. Alii Cœnobitæ, in communitate Legem Charitatis obſervantes; cœteris hominum mortui, alter alteri pro toto mundo ſufficit, ſeque mutuo ad virtutem excitant. S. Athanaſius, cum viris iſtis converſatus, docebat, Sacerdotium, & hanc ſanctam Philoſophiam amico fœdere jungi poſſe, vitam activam contemplativæ, & Monachum eſſe, non qui in Monaſterio vive- *Greg. Naz. or. 21. p. 384.*

Sæculum IV. A. C. 356.

ret, sed qui cupiditatibus optime moderaretur. Pauciora vitæ monasticæ documenta ab ipsis Athanasius, ipsi plura ab Athanasio ceperunt, effata ejus tanquam Leges suscipiebant, utpote viri sanctitate morum præcellentis, cujus salutem propriæ vitæ periculo tueri non detrectabant; nam Ariani in illa usque deserta immissis militibus Athanasium persecuti sunt, ubique quæsitus, nullibi inveniebatur; Monachi, cum in milites inciderent, latronibus colloqui non dignati, jugulum excipiendis gladiis præbebant, mortis periculo pro JEsu Christo se ipsos offerentes; majorem quippe mercedem, si pro JEsu Christo in Servo ejus Athanasio paterentur, quam a jejuniis, aliisque vitæ asceticæ rigoribus exspectabant. At S. Athanasius, timens ne Monachis propter se perturbarentur, in remotissima deserti fugiens, se penitus occultavit.

Epist. 2. Ath. ap. Lucif.

§. XXXVI.

S. Antonii exitus.

vit. Ant. c. 31. p. 501.

Sanctum Antonium videndi solatium S. Athanasio non obtigit, utpote ab initio hujus anni 356. defunctum. Aliquot ante obitum menses pro more suo Monachos montis exterioris invisens, *ultimum, ut existimo,* inquit: *ad vos venio, fallor, si in hac vita amplius mutuo nos con-*

conſpiciamus. Tempus eſt, ut hinc proficiſcar, cum ferme centum quinque annorum ſim. Ad hæc verba flebant fratres, & S. Senem amplectebantur, valedicentem ſibi cum gaudio, tanquam ex aliena Regione in Patriam rediturum; hortabatur, ne a rigore vitæ aſceticæ deſiſterent, ſed ita viverent, quaſi quotidie morituri. Meletianos, & Arianos vitarent. *Nec turbemini*, inquiebat: *quod judices habeant defenſores ſuos, brevi mortalis hæc potentia, & imaginaria tranſibat. Traditionem Patrum,* (*) *& præcipue fidem in Dominum noſtrum JEſum Chriſtum ſervate, quam ex Scripturis didiciſtis, & ſæpe vobis in memoriam reduxi.* Sæculum IV. A. C. 356.

Fratres S. Antonium cogere volebant, ut apud ſe remaneret, ibique diem claude-ret, quod ex pluribus cauſis, maxime vero ſequenti recuſavit. Ægyptii Sanctorum defunctorum, præſertim Martyrum corpora ſibi reſervare amabant; linteis quidem contegebant, & involvebant, ſed terræ non mandabant, imo, le-

(*) Interpres Proteſtans non poſuit: Traditionem Patrum, ſed: der Apoſtel. Quaſi vero aliud Apoſtoli, aliud SS. Patres docuiſſent. At aliunde ſatis conſtat hunc Interpretem SS. Patrum contemptorem eſſe.

Sæculum IV. A. C. 356.

ctis impoſita, in domibus ſuis retinebant, quod mortuis honori eſſe exiſtimabant. Hic mos ſolis Ægyptiis erat ſingularis. Legimus eos antiquis temporibus corpora condita, & involuta capſis ligneis, ad figuram humanam efformatis, incluſiſſe, quæ ſtantis hominis ſitu, ubi placuiſſet, collocabant, hodieque ejusmodi capſæ, quas vocant, Mumias includentes videntur. In hoc uſu apud Ægyptios, hominum ſuperſtitioſiſſimos, non leve Idololatriæ periculum latebat.

Herod. L. II. c. 86.

Diod. L. I. n. 58.

S. Antonius ſæpe Epiſcopos rogaverat, hac de re populos edocerent, ipſe in Laicis hunc uſum ſevere reprehenderat, maxime in fœminis, dicens, hanc conſuetudinem nec piam eſſe, nec legitimam, cum corpora Patriarcharum, & Prophetarum in illam usque diem in ſepulchris ſervarentur, ipſiusque Servatoris corpus in ſepulchro, lapide clauſo, usque ad ejus Reſurrectionem fuiſſet poſitum; inde probabat, errari, ſi corpora defunctorum, quantumvis Sanctorum, non occultarentur, cum nihil majus, nihil ſanctius Domini corpore ſit. Multis perſuaſit, ut mortuos ſuos humarent, qui Deo pro accepta Doctrina gratias agebant. Cum ergo S. Antonius timeret, ne poſt mortem ſuam honor iſte ſibi exhiberetur, rejecto manendi conſilio, exteriori montis Monachis ſine mora valedixit; ad interio-

teriora, solitam suam habitationem, reversus, post aliquot menses ægrotavit; duobus non plures Discipulos apud se habebat Macarium, & Amatham, qui ei ab annis quindecim in extrema senectute inserviebant; his ad se vocatis, *Ego*, inquit: *sicut scriptum est, viam Patrum meorum ingredior, nam sentio, me a Domino vocari*, tum monitos, ut perseverarent, Schismaticos, & Arianos aversarentur, jussit, corpus suum in Ægyptum deferri prohiberent, ne in ædibus asservaretur, *Vos ipsi*, inquiebat, *sepelite, & terra obruite in loco nemini, nisi vobis solis cognito, quod in resurrectione a manu Domini incorruptibile recipiam. Vestimenta mea inter vos dividite, ex ovinis pellibus meis unam date Athanasio Episcopo, & pallium, in quo cubare soleo, quod mihi novum donavit, & modo detritum est, alteram ovis pellem date Episcopo Serapioni, & vobis cilicium meum retinete. Valete filii mei! jam vadit Antonius, & ultra vobiscum non erit.*

Sæculum IV. A. C. 356.

Ita locutum amplexi sunt, ipse extendit pedes suos, jacebatque vultu hilari, quasi amicos charissimos, ad se invisentes, excipiens; itaque animam reddidit 17. Jan. an. 356. centum quinque annos natus. A puero ad summam ætatem eodem semper in exercitio virtutis fervore

Hier. Chron. Pagi. an. 358. *n.* 2.

Sæculum IV. A. C. 356.

vore fuit, senectutis prætextu nec delicatius nutritus est, nec vestimento molliori usus, nec unquam saltem pedes lavit. Nullis tamen corporis infirmitatibus premebatur, non caligabant oculi, dentes quidem erant hebetati, sed nullus exciderat. Certe robore, & vigore S. Antonius illis præstabat, qui diversis ad delectationem cibis vescuntur, lavantur, & novis sæpissime vestibus induti splendent. Discipuli ejus duo, sicut jusserat, sepelierunt mortuum, loco omnibus aliis ignoto.

SS. Athanasius, & Serapion Thmovitanus pro magno thesauro receperunt relicta sibi vellera, vestes ejus aspicientes, præsentem sibi Antonium cernere videbantur, cumque iis uterentur, unacum vestibus ejus Doctrinam induisse. Antonius absque ullius scientiæ humanæ, artisve auxilio virtutis suæ fama orbem terrarum implevit, cujus Nomen non in Oriente solum, sed etiam Romæ, in Africa, Hispania, & Gallia celeberrimum fuit. Quamvis nec legere, nec scribere litteras sciret, tamen quædam ejus opera supersunt, quæ in lingua sua Ægyptiaca dictavit, & deinde in Græcam, rursusque ex Græca in Latinam translata sunt. Septem habentur Epistolæ, spiritu, & stilo Apostolico, ad diversa Monasteria missæ; præcipua earum ad Arsenoitas data est.

Hier. de Scr. Bibl. Patr. to. 3. Cod. Reg. init.

est. Regula quoque brevis quadraginta octo articulos complectens ejus Nomen præfert, ad Monachos Nacalonitas, qui eam expetierant, scripta. Sæculum IV. A. C. 356.

§. XXXVII.

S. Hilarion in Ægypto.

Eodem tempore S. Antonii obitus S. Hilarioni in Palæstina, ubi tunc erat, cælitus revelatus est. Aristenete nobilis illa Christiana mulier, cujus tres filios, cum primo miracula patraret, sanaverat, ad eum invisens, edixit, propositum sibi esse, S. Antonium quoque adire, cui S. Hilarion cum lacrymis: *Ipse ego Antonium videndi desiderio teneor, & profecto irem, nisi quasi captivus in hoc Monasterio retinerer, aut si quædam hujus itineris utilitas esse posset, sed heu! biduum fluxit ex quo tantus vir mortalibus ereptus est.* Credidit ipsa, nec in viam se dedit, paucisque diebus elapsis allatum est nuntium, S. Antonium obiisse. S. Hilarion tunc annum vitæ agebat sexagesimum quintum, & duobus annis summe affligebatur, quod ob sua miracula advenientium multitudine obrueretur, nec, ut vellet, solitudine frui posset; & sane omnium ordinum homines ad eum veniebant, Episcopi, Presbyteri, Clericorum, & Monachorum greges, Christianæ *vita Hilar.* c. 24. c. 23. c. 25.

Sæculum IV. A. C. 356.

stianæ Matronæ, populi ex urbibus, & agris, ipsi Judices, & viri potentes accedebant, ut ab ipso panem, vel oleum benedictum acciperent. Fratribus interrogantibus, quam tristitiæ causam haberet, respondit: *Heu ad Sæculum redii, & mercedem meam in hac vita recepi! ecce tota Palæstina, & Provinciæ vicinæ putant me esse virum magnum, & obtentu Monasterii, fratrumque indigentia patrimonia possideo, & res mobiles.* Ergo fratres diligenter eum custodiebant, præsertim Hesichius, Discipulus ejus inter cœteros charissimus.

Quadam die S. Hilarion itineri se accingere statuit, petiitque sibi asinum adduci, nam continuis jejuniis attenuatus, pedibus ingredi non valebat; vulgato discedendi proposito, ac si toti Palæstinæ ruina impenderet, ultra decem millia hominum omnis ætatis, sexusque confluxerunt, ut manere cogerent; ipse eorum precibus resistebat immobilis, &, arenam terræ baculo turbans, dicebat: *Deus meus fallere non potest; quomodo feram Ecclesias everti, JEsu Christi altaria pedibus conculcari, filiorum meorum sanguinem effundi?* Intelligebant audientes, arcanum, quod edicere nollet, sibi revelatum, & sollicite cavebant, ne elaberetur; ipse obfirmato animo, altiori voce nec quidquam cibi, aut potus sumpturum

rum se dixit, nisi abire permitterent; cum septem dies sine cibo & potu duraſſet, tandem eundi libertatem fecerunt; plurimis valedixit, & comitante multitudine infinita ad Bethel haud procul Gaza pervenit; ibi, reliquis domum remiſſis, quadraginta Monachos selegit, qui annonam humeris portare, & in itinere jejunare possent, id est non ante occasum solis manducare. Die quinta Pelusium venit, invisitque ad fratres proximum desertum in loco, Lichnos dicto, habitantes; post triduum Thebaten, Episcopum Dracontium visurus, adiit, quo fuerat relegatus; is S. Hilarionis conspectu mire recreatus est. Consumpto alio triduo, non sine magno labore Babylonem Ægypti attigit, ut ibi Philoni Episcopo, persequentibus Arianis exulanti, colloqueretur. Inde post biduum ad urbem Aphroditen veniens, pactum cum Diacono Baisano iniit, qui Dromedarios, aquam per aridam eremum devehentes, ad S. Antonium invisuris locare consueverat. Ibi S. Hilarion ad fratres dixit; diem obitus S. Antonii appropinquare, id est, anniversarium, seque eum in loco, ubi mortuus esset, tota nocte vigilando celebraturum.

Sæculum IV. A. C. 356.

S. Hilarion. *Sup.* §. 32.

Postquam ergo triduo per horridum desertum processerant, S. Antonii mons in conspectu fuit; ibi a duobus sancti viri

Sæculum IV. A. C. 356.

viri Discipulis Isaaco, & Pelusiano excepti sunt, quorum prior ejus interpres fuerat. Mons iste petra erat in sublime fastigium erecta, & forte ad mille passus extensa. Inter radices fontes erumpunt, & decurrentes aquæ sæpe in arena resorbentur, aliæ inferius delapsæ, sensim in rivum crescebant, cujus utrinque placidis ripis ingens palmarum multitudo nutritur, hinc commodissimus locus est, & jucundissimus. S. Hilarione cum S. Antonii Discipulis omnia curiose perlustrante, *Ecce!* inquiebant: *hic psallebat, hic precabatur, hic laborabat, hic labore fessus quiescebat. Has arbores, has vineas* (*) *ipse plantavit, hanc terram suis manibus coluit, hoc aquæ receptaculum maximo labore fodientis opus est, ut irrigando hortulo humor non deesset. Hoc ligone multis annis aravit.* S. Hilarion in lectulo ejus recumbens, osculabatur, quasi adhuc membrorum ejus attactu calentem. Cellula ejus quadrata non erat amplior, quam ut virum extenso corpore jacentem capere posset. Præterea in summo montis fastigio, quo scala difficili,

vita Hilar. c. 26. Sup. L. X. §. 6.

(*) Hoc omnino singulare, S. Antonium vineas plantasse, quod Monachi ejus posteri non leguntur fecisse. At credibile est, vinum non expressisse, sed uvas advenientibus Hospitibus manducandas præbuisse.

cili, & cochleata aſcendebatur, duæ cellulæ, inferiore nihilo majores viſebantur, quo ſe ad evitandam venientium frequentiam, aut etiam Diſcipulorum ſocietatem recipiebat; in ipſa petra naturaliter exciſæ erant, nec quidquam aliud opera hominum quam oſtium addiderat. Cum ambulando ad hortum deveniſſent, Iſaacus, *Vides*, inquit: *hunc hortulum olitorium, ante annos ferme tres grex onagrorum eum vaſtavit; unum illorum, quos Duces cæteri ſequi videbantur, ſanctus Vir occupans, & baculo latera verberans, ajebat ad eos: Quare devoratis, quod non ſeminaſtis?* Ex eo tempore ad potandum venerunt, de cætero arbuſculis, & oleribus innoxii. Petiit quoque S. Hilarion, ut locum, quo ſepultus eſſet, indicarent; tunc eum a turba abduxerunt, an autem locum ſepulturæ oſtenderint, neſcitur. Ideo S. Antonium corpus ſuum abſcondi juſſiſſe referebant, ne Pergamius, vir illius Regionis ditiſſimus, illud in domum ſuam devehi, & Eccleſiam ædificari præciperet.

§. XXXVIII.

S. Antonii Diſcipuli.

Inter S. Antonii Diſcipulos celeberrimi fuere Macarius, Amathas, Sarmatas, Pithyrion, Iſaacus, Paphnutius, Paulus

Sæculum IV. A. C. 356.

simplex, Pior, Cronius, Ammonas, Hierax. Macarius, & Amathas illi duo sunt, qui ei ultimis quindecim vitæ annis ministrabant, & defuncti funus curarunt. Macarius in monte Pispero Abbas fuit, ubi S. Antonius habitaverat, & quinque Monachorum millia rexit. Habetur regula, cui Nomen ejus præfixum legitur. Macarius hic alius est a S. Macario seniore, seu Ægyptiaco, in deserto, Scetis dicto, vivente, sicut etiam a S. Macario Alexandrino. Nihilominus S. Macarius Senior quoque S. Antonii Discipulus dicitur, de quo inter alia sequens editum miraculum narrabatur; accidit, ut in illa vicinia homo occideretur; hujus criminis insimulatus vir innocens, ad S. Macarii cellam confugit; qui ad eum comprehendendum missi erant, consecuti, ajebant; proprii capitis periculum se subituros, nisi captum, ut imperatum erat, adducerent; accusatus Deum in testem vocare, quod inscius esset hujus facinoris. S. Macarius quærere, ubi occisum sepeliissent? & cum eis accessit ad sepulchrum. Ibi in genua provolutus, invocato JEsu Christi Nomine, ait ad eos: *Jam Dominus manifestabit, an homo iste, quem persequimini, vere reus sit;* Tum elata voce mortuum suo nomine compellavit, qui de sepulchro respondit; & S. Macarius instans: *Per fidem JEsu Christi*

vita posth. ap. Rosw. p. 235. Cod. reg. p. 46. Rosweid. p. 479. ex Pallad. c. 19.

Christi te obtestor, ut dicas, an iste homo, qui accusatur, te occiderit? Respondit diserte; non esse hunc hominem, a quo fuisset interfectus. Præsentes omnes attoniti, & ad pedes sancti Viri prostrati, rogabant, ut quæreret ex mortuo, quis fuisset percussor? Respondit Sanctus: *Hoc vero non quæram; sufficit mihi liberatam esse innocentiam, at reum indicare meum non est.* Hoc de S. Macario Seniore factum legitur. Sæculum IV. A. C. 356.

Sarmatas haud multo post a Saracenis, in Monasterium S. Antonii irrumpentibus, interemptus est. Pithyrion Monachis, in antris prope cellulas, quas S. Antonius ultimo condiderat, habitantibus præfuit; hos inter erat Isaacus, quem præter alios S. Hilarion ibi invenit. Paphnutius ille est Episcopus, & Confessor celeberrimus, cui in persecutione effossus est oculus, & Concilio Nicæno interfuit. S. Paulus simplex, cum esset sexagenarius, vitam Monasticam profiteri cœpit, & virtute obedientiæ ad tantum perfectionis gradum ascendit, ut S. Antonii miraculis majora patraret, isque, quos ipse sanare non potuisset, ad Paulum remitteret. Pior celeriter ad altissimam sanctitatem pervenit, hinc ei ætatis annum 25. agenti S. Antonius protestatem fecit, ut solus, ubicunque sibi sedem elegisset, viveret; ille in deser- *Hilar. Chr. an.* 358. *Vita S. Ant. c.* 30. *Sup. l. XI. §.* 11. *Ruf. l.* 2. *c.* 31 *Pall. Laus. c.* 28. *Rosw. p.* 503

Sæculum IV. A. C. 356.

tum, inter Nitriam, Scetinque ſitum, perrexit, & annos triginta in quodam loco, ubi puteum aquæ ſalſæ, & amaræ foderat, habitavit; alimentum in dies ſingulos erant panis unciæ ſex, & quinque olivæ; ſemper ambulans reficiebatur, ut oſtenderet, ſe non niſi perfunctorie corpus paſcere. Aliquando, jubente S. Antonio, ad ſororis ſuæ, ardenter ejus alloquium deſiderantis, domum venit; clauſis oculis ante oſtium conſiſtens ad ſororem, pedibus ejus adlapſam, & præ gaudii teneritudine, quid ageret, neſciam, inquit: *Ecce me! ego ſum Pior, frater tuus, jam vultus mei aſpectu ſatiare!* Nec mora! in deſertum rediit.

Id. p. 570. n. 34. Pall. Laus. c. 87.

Pall. Laus. c. 25.

Cronius unus erat ex iis, quibus S. Antonius interpretibus utebatur, nempe quæ ſanctus vir lingua Ægyptiaca proferebat, ipſi græce exponebant; exinde Monaſterii Nitrienſis Presbyter eximium humilitatis exemplar exſtitit, annos ultra centum, & decem numerans. Alius Presbyter ejusdem cum ipſo nominis prope oppidum, quod Phenix dicebatur, Communitati ducentorum Monachorum Abbas fuit; toto ſexaginta annorum ſpatio, quo Presbyter Altari ſerviit, deſertum ſuum nunquam egreſſus eſt, labore manuum ſuarum vivens. Ammonas in Sceti perſtitit, poſt hæc Epiſcopus ordinatus. A multis S. Antonii Diſcipulis inſtituti

Ruf. c. 25.

Pall. Laus. c. 89.

Monum. Græc. to. 1. p. 382.

stituti tyrones sensim conditis plurimis Monasteriis innumerabiles Monachorum greges gubernarunt. Ad fundanda ejusmodi Cœnobia nullis humanis opibus indigebant; locus in Regionibus desertis deesse non poterat, sub Cælo calido vestimentum tenue ad honestatem sufficiebat, & satis commodum erat tabernaculum, si, umbram efficiens, ab ardore solis tueretur, quod specus a natura formatæ, casæ ex juncis, aut alia pro situ loci parabili materia constructæ præstabant. Ut plurimum solo pane nutriebantur, quem suo labore comparabant, ita ut multum quoque supereset, quod pauperibus largirentur; itaque ipsi nemini graves a Sæculi hominibus in suis desertis requirebantur, quos odore virtutis, & miraculorum splendore attrahebant. Sæculum IV. A. C. 356.

§. XXXIX.

Apologia S. Athanasii ad Constantium.

Præterea S. Athanasius secessus sui otio ad edendos varios libros usus est, quos inter Apologia ad Imperatorem Constantium data legitur; in hac omnes calumnias, quibus ejus inimici Imperatoris mentem ab eo avertere conati fuerant, diluit. Accusationes antiquas paucis refellit, dicendo; tantum numerum Episcopo- P. 673.

Sæculum IV. A. C. 356.

coporum pro se scripsisse, Ursacium, & Valentem, quæ egissent, suppliciter retractasse, & nunquam, se præsente, latam esse sententiam; at fusius de accusationibus, quæ ad Imperatorem Constantium spectant, tractat; prima erat; Athanasium de Constantio Imperatore apud Constantem fratrem ejus sinistre locutum, & lites serere inter fratres voluisse;

P. 674. Ad hoc primo respondet, simpliciter negando, Deum innocentiæ suæ testem implorans; deinde facti falsitatem ex eo demonstrat, quod nunquam solus soli Imperatori Constanti locutus fuerit, sed semper Episcopo illius urbis, aliisque in Regia tunc forte morantibus, præsentibus, & audientibus; testes adducit Osium, Fortunatianum Episcopum Aquilejensem, Crispinum Patavienſem, Lucillum Veronensem, Vincentium Capuanum, *Et quia vero*, inquit: *Maximinus Trevirensis, & Protasius Mediolanensis, vivis excessere, Eugenius Officiorum Magister testis sit; ille enim ante siparium stans, quæcunque ab Imperatore peteremus, & quæcunque responderet, audiebat.*

Sup. l. XII. §. 14. Profectionem suam in Italiam, illo tempore quo Gregorius in Sedem suam intrudebatur, accurate narrat; *Alexandria discedens*, inquit: *non ad fratris tui Regiam me contuli, nec quocunque alio, sed Romam; causæ meæ curam Ecclesiæ*

clesiæ relinquens, precibus publicis assidue intereram. Non scripsi ad fratrem tuum, nisi postquam Eusebiani me accusarunt, & causam meam defendere, adhuc Alexandriæ existens, coactus sum, & quando S. Scripturæ exemplaria, quæ describi jusserat, submisi. Post trium annorum decursum, jussit me ad se venire Mediolanum, dum rei causam exquiro, dictum mihi, a quibusdam Episcopis rogatum fuisse Constantem, ut tibi de Concilio congregando scriberet. Ubi Mediolanum perveni, benignissime me excepit, colloqui dignatus est, dixitque, se quosdam cum litteris ad te misisse, qui rogarent, ut Concilium convocaretur. Secundo venire me jussit in Gallias, ubi Pater Osius præsens erat, ut inde Sardicam proficisceremur. Post Concilium, cum essem Naissæ, scripsit mihi, redivi Aquilejam, ibi mansi, & tuas litteras accepi; rursus ab ipso vocatus, in Galliam reversus sum, atque inde ad te profectus. Quo igitur tempore, quo loco, quo præsente accusor maligne de te locutus fuisse? Recordare, Auguste! quippe memoria vales, quænam ad te locutus fuerim primo Viminiaci, secundo Cæsareæ in Cappadocia, tertio Antiochiæ, memoriam refrica, num mali quidquam tibi dixerim de Eusebianis, calumniatoribus meis? Ego nempe, qui

Sæculum IV. A C 356

meis persecutoribus peperci, eo usque insanire potui, ut reticenda de Imperatore ad Imperatorem, de fratre ad fratrem efferrem?

Alterum accusationis caput erat, Athanasium ad Tyrannum Magnentium litteras dedisse, quarum descriptum exemplum Ariani exhibuisse se jactabant. *Cum de hac calumnia audivi*, inquit: *totus obstupui, noctes insomnes duxi, in calumniatores tanquam præsentes invehebar; magno clamore funestum nuntium accepi, rogavique cum lacrymis, & singultibus Deum, ut tibi, Cæsar! animum clementem inderet, quo meam defensionem audires.* Deinde, Deum testatur, nunquam se Magnentium novisse, monstratque, quot sibi fuissent causæ hominem detestandi, Imperatoris Constantis, Benefactoris sui interfectorem, eorumque, qui se Romæ peramanter recepissent; erant autem Eutropia, trium Imperatorum Amita, Abuterius, Sperantius aliique plures; Magnentium hominem fuisse impiissimum, Necromantiæ studiosum, & præstigiatorum amicum. Testes sibi esse vult Legatos Magnentii ad Constantium, Episcopos Servasium, & Maximum, & Laicos, qui eos comitabantur, Clementem, & Valentem, iis enim per Alexandriam iter fuerat; *hos interroga*, inquit: *an litteras mihi attulerint, hic certe*

p. 677.

Apologia S. Athanasii.

Sup. §. 3.

certe ad eum reſcribendi mihi fuiſſet oc- Sæculum IV.
caſio; imo videns Clementem, rediit me- A. C. 356.
moria Fratris tui, felicis memoriæ, &, ſicut ſcriptum eſt, rigavi lacrymis meis veſtimenta mea. Teſtem etiam allegat Feliciſſimum, tunc temporis Ægypti Ducem, multosque Miniſtros alios, ſe illa occaſione dixiſſe: Oremus pro piiſſimo Imperatore noſtro Conſtantio, populum unanimiter acclamaſſe: Chriſte! adjuva Conſtantium! & diu hæc vota repetiiſſe. Hic orandi modus notatu dignus eſt, atque in Sæculo undecimo adhuc tales Lytanias invenimus. Quod pertinet ad epiſtolam, cujus exempla ſibi eſſe Ariani mentiebantur, reſpondet; fieri potuiſſe, ut aliquis impoſtor manum ſuam imitatus ſit, cum non nunquam contingat, ut ipſius Imperatoris litteræ fingantur; nullam fidem facere litteras, quas quisque ſuas eſſe negaret; quærit; ubi hæc epiſtola inventa eſſet, quis eam tradidiſſet? *ego*, inquit: *Notarios habeo; hos examini ſubjiciendos offero; Tyranno fuere epiſtolis ipſius Præfecti, de quibus quæſtionem habere potes. Si coram alio judice accuſarer, ad Imperatorem appellarem, nunc ad te ipſum delatus, ad quem appellabo? niſi ad eum, qui de ſe dixit: ego ſum veritas.* Tum ad Deum preces dirigit. Et inferius proſequitur: *non hic agitur, Cæſar! de mulcta pecuniaria, ſed de Ec-*

Baluc. miscell. p. 143. to. 2.

Sæculum IV. A. C. 356.

cleſiæ Gloria; ne patiaris, nefanda de ea ſuſpicandi locum relinqui, Chriſtianos, imo Epiſcopos ſcribere immanes litteras, & Imperatoribus inſidiari. Ex his dignoscitur, quam impatienter viri Sancti tulerint, ſuſpicionem perfidiæ in Principem in ſe cadere, atque Epiſcopos in cauſa Læſæ Majeſtatis nullos judices Principe ſuperiores in terris agnoviſſe. (*)

§. XL.

(*) Cum Henricus III. Rex Franciæ anno 1588. trucidato in cubiculi Regii foribus Duce Guiſio, altera die 24. Dec. etiam fratrem ejus Ludovicum Cardinalem Lotharingiæ interficijuſſiſſet, elapſo biduo, vocato ad ſe Cardinali Moroſino SS. Pontificis Nuncio, facti rationem reddidit; ſe inimicorum ſuorum inſidias antevertiſſe, & ſuo juſſu illos e vita ſublatos, qui ſibi perniciem allaturi erant, niſi in ipſo conatu oppreſſiſſet. Juris ordinem fuiſſe quidem omiſſum, ſed ſibi in extremo periculo non licuiſſe judiciorum moram expectare. Ad hæc Papæ Legatus de occiſo Duce nihil, ſed de Cardinale dixit; Regem, Prælatum Eccleſiæ interficiendo, incurriſſe Cenſuras latas in Bulla: Cœna Domini. Igitur a Papa abſolutionem petendam, & interim ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinendum. Ad inexſpectatum increpitum reſpondit Rex: omnibus Principibus competere, quo puniant ſubditos, etiam Eccleſiaſticos, ſi rei ſint, & læſæ Majeſtatis convicti, præprimis vero tunc, ſi Princeps de vita periclitetur. Tum prima die anni ſequentis, publice

Sæculum IV.
A. C. 356.

§. XL.

Continuatio Apologiæ.

Tertio accusabatur, S. Athanasius, quod in magna Ecclesia Alexandriæ officium celebraverit, antequam fuisset dedicata; *ita est*, inquit: *factum est, fateor. At Dedicationem non celebravimus? nempe, quia sine tuo Imperio non licebat.* Hoc *p.* 682.

---

publice in Ecclesia S. Salvatoris cum Equitibus O. S. Spiritus Sacram Communionem accepit. Vita del Card. Morosini.

Sixtus V. Papa Monitorium edidit, in quo, Rege itidem objurgato, quod Cardinalem Guisium peremisset, jubebat, ut intra decem dies ab hujus Decreti publicatione Cardinalem Borbonium, & Archiepiscopum Lugdunensem in custodia detentos libertati restitueret; nisi faceret, omnibus Censuris per SS. Canones latis, & in Bulla in Cœna Domini recitari solita contentis feriebatur. Præcipiebat etiam Pontifex, ut ipse Rex veniret, vel Mandatarios ad Sacram Sedem mitteret, qui ipsius nomine ob necatum Cardinalem Guisium & Cardinalis Borbonii, atque Archiepiscopi Lugdunensis custodiam in judicio starent, & causam dicerent. Quamvis multi, quorum Consilio Rex utebatur, argumentis demonstrare conarentur, nullius valoris, & iniquum esse SS. Pontificis Decretum, Rex tamen dicebat, esse quidem, qui ad Fulminis Vaticani fragorem riderent, se vero Sacra illa arma semper timuisse, atque

Sæculum IV. A. C. 356. Hoc quidem ideo, quia hæc Ecclesia sumptibus Imperatoris fuerat ædificata, unde etiam Cæsarea dicta est. Tum pergit in hunc modum: *nulla prævia consultatione actus est iste conventus, nec antea populo annuntiatus, nullus Episcopus, nec alius Clericus vocatus; quomodo id acciderit, omnes norunt. Dies Paschatis erat, popu-*

que etiamnum magis, quam fœderatorum contra se unitas vires, & tormentorum militarium vim expaveſcere. Spondanus. Eodem anno frater Jacobus Clemens Dominicanus, in conspectum admissus, Regis ventriculo pugionis totam aciem veneno illitam immergit. Rex sub noctem deficientibus viribus Capellanum vocat, confitetur. Monuit Presbyter, vulgatum esse a Papa in Principem Decretum Excommunicationis, cui necesse esset se subjicere. Respondit Rex promptissime: *Sum Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ, & Romanæ filius primogenitus, & talis moriar. Promitto coram Deo, & omnibus, me summopere cupere Sanctitati Pontificiæ in cunctis, quæ a me petere potest, satisfacere.* His absolvitur, accipit Viaticum, & rite unctus altera die expiravit. Histor. Monar. Franciæ per Martel. & alii.

Ceterum tam diris motibus tunc Gallia concutiebatur, ut quæ jure, quæ injuria facta sint, vix discernas. Hoc autem ex Historia Ecclesiastica universa constat, Summos Principes Christianos nunquam solitos fuisse in Prælatos Ecclesiæ invitis, aut inconsultis SS. Pontificibus graviore pœna animadvertere.

populus numerosissimus, paucæ Ecclesiæ, & modicæ. Magnus fit strepitus, plurimi in magna Ecclesia convenire postulant. Hortabar, ut exspectarent, interim in aliis Ecclesiis, prout possent, etiam sua molestia congregarentur; non audior, sed urbe exire parabant, & in locis desertis sub ardenti sole convenire, cum itineris laborem ferre mallent, quam festivitatem tristes agere. Nec id adeo mirum, quippe in Quadragesimæ conventibus infantes, anus, juvenes utriusque sexus ob Ecclesiarum angustiam in frequentissimi populi compressione tam male affecti fuerant, ut refocillationis causa ad domos proximas deferri debuerint; quamvis autem idcirco nullus eorum mortuus sit, tamen omnes de loci angustia querebantur; quanto majus in die festivitatis fuisset malum! profecto lætantium voces in tristes planctus abiissent.

In hoc ipso Patrum nostrorum exemplum secutus sum. Alexander felicis memoriæ populum convocavit in Ecclesiam Theonæ, ædificio necdum perfecto, quod major haberetur, & reliquæ populum non caperent. Idem fieri Treviris, idem Aquilejæ vidi, populus in Ecclesias convocabatur, opere nondum consummato, & Frater tuus felicis memoriæ Aquilejæ tali congregationi adfuit. Non ergo Dedicationem celebravimus, sed conventus ordinarius

Sæculum IV. A. C. 356.

rius fuit; quæso! quæ causa subfuisset, potius loca deserta, & aperta adire, ubi transeuntes Gentiles forte substitissent, quam locum muris clausum, & portis instructum, quibus rebus Christianorum conventus a Profanorum festis distinguuntur? nihil erat, quod cogeret, populum in partes separari, & multos non sine læsionis periculo in pluribus Ecclesiis premi, cum adesset locus, qui omnes contineret, ubi orare, & una voce Amen respondere possent, quo cordium conjunctio demonstratur. Quam pio mentis affectu populi in

p. 685. *Ecclesia unitos se gaudebant, cum prius saltem corpore dividi cogerentur! Cæterum, quamvis in hac Ecclesia oraverimus, nihil impedimento est, quo minus suo tempore solemniter dedicetur.* Hinc apparet, S. Athanasium Cæremoniam Dedicandi Ecclesias non spreviſſe, cum factum suum excusare tam sollicite adlaboret, credidisse vero, pro casu necessitatis licere in Ecclesia, necdum Dedicata, Divina peragere.

Quartum, & ultimum accusationis

p. 686. caput erat, Athanasium pervicaciæ ad Imperatoris mandata reum esse, cum sæpius Alexandria excedere recusasset. Ad hoc respondet sequentibus; *nunquam*, inquit: *imperia tua, Auguste! facere detrectavi! quod averruncent Superi! quis ego sum, ut cujuscunque urbis Quæstori resistam?*

Sæculum IV. A. C. 356.

resistam? & multo minus Imperatori Maximo? Omnia deinde narrat, sicut acciderant; Imperatoris epistolam a Montano sibi allatam, cujus fundamentum erat conficta Athanasii postulatio, ut sibi in Italiam proficiscendi licentia daretur; exinde post viginti sex menses Diogenis adventum, Syriani minas, Imperatoris epistolam olim Palladio, & Asterio ferentibus ad se missam, qua hortabatur, ut in Ecclesia sua permaneret. Apologiæ ejus ad hunc articulum summa est, quod dicat; cum expressa Imperatoris mandata ad Ecclesiam suam redeundi, ibique permanendi habuisset, nullum vero unquam discedendi præceptum ad se perlatum fuisset, existimasse, sibi apud gregem suum esse perseverandum; huic rationi accessisse omnibus universim Pastoribus incumbens officium apud oves suas persistendi, sibique perspectum periculum, cui Alexandrini Fideles, si eos fuga sua Arianorum furori derelinqueret, objicerentur; post hæc refert Syriani crudelitatem, suum discessum, & Imperatoris adeundi consilium, a quo dimotus fuisset, postquam compertam habuisset persecutionem, quam Catholici in Occidente, & in ipsa Ægypto paterentur; vidissetque litteras Imperatoris ad populum Alexandrinum, & Auxumenses Principes datas. *Hæc*, inquit: *me permoverunt, ut ad deserta*

Sup. §. 11.
Sup. §. 26.
Sup. 27.
Sup. 34.

Sæculum IV. A. C. 356.

ſerta redirem, cum viderem tot relegatos Epiſcopos, nullius culpæ reos, niſi quod Communionem meam nollent rejicere, & ſcirem, Virgines modis indignis tractari; denique intellexi, eam eſſe inimicorum meorum improbitatem, ut, niſi me ſublato, ceſſare nollent; receſſi igitur, ut his reſpiciendi tempus concederem, tibi vero innata Clementia utendi occaſionem darem. Hanc apologiam ſuſcipe, Epiſcopos omnes, virosque Eccleſiaſticos Patriæ, & Eccleſiis ſuis redde! ut calumniatorum perfidia pateat, tuque cum fiducia ad JEſum Chriſtum, Regem Regum nunc, & in die judicii dicere poſſis: nullum eorum, qui tui erant, perdidi. Hæc fuit S. Athanaſii apologia ad Imperatorem Conſtantium. Eodem tempore ſermones de conſolatione ſcripſit ad Virgines, quas Arianorum furor eo usque perſequebatur, ut mortuas a ſepultura prohiberent.

P. 700.

Theod. l. 1. c. 14. in fin.

§. XLI.

S. Euſebii Vercellenſis ærumnæ.

Inter Confeſſores, in cauſa S. Athanaſii exules, S. Euſebius Vercellenſis illuſtriſſimus eſt. Is erat Scythopoli Palæſtinæ in poteſtate Patrophili ex Senioribus, & zeloſiſſimis Arianis Epiſcopi. Inter multos alios Diaconus Syrus, & Exorciſta Victorinus ad S. Euſebium inviſentes,

Sæculum IV. A. C. 356.

tes, litteras, & eleemosinas attulerunt, quas Ecclesia ejus, & aliæ vicinæ, nempe Novariensis, Regiensis, & Dertonensis submiserant. Inde Diaconus ad visitanda Loca Sancta abiit, & Ariani S. Eusebium ex illo diversorio, quod ei, ipsis Arianis petentibus, ab Imperatoris procuratoribus designatum fuerat, extrahunt tanto furore, ut seminudum supino corpore portarent, raptarentque; in aliam domum delatum, & parvæ cellulæ inclusum, per dies quatuor custodierunt, dicentes, sibi ad id ipsum potestatem ab Imperatore datam; ibi Sanctum objurgabant, urgebantque, ut eorum in fide opinionem reciperet; ipse nec verbum iis responsum dignatus, corpus suum, tanquam publicis tortoribus permittebat; ferunt, Arianos præter alios cruciatus, virum Sanctum per scalam supinum ascendendo, & descendendo traxisse. Tum Presbyteros, & Diaconos, ne ad eum, prout solebant, invisérent, prohibuere, & minabantur, clausa janua neminem mortalium ad eum ingredi passuros. Inter hæc S. Eusebius scriptam protestationem edidit, cujus initium hujus erat tenoris: *Eusebius servus Dei cum aliis servis ejus, qui mecum propter fidem patiuntur, ad Patrophilum ergastularium, & suos.* Postquam deinde ob vim injustam conquestus est, declarat; se

Serm. 56. append. ad S. Amb. n. 6.

Sæculum IV. A. C. 356.

nec comesturum buccellam panis, nec aquam bibiturum, nisi sibi omnes scripto promitterent, quod fratribus suis, qui ob eandem causam affligerentur, liberum ad se aditum præcludere nollent, ut sibi ex penu sua victum necessarium afferrent; nisi facerent, addebat, Arianos mortis suæ reos futuros, seque ad omnes Ecclesias scripturum, ut toti Mundo palam fieret, quanta Catholici ab Arianis pati cogerentur! post appositum nomen suum subjunxit: *adjuro te, quicunque hanc epistolam legis! per Patrem, Filium, & Spiritum S. ne eam premas, sed omnibus legendam exhibeas.*

Postquam S. Eusebius quatriduo sine cibo perduravit, eum ita jejunum ad priorem habitationem remiserunt; ubi populus, viro Sancto inter summæ lætitiæ signa recepto, illam domum lucernis exornarunt. Cum ibi S. Eusebius pro more eleemosinas largiri cœpisset, rursus Arianos invidia ussit; post viginti quinque dierum lapsum ad illam domum redeunt, fustibus armati, comitante perditissimorum hominum caterva; diruto vicinæ domus muro, viro S. manus injiciunt, rapiunt, & secundo cum quodam Presbytero, Tegrino nomine, angusto carceri includunt; alios quoque Presbyteros, & Diaconos eorum socios, captos, & in custodiam datos post triduum in exi-

S. Eusebius Vercellensis.

exilium disperſim nulla publica auctorita- Sæculum IV.
te ejecerunt. Alii, quod Euſebium cha- A. C. 356.
ritatis officio viſitaſſent, multis diebus in carceribus publicis detenti ſunt. Non ſolum viros, qui ei miniſtrabant, ſed etiam fæminas Religioſas in carcerem detruſerunt; jamque iterum, ad ejus habitationem decurrentes, omnia, tam quæ ipſi neceſſaria, quam pauperibus erogan-da diripiunt, cumque, tantam injuriam civibus omnibus non probari, viderent, redditis, quæ vilia erant, pecunias retinuere. Interim, ne quis Catholicorum ei quidquam cibi ferret, diligentiſſime cavebant, cumque ipſe ab eis nollet quidquam accipere, diebus ſex absque ullo alimento ſuſtinuit, ita ut jam jam fame emoreretur, tandem die ſexto quorumdam clamoribus perterriti, aliquem eorum, quibuscum S. Euſebius communicabat, accedere paſſi ſunt, qui exhauſtum reficeret.

Diaconus Syrus, cum ad Loca Sancta profectus eſſet, cum aliis non fuerat comprehenſus, huic reduci S. Euſebius, quamvis, ne ſcriberet, arctiſſime obſervaretur, tamen ſecreto epiſtolam ferendam tradidit; hæc epiſtola, quæ hodieque ſupereſt, ad easdem Eccleſias, quæ ei ſcripſerant, dirigitur; in exordio maximo ſibi ſolatio fuiſſe teſtatur, percipere, quod in illa fide, ad quam tenendam eos tan-

Sæculum IV. A. C. 356.

topere exhortatus fuerat, firmi permanerent; tum perſecutiones, quas ſuſtinebat, enarrat, & finit, omnes in genere ſalutans, rogatque ne petant, ut ſingulorum nomina ponat, quoniam, inquit: coarctor nimis, nec plura ſcribere licet. Præter alios ad S. Euſebium inviſit S. Epiphanius, cui illa Regio Patria erat, nato Eleutheropoli in Palæſtina; is in vita Monaſtica ſub S. Hilarione, S. Heſychio, aliisque Monachis, virtute præſtantiſſimis, juventutem exegerat; multo etiam tempore in Ægypto vixerat, tunc forte quadraginta quinque annos natus. S. Euſebius diverſorium nactus fuerat in Domo Comitis Joſephi, ex cujus ore S. Epiphanius propriam ipſius hiſtoriam didicit, talem, qualem retuli, nempe converſionis ſuæ occaſionem, obſtinationem, qua revelationibus, & miraculis reſiſtebat, perſecutiones, quas a Judæis tulerat, & Imperatoris Conſtantini tutelam; is magnificis in urbe Scythopoli extructis ædificiis ſplendide habitabat, ſed ab inſidiis inimicorum ſuorum tueri ſe haud potuiſſet, niſi Comitis Dignitatem vereri debuiſſent, quippe hoſtis apertus Arianorum erat, qui in hac urbe dominabantur, Epiſcopi ſui divitiis, & apud Imperatorem Conſtantium potentia freti. Ariani blanditiis Comitem Joſephum ad Sectam ſuam pertrahere, & ut ordines ſuſci-

Soz. VI. c. 32.
Epiph. hær. 30. n. 5.
Sup. l. XI. §. 34.

suſciperet perſuadere conabantur, ſpemque Epiſcopalis Dignitatis faciebant; ipſe vero ne invitus ordinaretur, defuncta uxore, ad ſecundas nuptias tranſiit. Tunc cum S. Epiphanio ad S. Euſebium in domo ſua hoſpitantem inviſenti vitam ſuam narravit, annum ætatis ſeptuageſimum agebat. Exinde S. Euſebius bis adhuc ſolum, & exilium mutare coactus, primo in Cappadociam, & inde in Thebaiden Ægypti, tertium ſui Exilii locum.

Hier. ſcript. Theod. III. c. 4.

§. XLII.

S. Hilarius Exul.

Eccleſia Gallicana puritatem fidei conſervabat ex Scriptura, & traditione, nec confeſſionibus fidei in charta exaratis opus erat. Verum quidem quod Saturninus Epiſcopus Arelatenſis Arianis faveret, cui arcta cum Urſacio, & Valente neceſſitudo intercedebat; cæterum, præterquam quod ſuſpicione hæreſis laboraret, vir erat ingenio, moribusque depravatis, iræ impotens, & ad factiones pronus; propterea plerique Galliæ Epiſcopi, quos inter velut ſtellas minores S. Hilarius Pictavienſis effulgebat, a Communione Saturnini, Valentis, & Urſacii ſe ſeparárunt, aliis eorum Sectatoribus tempus pœnitendi concedentes, addita conditione, ſi hoc eorum Decre-

Hilar. de Syn. p. 348. edit. Pariſ. 1605. Sever. Sulp. lib. 2. p. 416. 435. edit. varior. Hilar. 1. in Conſt. init. p. 286.

Sæculum IV. A. C. 356.

tum a Confessoribus propter fidem exulantibus approbaretur. Attamen Saturninus, aliique suæ Sectæ effecerunt, ut iidem Episcopi, a quibus fuerant condemnati, in Concilio, Biterris celebrato, comparere tenerentur; ibi S. Hilarius Hæresis fautores coram Episcopis congregatis accusavit, rogans, ut in hanc causam inquirerent; hæretici autem, timentes, ne publice confunderentur, eum audiri vetuerunt. Saturninus confectam in Concilio gestorum relationem ad Imperatorem Constantium transmisit, &, quamvis S. Hilarius protestaretur, atque Cæsar Julianus, tunc in Gallia præsens, rerum testis esset, Ariani, spreto Cæsare, & Imperatore Constantio decepto, mandatum impetrarunt, quo S. Hilarius in Phrygiam relegatus est. Obtinuerunt quoque, ut Rodanius Episcopus Tolosanus illuc proscriberetur, cui etsi tantum vigoris, ac S. Hilario non esset, ejus tamen exemplo, & societate perseveravit. Clerici Ecclesiæ Tolosanæ fustibus cæsi, Diaconi plumbatis contriti. Episcopus Rodanius in sui Exilii loco in Phrygia, sicut etiam Paulinus Trevirensis, ad Superos abiit.

ad Const. 3. init.

Sev. Sulp. 2, p. 412.

Hilar. in Const. 291. Sulp. Sev. 2. p. 436.

S. Hilarius Pictavii in Galliis nobilissimis ortus Parentibus, maximo profectu profanis litteris, præsertim eloquentiæ, incubuit, Quintiliani stilum imitatus, cum

Fortun. vit. lib. 1.

cum esset adhuc Paganus, nam matura jam ætate Christianam Religionem susce- Sæculum IV. A.C. 356.
pit; quibus argumentis ad conversionem impulsus sit, ipsemet narrat in hunc modum: *Cum perpenderem, humanis quidem sensibus nihil esse optabilius, quam voluptatibus in pace delectari, at hoc ipsum hominibus & brutis commune bonum esse, intellexi, hominis felicitatem in bono sublimiori esse constituendam, illudque partim in cognitione veritatis, & virtutis possessione consistere judicavi. Cum vita præsens continuarum miseriarum catena sit, hanc ideo nobis Deum concessisse, mihi videbatur, ut in patientia, moderatione, mansuetudine exerceremur, non vero, cum sit optimus, ut nobis eam rursus aufferendo, miseriores efficeret. Ergo anima mea ardentissimo hunc Deum, omnis boni auctorem, cognoscendi desiderio accendebatur, nam eorum omnium, quæ gentiles de Divinitate docebant, falsitatem perspicue videbam, dum illam in varias Personas utriusque sexus dividunt, brutis attribuunt, statuisque, & aliis rebus vita carentibus; cognovi, unicum Deum esse possibilem, eumque æternum, omnipotentem, immutabilem.* *Hier. ep.* 84. *Hil. de Trin.* 1.

His cogitationibus occupatus, illa verba in Libris Moysis cum admiratione legi: Ego sum, qui sum. Et in Isaia: Cœlum Thronus meus est, & terra scabellum *Exod.* 3. 14. *Is.* 66. 1.

Sæculum IV. A. C. 356.

pedum meorum. Et iterum: cœlos palmo ponderat, & digitis includit molem terræ. Primo loquendi modo indicatur, omnia Deo esse subjecta, secundo, nec Cœlo, & terra Deum comprehendi posse. Cognovi eum esse omnis pulchritudinis fontem, imo ipsam infinitam pulchritudinem, verbo, cognovi me credere oportere, Deum esse immensum. Sed necdum votorum meorum metam attigeram, optabam ulterius, ut pios, quibus afficiebar in Deum, affectus, bonosque mores merces æterna (*) exciperet; justum mihi videbatur desiderium meum, at carnis meæ infirmitas, imo & Spiritus timere jubebant, cum SS. Evangelistarum scripta legenti plura promiserunt, quam unquam sperare ausus fuissem, præsertim Evangelii S. Joannis initium.

Isa. 40. 12. sec. 70.

His verbis S. Hilarius conversionis suæ principium refert. Uxorem habebat, filiamque nomine Apram, quæ ambæ ipsius exemplo Christo Nomen dederunt. Adhuc Laicus sanctum vitæ institutum tenebat, sollicite Judæos, hæreticosque devitans. Ipsum ergo populus Pictaviensis in Episcopum postulavit unanimi

Fortun. vit. l. 1.

(*) Ecce Antiqui Patres a S. Paulo edocti vitam æternam vocabant Mercedem. At Merces esse nequit, ubi nulla merita sunt. Hodierni Protestantes relicto S. Paulo Lutherum sequuntur, & aliter loquuntur.

nimi consensu; atque S. Maxentio, seu Maixantio, S. Maximini Trevirensis fratri successisse creditur. S. Hilario in exilium pulso, alius Episcopus non est subrogatus, sed suam ipse Ecclesiam per Presbyteros regere non cessavit. Sæculum IV. A. C. 356. *ad Const.* 3. *p.* 306.

§. XLIII.

Acta violenter a Macedonio Constantinopolitano.

Magnam Catholici persecutionem Constantinopoli patiebantur sub Macedonio Ariano Episcopo, cujus Regimen sicut ab initio, ita & in progressu multis per vim patratis fœdatum est. Eleusium, & Marathonium egregios adjutores habebat. Iste posterior fuerat Numerarius, id est, Præfecti Prætorii officialibus stipendia numeraverat; ubi satis opum in hoc munere sibi comparasse visus est, eo abdicato, Nosocomiorum, in quibus ægroti, aliique pauperes alebantur, Præfecturam suscepit; tum Eustathii Episcopi Sebasteni suasu vitam asceticam amplexus, Monasterium Constantinopoli fundavit; hujus Ecclesiæ Diaconus pluribus virorum, mulierumque Monasteriis præfuit, tandem a Macedonio ad Episcopatum Nicomediensem promotus est. Eleusius spectabili munere in aula antea functus, a Macedonio Episcopus Cyzice- *Sup.* §. 8. *Sozom. IV.* *c.* 20. *c.* 27. *Socr. II.* *c.* 38.

Sæculum IV. A. C. 356.

nus creatus est. Utriusque tam Eleusii, quam Marathonii vita non carpebatur, nisi quod infensissimi vocis consubstantialis hostes essent, quo in studio tamen Patroni sui Macedonii animum æquare neutiquam poterant.

Is Edictum, ab Imperatore impetratum, per omnes urbes affigi, & armatorum manu executioni dari jussit, quo præcipiebatur, ut defensores vocis consubstantialis non Ecclesiis modo, sed & urbibus pellerentur, & Ecclesiæ diruerentur; hæc furenti nimis lenia videbantur, utque Catholicos ad Communionem Arianorum cogeret, omnia, quæcunque Gentiles persecutionum temporibus crudeliter egerant, adhibuit; Catholici proscribebantur, bona eorum fisco adjudicabantur, ferro candenti frontes eorum notabantur, verberabantur, omne tormentorum genus inferebatur, quorum immanitate non nulli ex hac vita deturbati. Multi Martyres in hac persecutione numerantur, quos inter duo illi inveniuntur, qui, S. Episcopo Paulo conviventes, ab epistolis fuerant, nempe Martyrius Diaconus, & Marcianus Cantor, & Lector; hos Macedonius Præfecto tradidit, tanquam Hermogenis occisi, seditionisque circa illud tempus ortæ, reos; virili constantia supplicium tulere, & extra urbem, ubi malefactores confici sole-

Socr. II. c. 23.
Soz. IV. c. 20.
Sup. l. XII. §. 18.

solebant, conditi sunt, sed cum exinde ibi miracula fuerint edita, mundatus est locus, & Ecclesia, tanquam ad Martyrum tumulum erecta. Hoc ædificium, a S. Joanne Chrysostomo cœptum, Sisinnius consummavit; Martyrii, & Marciani memoriam Ecclesia vigesima quinta Octobris colit. Sæculum IV. A. C. 356. *Socr. II. c. 18. Sozom. IV. c. 20.*

Quia Novatiani Verbum Patri consubstantiale credebant, hos quoque Arianorum odium unacum Catholicis complexum est. Agelio Novatianorum Episcopo fuga elapso, multi, quorum pietatis opinio major erat, comprehensi, & pessime habiti, quod Macedonio communicare nollent; prius verberibus excepti, de mysteriis (*) participare cogebantur, quæ ori eorum, vi instrumenti diducto, ingerebantur; hoc tormenti genus Novatiani omnium maxime horrebant. Ariani fæminas, parvulosque, necdum baptizatos, rapiebant, & adhibita vi baptizabant, resistentes percutiebant, vinciebant, tormentis hactenus inauditis afficiebant, exemplum novæ crudelitatis sit, quod a non nullarum fæminarum pectore mamillas, inter arcæ oram

(*) Hic Interpres Protestans, ut nihil esset, quod non corrumperet, loco vocis: Mysteriis, quæ verum Christi Corpus, & Sanguinem significant, posuit: Brod, und Wein, Parte III. p. 68.

Sæculum IV. A. C. 356.

oram, & operculum inſertas, violenter avulſerint; aliarum ubera ignito ferro, aut ovis, recenter ex aqua bullienti extractis, tangentes uſtularunt. Inter alios Novatiani duo, Auxanon poſt hæc Presbyter, & Alexander Paphlago, ambo vitam aſceticam ducentes, tormentis exagitati, & in carcerem miſſi ſunt; ex his cruciatibus Alexander deceſſit, cui Novatiani, tanquam Martyri Eccleſiam ædificarunt. Auxanon diu ſupervixit, a quo Socrates hiſtoricus hæc, quæ narravimus, particularia ſe accepiſſe teſtatur.

In Decreto Imperatoris, quo Macedonius tanquam pallio ſuam crudelitatem obtegebat, præcipiebatur, ut Eccleſiæ eorum, qui in Conſubſtantialem credebant, diruerentur; hinc unam ex tribus, quas Novatiani Conſtantinopoli habebant, juſſit deſtrui, ſed brevi tempore tanta Novatianorum multitudo confluxit, ut deſtructæ Eccleſiæ materiæ ad alterum maris littus in locum, Sicai dictum, transportandæ ſuffecerint; ille lateres, alius ligna ferebat, mulieres, & infantes diligentiſſime laborabant, nempe pro honore Dei & ſervitio; ita factum, ut Eccleſia promptiſſime in alio loco reſurgeret. Poſt hæc ab Imperatore Juliano priorem locum receperunt, atque, rurſus revecta materia, Eccleſiam ſuam priori ſpectabiliorem eduxerunt, eam

Macedonius perſequitur Catholicos, & Novatianos.

Ana-

Anastasiam, id est, resuscitatam appellantes. Tunc aliqua reconciliationis inter Catholicos, & Novatianos mentio in medium allata, nam Catholici, Constantinopoli omnibus Ecclesiis privati, malebant cum Novatianis in Ecclesiis duabus, quæ ipsis supererant, convenire, quam cum Arianis, quos extremo horrore aversabantur; at quorumdam Novatianorum æmulatio huic unioni impedimento fuit, dicentium, id sibi antiquissima lege interdici. Sæculum IV. A. C. 356. *Sozom. IV. c. 20.* *ibid. c. 20.*

Eodem tempore Eleusius, ut Macedonii consilia adjuvaret, cujus gratia Episcopus Cyzicenus erat, Ecclesiam Novatianorum ibi existentem dejecit. Macedonius autem sciens, plurimos Novatianos in Paphlagonia numerari, præsertim Mantineæ, effecit, ut illuc jussu Imperatoris quatuor militum cohortes mitterentur, qui eos metu ad recipiendam Arii Doctrinam adigerent; Novatiani in desperationem propulsi, ad arma decurrere, falces, secures, & quid quid sub manibus erat, arripere, & in milites movere; initum est prœlium, quo multi quidem Paphlagonum cæsi, econtra militum pauciſſimi mortem effugerunt. Hæc Macedonii gesta suorum quoque animos alienarunt, & Imperatori displicuerunt; at multo magis nova molitione Imperatoris iram incurrit. Ecclesia

Apo-

Sæculum IV. A. C. 356.

Apostolorum Constantinopoli ruinam minabatur, nec populus sine periculo ibi orare poterat; quam ob rem Macedonius Magni Constantini corpus, ibi sepultum, tollere parabat, quod pars populi, grande nefas rati, fieri posse negabat, dumque alii, corpus transferri licere, contendunt, in partes vulgus scinditur, omnesque, qui Consubstantialem propugnabant, sive sponte a Macedonio aversi, sive id honori, & memoriæ Magni Constantini dabant, translationem abominabantur; ergo litem ferro decidendam putaverunt, manibusque confertis, Ecclesiæ area, & puteus, qui ibi erat, occisorum cruore repletus est, imo humani sanguinis rivi in contiguam quoque porticum, indeque in civitatis plateam exundavit. Ubi, quod factum erat, ad Imperatorem Constantium delatum, vehementi ira in Macedonium exarsit, quam partim dolor ob tot peremptos homines, partim temeritas, quod Parentis sui corpus attingere non perhorruerit, acuebat.

Chr. Pasch. *Chr. Hier.* *ann.* 357. 359. *Idatii fasti ann.* 356. 357.

Circa idem tempus memorabiles reliquiæ Constantinopolim translatæ leguntur, nempe S. Timothei, Discipuli S. Pauli & primi Episcopi Ephesini, summis Reverentiæ signis allatæ sunt, prima Junii, Constantio octavo, & Juliano primo Consulibus, id est, anno 356. in eadem Apostolo-

Sæculum IV. A. C. 357.

ſtolorum Eccleſia ſub Sacra Menſa depoſitæ. Poſtero anno 357. tertia Martii, ita diſponente Imperatore Conſtantio etiam Reliquiæ S. Lucæ, & S. Andreæ Apoſtoli Conſtantinopolim allatæ, cum Solemnitate in Eccleſiam Apoſtolorum reconditæ ſunt. *Hier. in Vigilant. c. 2.*

§. XLIV.

Conſtantius Romæ.

Interim Conſtantius in Occidente verſabatur. Cum diu Mediolani fuiſſet, Romam venit, annum Regni ſui vigeſimum celebraturus, in urbem cum uxore ſua Euſebia inter publicas Cæremonias invectus quarta Calendas Maji, cum eſſet Conſul nono, & Julianus ſecundo, id eſt, 28. Aprilis anno 357. Conſtantius tunc primo Romam vidit, fuitque ei ingreſſus iſte triumphi loco, devicto ante ſex annos Magnentio in bello Civili, quo confecto Majores triumphare non ſolebant. Cæterum tam immodicam Romæ pompam oſtentavit, vultumque ita ad gravitatem compoſuit, ut, cum omnibus Magnus videri debuiſſet, levis audiret; itaque non tam Conſtantius Romæ, quam Roma Conſtantio admirationi fuit. Non defuere, qui obſervarunt, eum publice nares emungere, ſpuere, aut vultum ex una parte ad aliam vertere nunquam viſum *Idat. faſt. Chr. Paſch. Amm. Marc. lib. 1. c. 10.* *Sup. §. 7.*

Sæculum IV. A. C. 357.

sum fuisse. Uxores Romanorum virorum, qui summis in urbe muneribus potiebantur, maritos rogavere, ut ab Imperatore Liberii Papæ reditum, ante annos duos in exilium missi, peterent; responderunt viri; sibi Imperatoris iram esse timendam, & forte quod, posci a viris, indignaretur, concessurum fœminarum precibus, & si nihil obtinuissent, saltem nihil inde mali sibi posse accidere. Matronæ, virorum consilium secutæ, assumpto muliebri cultu, qualis Romanarum fœminarum fastum decebat, Imperatorem adeunt, ut, si ex ipsa vestium opulentia supra privatas esse constaret, saltem nobilitatis reverentia facilius, quod peterent, obtinerent. In conspectum admissæ, rogarunt, ut vastissimæ urbis misereretur, Pastore suo destitutæ, & luporum rapacitati expositæ! Constantius, aptissimum, qui eam regeret, Romæ Pastorem esse respondit, nec opus esse alio; nempe de Felice loquebatur; reposuerunt Romanæ; neminem, Felice Sacra operante, intrare Ecclesiam, eo quod, licet fidem Nicænam teneret, tamen cum illis, qui eam corrumperent, communicaret. His animum Imperatoris flexerunt, qui inito cum Episcopis, se comitantibus, consilio, jussit, ut si Liberius eorum sententiæ accederet, revocaretur, & communi potestate cum Felice Ecclesiam guber-

Amm. Marc. XXI. c. 16. Theod. II. c. 17.

Felix Anti-Papa. Aliis: S. Felix II.

Soz. IV. c. 2.

gubernaret. Ut vero hoc Principis mandatum in Circo prælectum est, exclamavit populus; parum justitiæ congruum esse, quod statueretur, cumque duæ factiones in Circo, suis coloribus distinctæ, existerent, ludentes dicebant; sic cuique suum fore Pastorem. Ergo, postquam litteras Imperatoris risu exceperant, rursus exclamare: Unus Deus! unus Christus! unus Episcopus! Sæculum IV. A. C. 357.

Constantius illis, quibus Romæ fuit, diebus ex loco, quo Senatus convenire solebat, aram Victoriæ, ubi Pagani juramentum præstare consueverant, abstulit. Initio anni superioris Legem contra Gentiles ediderat, qua sub pœna capitis Idolis sacrificare, aut ea adorare prohibebat; & iterum aliam, qua prohibebat consultari Aruspices, Divinatores, Magos, Mathematicos, id est, Astrologos, Augures, Incantatores, verbo omne Divinationum, & incantationum genus tractasse, capitale esse volebat. Rursus aliam hoc anno 357. contra Magos tulit, præsertim illos, qui elementa turbarent, vitæ hominum nocerent, aut mortuorum umbras suis præstigiis ab inferis revocari comminiscerentur. Vetuit, ne Romæ milites, & Palatini id est Palatii Officiales, in spectaculis gladiatorum more pugnarent. Jam Constantinus usum hunc digladiandi in Oriente abole-

Relat. Sym. ap. Ambr. l. 6 Cod. Theod. de pag. lib. XVI. l. 4. de Malef. eod. & ibi Goth. lib. IX.

L. 5. ibid.

L. 2. Cod. Theod. de Glad. l. XV.

Sæculum IV. A. C. 357.

verat, at pro pervicaci Romanorum ingenio satis videbatur, pernicioſæ licentiæ modum posuisse. Eodem anno Constantius Legem condidit Clericis, quos Copiates dicebant, id est, mortuorum sepulturam curantibus faventem; hos privilegio particulari a contributione lustrali, quam mercatores omnes pendebant, exemit.

L. I. ibid. de Lustr. coll. l. XIII. & ibi Gothof. Sup. n. 10.

§. XLV.

Secunda formula Sirmiensis. Lapsus Osii.

Amm. XVI. 10.

Imperator, non diutius mense uno Romæ transacto, inde 29. Maji profectus, Mediolanum rediit, ibique usque ad mensem Decembrem moratus, deinde in Illyricum transiens, Sirmii substitit. Tunc Ariani fidei formulam fabricarunt, quæ dicitur secunda, quod jam antea in eadem urbe priorem condidissent; præcipuus hujus formulæ creditur fuisse Auctor Potamius Episcopus Olyssiponensis, cujus initium ita sonat: *Cum visum fuisset de fide tractare, omnia sollicite examinata, & explicata sunt, sanctissimis fratribus nostris Valente, Ursacio, & Germiniano præsentibus. Consensere omnes, unicum dari Deum, Patrem omnipotentem, sicut in universo orbe creditur, & unum solum JEsum Christum, Filium*

Idat. fast. Pagi 357. n. 2. ap. Hila. de Syn. p. 323 ap. Ath. de Syn. p. 902. ap. Socr. II. c. 30.

Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, Salvatorem noſtrum, ex eo genitum ante Sæcula. Neminem poſſe, aut debere duos Deos credere, cum ipſe Dominus dicat: Ibo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum! Hoc ab auctoribus hujus formulæ adductum argumentum prodit, ipſos ex hac una cauſa Dei unitatem extollere, ut Patri ſoli, excluſo Filio, divinitatem attribuant. Magis perverſus eorum ſenſus perſpicitur, dum dicunt: *In omnia alia facile conſenſimus, niſi quod aliqui, etſi parvo numero, ſcandalizarentur vocabulo ſubſtantiæ, quod græce dicitur OUSIA, id eſt, ut clare loquamur, vocabulis HOMOOUSION, aut HOMOIOUSION; hinc optimum factu viſum, ſi hæ voces omnino omitterentur, partim, quod in Scriptura non inveniantur, tum quod generatio Filii ſupra omnem hominis captum ſit.* Hic potiſſimum hujus formulæ venenum latet; dum enim dicere vetant, Filium eſſe conſubſtantialem, innuunt, alterius eſſe ſubſtantiæ, aut, ſicut aliæ creaturæ, ex nihilo eſſe productum. Subjungunt: *Nullus eſt dubitandi locus, quin Pater ſit major honore, Dignitate, Gloria, Majeſtate, vel ipſo Patris nomine, cum dicat Filius: Qui miſit me, major me eſt. Et omnes ſciunt, hanc eſſe Doctrinam,*

Sæculum IV. A. C 357.

Joan. 20. 7.

Iſai. 53. 8.

Hilar. de Synod. p. 322.

Joan. 14. 28.

Sæculum IV. A. C. 357.

trinam Catholicam; duas dari Perſonas, Patris, & Filii, Patrem eſſe majorem, & Filium ſubditum cum iis omnibus, quæ ei ſubjecit Pater. Patrem eſſe absque Principio, inviſibilem, immortalem, impaſſibilem, econtra Filium eſſe ex Patre natum, Deum de Deo, Lumen de Lumine. Qui ex Virgine Maria corpus, id eſt, hominem aſſumpſit, per quem, & quocum paſſus eſt. Omnes hæ voces eo collimant, ut Filium natura a Patre alium, imo & paſſibilem affirment.

Libell. Marcell. & Fauſt. p. 34.

Potamius, hujus formulæ auctor, erat Epiſcopus Olyſſiponenſis in Luſitania; is, poſtquam fidem Catholicam defenderat, prodidit, ut fundum, quem poſſidere vehementer cupiebat, a fiſco obtineret. Oſius viri perfidiam Hiſpaniæ Eccleſiis aperuit, eumque, ut hæreticum damnavit; hinc illæ Potamii quærelæ apud Imperatorem Conſtantium contra Oſium, illisque Potamius exinde ſe junxit, qui in Senem venerabilem perſecutionem moverunt, cui tandem ſuccubuit, circa hoc enim tempus lapſus eſt. Jam anno integro Sirmii fuerat Oſius, quaſi in exilio; Imperator ipſius odio omnes ejus propinquos perſecutus, tantum virum nulla habita ætatis, Dignitatisque ratione aperte violare non eſt veritus; quippe Oſius centenario major erat, &

Athan. de Fug. p. 703. 704.

ſexa-

sexaginta & ultra annorum Episcopus, in ultima persecutione Christianorum sub Ethnicis Principibus Confessor; hunc cœteri Episcopi venerabantur, ut Patrem, atque a multis annis in omnibus Conciliis Præsidis munere functus erat; nihilominus jubente Constantio verberibus affectus est, & magnis cruciatibus, donec labefactato per corporis infirmitatem animo cessit ad tempus, formulam a Potamio concinnatam, manu sua signavit, & in Concilio, quod tunc Sirmii agebatur, cum Ursacio, & Valente communicavit; at S. Athanasii condemnationi non subscripsit. Ita recuperata libertate, ad Sedem suam in Hispaniam moriturus rediit. Culpæ suæ non diu supervixit, sed & eam pœnitentia delevit, nam morti proximus, ad modum testamenti contra vim sibi factam protestatus est, hæresin Arianam devovit, omnesque Fideles, ut eam detestarentur, hortatus est.

Sæculum IV. A. C. 357.

Soc. II. hist. c. 31. Sulpit. Sev. lib 2. p. 417. Athan. Apol. 2. p. 807. Sozo. IV. hist. c. 12. Athan. ad sol. p. 481.

Philostorg. IV. c. 3.

Athan. ibid.

§. XLVI.

Lapsus Papæ Liberii.

Liberius Papa duos annos in exilio transegerat, atque, crescente adversariorum furore, unicum ejus solatium, Urbinum Diaconum, quem apud se habebat, eripuerunt. Fortunatianus Episcopus Aquilejensis primus fuit, qui ejus con-

Liber. ep. 10. ad Vinc.

Sæculum IV. A. C. 357.

constantiam sollicitavit, ut Imperatoris voluntati cederet, nec ullam viro requiem concessit, usque dum subscripsisset. Demophilus Episcopus Bereensis, quam civitatem Liberius exilii sui locum nactus erat, ei fidei Professionem Sirmiensem proposuit, id est juxta opinionem magis probabilem, primam contra Photinum compositam in Concilio acto anno 351. cui Demophilus interfuerat; in hac formula tacite voces: Consubstantialis, & in substantia similis supprimebantur, de cœtero defendi poterat, quod etiam S. Hilarius fecit. Hanc ergo Liberius probavit, & tanquam Catholicæ subscripsit, Communioni S. Athanasii renuntiavit, & cum Orientalibus, id est, Arianis communicavit. Tum Fortunatiano Epistolam ad Imperatorem Constantium ferendam dedit, qua rogabat; ut amore pacis, & concordiæ se ad Ecclesiam suam redire permitteret, & ab exilio Legatos quoque suos, & alios Episcopos revocaret. Exinde ad Episcopos Orientis scripsit in hunc modum: *Athanasium non defendo; cum Julius Prædecessor meus, felicis memoriæ, eum receperit, prævaricaturum me credideram, si rejicerem; sed postquam Deo adjuvante cognovi, juste a vobis fuisse condemnatum, illico consensi, & fratri nostro Fortunatiano litteras tradidi, quas ad Imperatorem*

Ep. 7.

Sup. §. 6.

De Syn. p. 340.

Liber. ep. 9. in fragm. Hilar. p. 427.

Lib. Ep. 7. p. 426.

rem scripsi; itaque excluso a Communione nostra Athanasio, cujus ne quidem Epistolas accipiam, his notum facio, mihi vobiscum, & cum omnibus Episcopis Orientalibus omnium Provinciarum pacem, & unionem esse placere, utque de sinceritate nostra, qua scribimus, nullum vobis dubium remaneat, postquam frater noster Demophilus fraterna charitate formulam veræ, & Catholicæ fidei mihi subscribendam proposuit, quam plures ex Episcopis, fratribus nostris, Sirmii examinarunt, libenti animo recepi, nec, quod reprehenderem, inveni. Cæterum rogo vos, ut, cum me vobis consentientem in omnibus habeatis, operam jungere non detrectetis, qua ab exilio revocatus, ad Cathedram, in quam me posuit Deus, reverti possim. Sæculum IV. A C. 357.

Aliam dedit Epistolam ad Vincentium Capuanum, olim Legatum suum, qui se ab Imperatore seduci passus fuerat; Ad hunc, ora Dominum! inquit: ut nobis virtutem patientiæ tribuat; filium nostrum charissimum Urbinum Diaconum, solatium meum, Venerius Imperatoris Procurator a meo latere avulsit. Ideo notum tibi faciendum esse putavi, quod me illi contentioni, cujus materia est Athanasius, subtraxerim, atque hac de re ad fratres nostros Episcopos Orientis scripserim. Jam undique pacem habemus, quod omnibus Campaniæ Episcopis indices velim, *Ep.* 10. *Sup.* §. 10.

Sæculum IV. A. C. 357.

velim, & ad Imperatorem mei causa scribas, ut hac quoque gravissima calamitate liberer. His manu propria subjunxerat: *Pax nobis est cum omnibus Orientis Episcopis, & mihi præprimis tecum. Coram Deo exoneravi conscientiam meam; superest, ut vos decernatis, num mihi in hujus exilii ærumnis contabescendum. Dominus inter me, & vos judicabit.* Ita Papa Liberius Athanasium, cujus causa tunc a causa fidei erat inseparabilis, deseruit. (*)

§. XLVII.

(*) Hic in longiore Nota Interpres Protestans proterve exultat, inter alia dicens: **Denn da wird von einigen Papisten, die gern den zum Arianer gewordenen Pabst** *Liberius* **retten wollen** ꝛc. ꝛc. Deinde opinionem Fleurii probabilem esse, nempe Liberium Fidei Formulæ primæ contra Photinum compositæ, quæ ab Hæresis labe absolvi potest, subscripsisse, adductis quibusdam conjecturis negat, homo, cui toties falsi convicto, nisi aliorum, fide magis dignorum testimonia afferat, nihil credendum. Etsi vero Liberius interne errasset, quod ex nulla circumstantia satis probatur, cum tamen, præter omnium Pontificum morem, nullum convocaverit Concilium, aut saltem minorem Episcoporum Congregationem, non potest præsumi voluisse loqui ex Cathedra, atque ita error ejus in fide Hominis privati, non Capitis Ecclesiæ fuisset.

Sæculum IV.
A. C. 357.

§. XLVII.

Epistolæ S. Athanasii ad Solitarios.

Sanctus Athanasius inter hæc scripsit Apologiam, ut fugæ suæ causam defenderet contra Arianos, præsertim Leontium *Athan. p. 701 to. 2.*

fuisset. Inferius adducit Protestans testimonia contra Liberium. Verum quidem, quod S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. de Fortunatiano scribat: *Et in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ Urbis Episcopum pro Fide ad Exilium pergentem primus sollicitavit, ac fregit & ad Subscriptionem Hæreseos compulit.* At quis ex his ipsis S. Hieronymi verbis non videt, Liberium libere non subscripsisse, ex quo sequitur, mente in Hæresin non consensisse? Et quis nescit, eundem, postquam Sedem suam denuo obtinuit, qualemcunque hunc errorem forti Confessione emendasse? S. Athanasii, & S. Hilarii verba, ab Interprete relata, Liberium quidem lapsum fuisse, sed non peccato Hæresis internæ, probant. Acta, & dicta Liberii Papæ hunc lapsum antecedentia, & subsequentia, attente omnia consideranti satis demonstrant, mente hæreticum nunquam fuisse; cur enim anno 360. Formulæ Arianorum Ariminensi, urgente Constantio Imperatore, non subscripsit? Quo facto Fleurius dicit, Liberium, & Vincentium Capuanum priorem culpam deleviſſe. Ulterius

Sæculum IV. A. C. 357.

tium Antiochenum, Narcissum Neroniadenum, & Georgium Laodicenum, qui eum

terius Protestans dicit: Da man in den neuern Zeiten den Grundsatz angenommen, daß ein römischer Pabst *infallibel* seyn müsse, so hat man freylich darauf bedacht seyn müssen die *Infallibilität* des *Liberius* bey diesem Fall zu retten. Da aber diese Arbeit den beyden grossen Vertheidigern *Baronio*, und *Bellarmino* so herzlich schlecht gelungen, so ist an einer nur erträglichen Vertheidigung gänzlich zu zweifeln. Hic iterum de infallibilitate SS. Pontificum homo iste garrit, ut cœcus de coloribus. Nam ignorat, vel maligne dissimulat, quomodo aliqui ex Catholicis, & quando, soli Summo Pontifici infallibilitatem tribuant, & Quæstionem quæ in Scholis in utramque partem movetur, tanquam Doctrinam recentioribus temporibus in Ecclesia Catholica receptam falso jactat. *Itaque, mi bone Protestans, si bonus es! etiamsi Liberius Papa non tantum errasset in moribus, sed etiam in Fide, hoc non obstante, sola Ecclesia Romano-Catholica promissionem Christi, & Notas habet, quod infallibilis sit, & tu certissimum indicium, quod extra illam Ecclesiam existas, extra quam non est salus.* Tandem Cardinalibus Baronio, & Bellarmino, viris celeberrimis, insultare audet homo, qui quoties Catholicos aggreditur, Propositionem, sicut hic de Infallibilitate SS. Pontificum, in suo cerebro confictam, id est, mendacium, pro fundamento ponit, cui deinde suas in Ecclesiam Catholicam argutias superstruit.

eum vecordiæ incusabant. Ostendit, quam præpostere Persecutores isti se, quod fugisset, reprehenderent, & facti sui justitiam tum auctoritate Scripturarum, tum exemplo Prophetarum, Apostolorum, imo & JEsu Christi plenissime probat. Circa idem tempus scripsit Epistolam ad Solitarios, quod ex eo appareret, cum dicat, Leontium Sedem Antiochenam occupare, id enim ultra initium anni 358. extendi non potest. Hæc Epistola est amplus Tractatus duabus partibus constans, prima erat dogmatica, quæ jam desideratur, altera historica, cujus potissima cum præfatione ad totum opus adhuc supersunt. In Exordio dicit, se, ut eorum instantissimis precibus satisfaceret, calamitates suas, & Ecclesiæ perscribere, atque ad confutandam Arianorum hæresin insurgere; *At vero*, subjungit: *quo contentiore studio scribere cupiebam, eo magis divinitatem Verbi scrutabar, eo magis hujus Mysterii cognitio a me fugiebat, & eo magis a me remotam intellexi, quo magis id Mysterium a me capi putabam; non enim ea ipsa, quæ intelligere mihi videbar, scribere valebam, & quæ scribebam, hanc tenuem veritatis umbram, quam intellectu concipiebam, non assequebantur. Sæpe animus fuit a cæpto desistere, tamen ne vos affligam, aut illis, qui vobiscum disputant, meo silentio cedere*

Sæculum IV. A. C. 357.

p. 812.

Sæculum IV A. C. 357.

cedere videar, repugnantem animum ad scribendum compuli, & quod scripsi, transmitto. Nam quamvis ob carnis hebetudinem a cognitione veritatis longissime absimus, facile tamen est impiorum temeritatem deprehendere. Si impossibile est cognoscere, quid Deus sit, possibile est dicere, quid non sit; eodem modo res se habet, dum disputamus de Filio Dei, non multa scientia opus ad ea damnanda, quæ hæretici in medium afferunt; quilibet dicere potest: Hoc Filius Dei non est, non licet talia de eo cogitare, multo minus palam eloqui.

Epistolæ S. Athanasii.

Scripsi ergo, prout potui; vos autem, chari fratres! hoc scriptum suscipite non ut perfectam de Verbi divinitate explicationem, sed tantum eorum, quæ inimici ejus impie dicunt, refutationem, & ad defendendam sanam Doctrinam subsidium; si quæ imperfecta sint, nihil autem perfecti inesse existimo, sincere ignoscite, & saltem bonam meam voluntatem pro defendenda veritate boni consulite. Et inferius: *Postquam hoc legeritis, orate pro nobis, & ad orandum alter alterum excitate, at statim mihi remittite scriptum, nec ulli describendi potestatem facite, at nec vobismet ipsis describite, sed ejus lectione contenti sitis, quantumvis illud sæpius legere optaretis; non esse tutum judicamus, hominum res divi-*

divinas ignorantium scripta, qualia nostra sunt, qui de tantis mysteriis vix aliquid balbutimus, ad posteros transmittere. Ita de sua ipsius Doctrina profundissimus sui ævi, & forte totius Ecclesiæ Græcæ primus Theologus loquebatur. Post hanc Præfationem secunda pars totius operis sequitur, nempe persecutionum S. Athanasii historia, nec ipsa perfecta, nam primum post Concilium Tyrienſe anno 335. incipit, & finit in iis, quæ post intrusum Georgium violenter acta sunt; mentionem quoque facit de lapsu Osii, & Liberii, unde hoc opus ante annum 357. scriptum non fuisse, conficitur.

p. 841.

p. 837.

S. Athanasius in hac narratione simulationem refellit, qua Imperator Constantius in Epistola, ad populum Alexandrinum data, persecutioni fucum quærit allinere; hanc Epistolam Comes Heraclius publicaverat. In ea Constantius dicebat; se non alia de causa reditum Athanasii dissimulasse, quam ut ad tempus amicitiæ fratris sui Constantis aliquid daret. Respondet S. Athanasius; ergo fallacia fuisse ejus promissa, & post mortem despexisse fratrem, cujus hæreditatem civili bello, & cruento sibi vindicabat. Constantius dicebat; se Athanasium relegando Constantini Magni, Parentis sui, exemplum sequi. *Sequitur*, respondet S. Athanasius: *in iis, quæ hæreti-*

Sup. §. 28.

p. 843.

Sæculum IV. A. C. 357.

reticis placent, in aliis, quæ hæreticos offendunt, a Patris exemplo declinat; Constantinus, auditis Eusebianorum calumniis ad tempus Athanasium in Gallias misit, ut eorum crudelitati subtraheret; at persuaderi se non est passus, ut in ejus locum Episcopum, quem ipsi cupiebant, mitterent, impediit, ne facerent, terribilibus minis ab hac molitione absterruit. Cur ergo, si Patrem suum imitari vult, primo Gregorium, & jam Georgium, pecuniæ alienæ decoctorem, in Sedem Alexandrinam immisit? Cur Arianos, quos Parens ejus Porphyrianos appellabat, in Ecclesiam inducere annititur? Jactat se Canones observare, ea omnia faciens, quæ Canonibus prohibentur; aut edicat, quo Canone statutum sit, ut Ecclesiæ vacanti Episcopus ex aula Imperatoris mittatur? Milites Ecclesiis insultent? Comites, & Evnuchi in rebus Ecclesiasticis pronuntient, & Episcopi Edictis Cæsareis judicentur?

Epistolæ S. Athanasii. p. 856.

S. Athanasius in hoc opere non amplius, sicut antea solebat, Constantio parcit; ex litteris ejus, & mandatis inter se repugnantibus levitatem arguit, quodque non motu proprio ageret, sed prout ab aliis ageretur. Crudelem animum reprehendit, quod sanguine sibi conjunctorum vitæ non peperciſſet; *Is est*, inquit: *qui Patruos jugulavit, Patrueles necavit, Soceri filiæ, cum ærumnis extremis*

tremis luctantis, non est misertus, Olympiadem fratris sui Sponsam, qui eam usque ad mortem suam, futuram uxorem, apud se servaverat, Barbaro (nempe Arsacio Regi Armeniæ) *in matrimonium dedit.* Tandem non nimium esse existimat, si Constantium vocet Anti-Christum. Ut ostendat, quanta injustitia Ariani Catholicos persequantur, inquit: *Si probrosum est, Episcopos quosdam metu a proposito dimoveri potuisse, quanto magis pudendum, fuisse aliquos, qui sanctis Viris vim injustam inferre voluerint! nulla re magis Arianæ causæ imbecillitas patet, & Doctrinæ falsitas, quam quod eam, nihil proficientibus verbis, verberibus inculcare opus sit! ita Diabolus, mendaciorum Parens, cum securi, & ascia venit exscindere portas eorum, qui se recipiunt. At Salvator noster tam mitis est, ut doceat tantum, & dicat: si quis vult post me venire. Et, qui vult Discipulus meus esse. Et quando ad quemquam nostrum venit, non infert vim, sed pulsat ad ostium, dicens: Aperi mihi soror mea! Sponsa mea! si ei aperitur intrat, si non auditur discedit. Quis enim veritatem prædicat, gladio accinctus, & telo? aut ubi aliquando milites evangelizarunt, vel quis unquam vidit armatos Apostolos? Non aliter veritas quam consilio,*

p. 860.

p. 830.

Psal. 73. 6.

Luc. 9. 23.

Cant. 5. 2.

Sæculum IV. A. C. 357.

silio, & suasione insinuatur. Si quis Arianis resistat, punitur; O! præclaram eloquentiam, potentissimam sane benedicendi artem! quæ in peroratione pavidis auditorum mentibus, injecto mortis, aut exilii metu, quod vult, persuadet! Et inferius: *Veræ Religionis propria virtus est, ut non cogat, sed persuadeat, ipse enim Dominus nulla vi usus est, cuique liberam voluntatem relinquens, dum dixit: Si quis vult post me venire. Et ad Discipulos suos: Nunquid & vos vultis abire?* Tum alibi prosequitur Athanasius: *Quænam hodie Ecclesia JEsum Christum libere adorat? nam si in fide sincera est, periclitatur, si dissimulat, conscientiæ stimulos pavet. Unius improbitate factum, ut impietate, & hypocrisi plena sint omnia! si qui sunt fideles JEsu Christi servi, sunt autem ubique non pauci, abscondunt se Magni Eliæ exemplo, dum alterum Abdiam invenerint; in cavernis, in specubus subterraneis latent, aut in desertis errant.*

p. 855.

Joan. 6. 67.

p. 648. 8.

3. Reg. 18. 4.

Hebr. 11. 38.

Est & alia S. Athanasii parva Epistola ad Solitarios, quæ tantum latina invenitur inter Luciferi opera. Sæpe Ariani, & Catholici cum iis communicantes, de industria Monachos invisebant, ut deinde possent ambitiose narrare, se eorum communione frui. Hæc res Fidelibus scandalo erat; hinc S. Athanasius Solitarios

tarios rogat, ut sollicite fidem eorum, qui ad se venirent, examinent, & qui Doctrinam Arianorum tenerent, constanter rejicerent, eos autem Catholicos, qui cum illis communicarent, hortarentur, ut ab Arianis se separarent, si facturos se promitterent, cum iis Monachi communionem haberent, & hos, qui hæreticorum societatem fugere nollent, devitarent. Sæculum IV. A. C. 357.

§. XLVIII.

S. Cyrillus Jerosolymitanus deponitur.

Acacius Cæsariensis suam Sedem obtinebat, non obstante Concilii Sardicensis Decreto, quo depositus fuerat. Lis ei erat de juribus Ecclesiæ suæ Metropolitanæ cum S. Cyrillo Jerosolymitano, qui, cum Sedem Apostolicam occuparet, negabat eam Ecclesiæ Cæsariensi esse subjectam. Ex Doctrinæ diversitate crevit dissensio, quippe Acacius Arianus erat, & S. Cyrillus Doctrinam Catholicam tenens, Filium Consubstantialem docebat. Itaque alter alterum de errore in fide accusabat. Acacius, ut erat in rebus gerendis promptus, & perspicax, S. Cyrillum præveniens, sæpius ad se citavit; is, cum Superiorem non agnosceret Acacium, nulla esse causam, cur compareret, *Theod. II. hist. c. 26. Sozom. IV. c. 25.* *Phil. IV. c. 13.*

Sæculum IV. A. C. 357.

reret, arbitrabatur. Interim Acacius prensata hac occasione Cyrillum coacto Concilio deponit, quod duobus annis citatus comparere, & ad objectas accusationes respondere contumaciter renuisset. Accusationis substantia erat, quod S. Cyrillus Ecclesiæ Thesauros vendidisset. Factum erat, ut annonæ inopia Diœcesanos Jerosolymitanos premente, omnes in tanta necessitate ad Cyrillum, a quo opem sperabant, se converterent, atque ipse pecunias non habens, vasa quædam ad decorem reservata, & pannos pretiosos venderet. Accidisse deinde ferunt, ut quisquam observaret, fœminam, in theatro ludentem, illa veste indutam esse, quam ipse Ecclesiæ donasset; dum curiose inquirit, unde accepisset, a mercatore emisse comperit, ipsumque mercatorem ab Episcopo. Ejusmodi fuere causæ, quas Acacius ad deponendum S. Cyrillum obtendit.

Socr. II. c. 40 p. 125.

Soz. IV. c. 25.

Socr. II. c. 40

S. Cyrillus contra Leges se condemnatum ratus, ad majus tribunal appellavit, & ipsum appellationis actum ad eos, qui se deposuerant, misit. Constantius Imperator appellationem approbavit, sed nihilominus pro nulla habita est, & S. Cyrillus accusatus, quod ipse primus judiciorum sæcularium more ausus fuisset appel-

v. Marca Concord. l. VII. c. 2. §. 10.

appellare. (*) S. Cyrillus itaque ab Acacio non ſolum depoſitus, ſed etiam Jeroſolyma pulſus, Antiochiam venit, quæ tunc Leontio defuncto, & Succeſſore nec-dum electo, nullum habebat Epiſcopum, inde ergo Tarſum ſe contulit, & apud Epiſcopum Silvanum manſit; id ubi Acacius reſcivit, ſcripſit ad Silvanum, & depo-

Sæculum IV. A. C. 357.

Theod. II. hiſt. c. 26.

(*) Hæc Fleurii verba P. Balduinus in Reflexione ad hunc librum reprehendit. Oportuiſſe de S. Cyrillo modeſtius loqui. Fleurius S. Cyrillum non accuſat, ſed ab aliis accuſatum refert. Deinde arguit, quod Fleurius ad Numerum XLVII. mentionem faciat de lapſu Liberii Epiſtola ad Solitarios, & non excerpſerit illa verba: *Quæ enim per tormenta contra priorem ejus ſententiam extorta ſunt, ea jam non metuentium, ſed cogentium voluntates habendæ ſunt.* Fleurius omnia excerpere non potuit, nam quæ de hac Epiſtola ſola extraxit ferme duo folia implent. Et nullibi rigidus Liberii Cenſor eſt. Ergo hic iterum nulla malæ fidei umbra. Quæ inferius P. Balduinus in hac Reflexione ſubjungit, Fleurio non nocent, ſed favent. Ceterum hæc Patris Balduini verba ex Epiſtola S. Athanaſii excerpta ſerviunt ad retundendam Interpretis germani impudentiam, dicentis, ut in ſuperiore Nota vidimus, S. Athanaſium Liberii Pontificis lapſum vituperaſſe, & non excuſaſſe.

Sæculum IV. A. C. 357.

depositionis Cyrilli certiorem reddidit, Sylvanus tamen non ideo S. Cyrillum a publico in Ecclesia officio arcendum existimavit, tum quod maxima eum Veneratione prosequeretur, tum ne populus sermonibus ejus, quos avide audiebat, privaretur.

§. XLIX.

Epistolæ Episcoporum Galliæ ad S. Hilarium.

Hilar. de Syn. init.

Anni jam tres effluxerant, ex quo S. Hilarius Pictaviensis in exilio vivens, ab Episcopis Galliæ nihil litterarum acceperat, quamvis diversis e locis ad eos scripsisset. Tandem timuit, ne voluntarium esset silentium, ipsique cum totaliis in errorem lapsi essent, hinc ipse quoque silere statuerat, nec cum ipsis ultra communicare, postquam secundum Domini Nostri præceptum sæpius monuisset; non enim credibile sibi videbatur, eis Epistolarum suarum nullam fuisse redditam, quibus de statu Ecclesiarum Orientalium, atque de fide, & zelo multorum Episcoporum referebat. Tandem aliquas ab eis accepit Epistolas, ex quibus intellexit, si prius nullas accepisset, nullam subesse causam, quam quod locum, ubi ipse moraretur, nescivissent. Summo lætitiæ sensu perspexit, ipsos fidem servasse inte-

integerrimam, sibi absenti semper in Spiritu unitos fuisse, & per hoc triennium communionem Saturnini, exilii sui Auctoris, semper rejeciisse; cum non diu antea Sirmio formula Potamii ad eos fuisset missa, non solum non recepisse illam, sed etiam nominatim damnasse. Etiam rogabant, ut eis clare explicaret, quænam esset Orientalium de Divinitate Filii Dei fides, & quid sibi vellent tot repetitæ, aliæque fidei formulæ, quas a tempore Concilii Nicæni composuissent? Ad hæc S. Hilarius, cui hæ Epistolæ tenerrimum tulere solatium, suo Tractatu de Synodis respondit. Sæculum IV. A. C. 357.

§. L.

Tractatus S. Phebadii Aginnensis.

Secunda formula Sirmiensis, Potamii partus, non solum in Gallia condemnata, sed etiam docte a S. Phebadio Episcopo Aginnensi refutata est. Primo mentem suam declarat, non aliud sibi scribendi propositum esse, quam necessariam fidei defensionem contra hæresin, cujus jam tanta esset temeritas, ut fidei nomen, & Catholicæ etiam usurpare auderet; tum omnia formulæ Sirmiensis verba a capite usque ad calcem rigido examini subjicit, & monstrat, ea ipsa,

Sæculum IV. A C. 357.

quæ bona videri possent, maligne esse posita, & facile ad sensum hæreticum explicanda. Quamvis hoc scriptum præcipue ageret de Mysterio Trinitatis, tamen S. Phebadius etiam de Incarnatione differebat, occasione cujusdam Epistolæ, quam Potamius in Orientem, & Occidentem miserat; in hac Potamius dicebat; postquam caro, & Spiritus JESU Christi per sanguinem Mariæ uniti essent, & in unum corpus juncti, Deum factum esse passibilem, ita ut ex Spiritu Dei, & carne hominis, nescio quod, tertium effingerent, quod nec proprie Deus esset, nec homo. Hæc omnia in hunc finem, ne fateri cogerentur, Verbum sua natura, sicut Patrem, esse impassibile. Ergo S. Phebadius ex Scriptura utriusque substantiæ in JEsu Christo diversas proprietates demonstrat.

In Episcopos invehitur, qui dicere vetabant, (*) unicam in Deo esse substantiam, & auctoritati Patrum Concilii Nicæ-

(*) Ne perperam toties dicere videar, Versionem Germanicam scatere erroribus, duos hic indicabo. Qui dicere vetabant, reddidit Interpres: Welche sagten. Et loco Concilii Niceni. Posuit; Tridentini.

Nicæni innititur. Ostendit vocem: Sæculum IV.
Subſtantia, ſæpe in Scriptura adhiberi, A. C. 357.
nec quidquam ſignificare Deo indignum. Poſtquam docte fidem Catholicam de unitate Subſtantiæ, & Perſonarum diſtinctione explicavit, concludit in hunc modum: *Hæc credimus, hæc tenemus, hæc a Prophetis accepimus, hæc nobis Evangeliſtæ annuntiaverunt, docuerunt Apoſtoli, & Martyres in tormentis confeſſi ſunt. Huic fidei tam firmiter inhæremus, ut Angelo de cælo, contraria* Gal. 1. 8. *nobis afferenti, anathema diceremus. Scio equidem, quod, dum veritatem examinaverim, & in lucem, ita ut a cunctis cognoſci poſſit, produxerim, nobis tanquam fortis machina opponatur nomen Oſii, inter omnes Epiſcopos antiquiſſimi, cujus fidem nunquam non ſecure ſequi licuit; ſed breviter ab hac objectione me expedio, dicoque, nihil ad ſtabiliendam vel labefactandam cauſam fidei conferre auctoritatem viri, qui aut hodie fallitur, aut ſemper fallebatur; res eſt univerſo orbi nota, quænam viro ad ultimam usque ætatem ſententia ſteterit, quanta conſtantia, & fortitudine Doctrinam Catholicam Sardicæ, & Nicææ defenderit, & Arianos damnaverit; ſi hodie aliter ſentit, ſi probat, quæ prius damnavit, & damnat, quæ probavit, re-*

Sæculum IV. A. C. 357.

peto; nulla est ejus auctoritas; si enim per nonaginta ferme annos in fide erravit, eum post annos nonaginta veram fidem assecutum non credam, & si hodie demum veram fidem tenet, quid dicendum erit de iis, quos in fide, quam tunc tenebat, baptizavit, & ex hoc mundo migrarunt? imo quid de ipso foret sentiendum, si ante hoc Concilium mortuus esset? igitur, sicut dixi, præjudicio ipsius auctoritatis nulla vis inest, cum se ipsam destruat. Legimus quoque: Ezech. 33. 12 *Justitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit.* Ita clauditur Tractatus S. Phebadii Aginnensis, qui post Osii lapsum, & ante mortem ejus scriptus fuisse dignoscitur.

HISTÓ-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XIV.

LIBERIUS, PAPA. CONSTANTIUS, IMPERATOR.

§. I.

S. Basilius in Solitudine.

Sanctus Basilius, & S. Gregorius Nazianzenus non multum post discessum Cæsaris Juliani Athenis morati sunt; absolutis studiis in Patriam redire statuerunt, & prior in viam se dedit Basilius; Cæsaream Cappadociæ reversus, statim quasdam in foro causas civiles dixit, hæ enim erant illorum rudimenta, qui munera publica ambiebant, hinc etiam ars eloquentiæ tanto in pretio habebatur; Sed in Basilio Philosophiæ Sæculum IV. A. C. 357.

Sæculum IV. A. C. 357.

amor ambitionis ſtimulos ſuppreſſerat, ſpernebat Dignitates, non quidem humilitate Chriſtiana, ſed quod ſuis naturæ dotibus, & ſublimis Philoſophiæ ſcientia, ſe his ſuperiorem crederet. Soror ejus Macrina brevi meliorem fratri Philoſophiam ſuggeſſit, ita, ut humanam gloriam, & famam, quam ſibi eloquentia parare poſſet, vilipendens, paupertatem voluntariam amplecti voluerit & laborare manibus ſuis, ne quid eſſet, quod ſe in via virtutis moraretur.

S. Greg. Nyſſ. vita S. Macrin. p. 181.

S. Macrina inter decem liberos Baſilii, & Emmeliæ major natu erat, quam Mater ſingulari cura educavit; quamvis ei nutricem dediſſet, ſæpiſſime tamen ſuis ſuſtentabat parvulam brachiis; & videns Mater in paucis raram eſſe Filiæ indolem, ſeu ingenii capacitas, ſeu docilitas ſpectaretur, noluit, ut vulgari methodo informaretur; erat autem hæc methodus, quod in manus teneræ juventutis libri Poetarum tradi ſolerent, nempe tragœdiæ depravatis affectibus exornatæ, aut carmina impudicitiam docentia. Econtra Macrina Matre Magiſtra illos S. Scripturæ libros diſcere jubebatur, qui ejus ætati magis conveniebant, quales ſunt, libri Salomonis, & Pſalmi; hos canendo ita ſibi familiares reddidit, ut eo cantu, quidquid ageret, animi hilaritatem teſtaretur, e lecto ſurgens, labori

ibid. p. 179.

bori se accingens, quiescens, ante & post comestionem, cubitum concedens, rursusque ad preces nocturnas surgens semper Psalmos modulabatur; Lanificii erat peritissima, quod commune est mulierum opus. Ubi annum ætatis duodecimum attigit, cum formæ puellaris eximius esset nitor, magna eam juvenum turba in Sponsam exoptabat; is vero, quem puellæ Parens inter omnes sibi in Generum elegerat, præcoci fato ante nuptias ereptus est; tum Macrina, gratissima sibi occasione usa, Virgo permanere statuit, dicens, eum, cui se Pater destinasset, semper pro Sponso habituram, & obitum ejus profectionem sibi videri, qua finita in resurrectione mortuorum conjungerentur. Ergo a Matris latere avelli non potuit, cui omne filialis obsequii genus exhibens, panem coquebat, & labore manuum suarum alebat; defuncto Patre, ipsa maximum Matris viduæ solatium fuit, & in sustentanda copiosa familia, nec non magnarum possessionum, per tres Provincias dispersarum, administratione auxilium. Talis erat S. Macrina; & in hoc statu S. Basilius, Athenis rediens, suam invenit familiam. Sæculum IV. A. C. 357.

Tunc, ut ipse de se narrat, quasi e somno profundo evigilans, veram Evangelii lucem cœpit admirari, & humanæ Sapientiæ vanitatem agnoscere; deflebat *Ep.* 79. *p.* 853.

Sæculum IV. A. C. 357.

bat juventutis suæ tempus, in acquirendis profanis scientiis collocatum, cumque in Evangelio legisset, primum ad perfectionem gradum esse, bona sua vendere, pauperibus distribuere, atque omnem temporalium curam, & affectum deponere, virum invenire cupiebat, quem, hanc viam ingressum, Ducem sequi posset. Hoc consilio varia suscepit itinera, virosque tales, quales ipse optabat, prope Alexandriam, & in reliqua Ægypto vidit; alii occurrerunt in Palæstina, Syria, & Mesopotamia, quippe vita Monastica per omnes has Provincias jam tum fuerat prolata; Horum Basilius abstinentiam, laboris assiduitatem, & orationis fervorem suspiciebat; mirabatur, quod somnolentiam deviciſſent, & omnibus naturæ necessitatibus resisterent, in fame, & siti, frigore, & nuditate animam liberam, & in cœlestibus fixam conservarent, corpus negligerent, nec ulla cura dignarentur, sed quasi in carne aliena habitantes, suo exemplo, & ipso facto demonstrarent, qua ratione in hac vita Mundi viatores, & Cœli incolæ esse valeamus. Hæc sunt S. Basilii verba, quibus subjungit, animum suum vehementi desiderio fuisse impulsum, proposita exemplum imitandi.

Carm. 1. *p.* 5.

S. Gregorius Nazianzenus paulo post Basilium Athenas reliquit, moræ impatiens,

tiens, qua ab amico chariſſimo ſeparabatur. Tunc redux primum baptizatus eſt, atque abhinc Gloriæ, deliciis, & terræ hujus bonis nuntium miſit, ut vitam vere Chriſtianam duceret. Sacras Scripturas meditabatur, ut ſpecies, ex libris profanis hauſtas, deleret. Carnis petulantiam, & ardorem juventutis gravi labore manuum domabat, jejunabat, oculos frœnabat, riſum, iracundiam moderabatur, humi cubabat, rigido indutus veſtimento, non aliud vigiliæ quærens ſolatium, quam largas lacrymas; de die dorſum in labore incurvabat, noctem in Dei laudibus tranſigebat. Hæc fuere Gregorii in ſua converſione initia. Ex omnibus artibus ſolam retinuit eloquentiam, qua ad Dei honorem uteretur. Cum ea eſſet ætate, qua vitæ genus eligere oportet, deliberabat, an perfectam ſolitudinem ad Exemplum Eliæ, S. Joannis Baptiſtæ, & Recabitarum amplecti ſibi expediret, an in Societate hominum permanere, ut plenius Divinis litteris imbueretur; tandem placuit vita mixta, quæ unius tranquillitatem cum alterius utilitate conjungeret; maxime autem, ut hanc eligeret, permovit cogitatio, ne, ſi Mundum penitus relinqueret, ſimul Parentum ſuorum canos deſtituiſſe videretur; ergo eorum curam, & negotiorum domeſticorum gerere decrevit; maxima

Sæculum IV. A. C. 357.

Carm. 54. *p.* 1. 30.

Carm. 1. *p.* 5.

Carm. 2. *p.* 33.

Sæculum IV. A. C. 357.

ssima sua moleſtia, quam ei faceſſebat regimen in domeſticos, quos ſi ſevere tractaveris, aſperantur, ſi leniter, inſolescunt. Rurſus difficillimam rei domeſticæ curam reddebant immodica tributa, quæ fundorum poſſeſſoribus imperabantur, & eorum, qui iisdem colligendis præfecti erant, inhumanitas; tandem graviſſimum accidebat, quod in judicio contendere cogeretur, ubi ſibi cum adverſæ partis mala fide, & corruptorum judicum avaritia pugnandum erat, ita ut edixerit; in judicio litigantibus impoſſibile eſſe ſine ſingulari Dei gratia cordis puritatem ſervare. Hæc impedimenta Gregorium morati ſunt, quo minus S. Baſilium, ſicut promiſerat, in ſua e mundo fuga ſequeretur.

SS. Gregorii, & Baſilii vita.

Greg. ep. 5.

S. Baſilius, eo non exſpectato, poſtquam a profectione Ægyptiaca, & Orientis reverſus eſt, & vitam eorum, quos viderat, imitari decreviſſet, ſtatim cum quibusdam ſocietatem iniit, quos in patria ſua invenit, externe eandem vitæ rationem tenentes. Erant hi Euſtathius Sebaſtenus, & Diſcipuli ejus, quorum veſtitus craſſus, & vitæ auſteritas, a voluptate abhorrentis S. Baſilio impoſuere, credenti, ſanctam eſſe eorum intentionem, eorumque familiaritatem ſibi ad ſalutem fore utiliſſimam.

Baſil. ep. 79.

Non

Sæculum IV. A. C. 357.

Non deerant, qui S. Basilium monerent, ut ab istis hominibus propter Eustathium Magistrum suum de Ariana hæresi suspectis caveret; ipse vero criminose hæc dici ratus, timuit, ne temerarium de proximo ferret judicium, nec nisi post hæc errorem suum dedoctus est. Interim in habitationem sibi elegit locum quemdam desertum in Provincia Ponti haud procul fluvio Iri, & Ibora oppido Episcopali; causa autem, cur hanc Regionem aliis præferret, fuit, quod jam prius S. Macrina Soror ejus cum Matre sua S. Emmelia in vicinam suæ possessionis terram se recepissent. S. Macrina, congregatis ibi multis ex domesticarum, & amicarum numero fæminis Monasterium formaverat, & plantas novellas regebat; hoc Cœnobium fæminarum septem, aut octo, non pluribus, stadiis, id est, paulo ultra quartam partem Leucæ distabat ab Ecclesia quadraginta Martyrum, quos tota ista familia peculiari devotione colebat. Illuc S. Emmelia ipsorum Martyrum quasdam Reliquias deferri curaverat, quam translationem duo Miracula celebrem reddidere. In hoc Sanctimonialium domo omnes Sorores sibi invicem æquales convivebant, nulla gradus, aut Dignitatis distinctione, eadem reficientibus mensa, pares lecti, omnia omnibus communia; delicias suas in

Greg. Nyss. vita Macr. p. 184.

Sæculum IV. A. C. 357. in abstinentia, gloriam in obscuritate, divitias in paupertate, & bonorum omnium, sensus afficientium, contemptu collocabant. Opus earum erat rerum Divinarum contemplatio, oratio diurna, nocturnaque Psalmodia. In labore requiem quærebant, atque ita de die in diem Perfectione Christiana proficiebant.

§. II.

Vita S. Basilii in Deserto.

p. 19. Ergo non procul ab hoc Monasterio in Eremum migravit Basilius; locus erat desertus, ad pedem montis situs, Sylvis incinctus, & profundis vallibus, ubi torrens in præcipitium ruebat. Hujus deserti amœnam effinxit imaginem ad amicum suum Gregorium scribens, qui ei respondit cavillando ridiculam solitudinem, ut risum, quo Basilius alium locum a se designatum exceperat, ulciscceretur; quippe Sanctorum virorum gravitas non obstabat, quo minus non nunquam jocarentur. Exinde autem Basilius Gregorio serio vitæ suæ in solitudine, & totius instituti rationem perscripsit, in celebri epistola, ubi tamen magis indicare videtur, quid in deserto faciendum, quam quid ipse faciat, cum se hactenus parum sibimetipsi placere, & modicum vitæ solitariæ fructum reportasse, teste-

ep. 1.

teſtetur. Utilitatem Solitudinis inde demonſtrat, quod hominis cogitationes ad certum, & unum ſcopum colligantur, & vehementes affectus, quibus materiam ſubtrahit, eludat. *E mundo exire*, inquit: *non eſt corporaliter hominum ſocietatem relinquere, ſed potius in eo conſiſtit, ut commercium corporis, & animæ tollatur. Ille mundo exiit, qui obliviſcitur civitatis ſuæ, familiæ, amicorum, bonorum, negotiorum, qui ea, quæ ab hominibus didicit, damnat, ut Divinæ Doctrinæ recipiendæ paratior ſit. Totum Solitarii negotium ſit, imitari Angelos, dum a diei exordio precatur, & laudat Creatorem. Orto Sole laborem auſpicatur, quem ſemper comitatur oratio. Scripturam Sacram meditatur, ut virtutes acquirat, moresque ſuos ad Sanctorum præcepta, & exempla efformet; Lectioni ſuccedit oratio, ut, quæ legit documenta, efficacius moveant.* S. Baſilius etiam ſocio colloquendi regulas præſcribit, ex quo inferas, eum non requirere in Monacho ſolitudinem perpetuam, ſicut & ipſe paulo poſt non paucos inſtituti ſui aſſeclas habuit. Doceet, interrogandum eſſe ſine contentione, & ſine faſtu reſpondendum, alterius loquentis ſermonem non interrumpendum; Monachus ut ipſe præcipit, non ſit promptus ad loquendum. Diſcere non erubeſcat. Quæ ſcit, ſine invidia

Sæculum IV. A. C. 357.

Sæculum IV. A. C. 357.

communicet. In grati animi signum, a quo ipse acceperit, fateatur. Moderato vocis sono utatur, comiter proximum compellet, non sit scurriliter facetus, sed mansuetudine, & lenitate omnibus acceptus. Omnis absit asperitas, etiam dum reprehendit; efficacior erit correctio cum humilitate conjuncta. In omnibus suis gestibus Monachus sit humilitatis simulacrum, oculo tristi, & in terram converso, capite impexo, vestitu inornato, & vili. Tali nempe habitu, quali tunc temporis illi, qui funus lugebant, incedere solebant. Hunc solum in finem corpus tegat, ut frigus, aut calorem arceat, nihil autem in vestibus sit molle, vel splendidum. Pariter Monachus in alimentis solam necessitatem respiciat; panis, & aqua cum leguminibus, bona fruenti valetudine, sufficiant. Non avide cibum ingerat, & comedentis mens piis cogitationibus occupetur de natura, & diversitate alimentorum, quæ bonus Deus corporibus nostris alendis aptavit. Refectionem preces præcedant, & sequantur. Ex viginti quatuor diei horis unica tantum, & semper eadem curando corpori tribuatur. Sit somnus levis, qualem sibi parcitas efficiet. Media nocte solitarius surgat, sicut alii mane solent surgere, & totius naturæ silentio ad suum profectum utatur, tunc enim majori

jori animi collectione contemplabitur, & media exquiret, quibus a peccatis suis mundetur, & in via perfectionis progrediatur. Hæc epistola quasi compendio illa continet, quæ S. Basilius exinde in Regulis suis docuit. Sæculum IV. A. C. 357.

Quæ docebat, omnium primus ipso opere probabat. Extrema erat viri paupertas; unam tantum habebat vestem, nempe tunicam, & pallium. Esca fuit panis cum sale, & quibusdam oleribus, potus sola aqua; hinc ea macilentia, & pallor, ut vix spiritum ducere crederetur. Cilicium portabat, quo tantum de nocte, ut magis aliorum oculos fugeret, utebatur. Lectus ei humus nuda, nullus balnei usus, nec unquam ignem excitabat. Cum corpus ei natura delicatum esset, his rigoribus morbos contraxit adeo frequentes, ut continui deinde evaserint, imo, quando optime ipse valebat, aliis ægrotantibus erat infirmior. *Greg. Naz. or. 20. p. 357. Greg. Nyss. in Bas. p. 290. Greg. Naz. ep. 6.*

Tandem S. Gregorius Nazianzenus adveniens, amico suo, aliisque in illa solitudine conviventibus junctus est. Ibi amborum deliciæ erant, pati. Simul orabant, simul S. Scripturam scrutabantur, suis manibus laborabant, nunc ligna comportantes, nunc secantes lapides, arbores plantantes, & irrigantes. Jam fimetum horto inferebant, ut ad olera pro- *Greg. Naz. ep. 9.*

Sæculum IV. A. C. 357.

creanda fœcundaretur, atque vehiculum valde grave trahebant, cujus laboris notæ diu manibus inhæsere. Interim domus eorum nec tectum habebat, nec januam, nec unquam ignis visebatur, vel fumus. Panem comedebant ita durum, & male pistum, ut non nisi violenta compressione dentes infigere, infixosque extrahere vix possent. Rejectis profanis libris, juvenilium annorum oblectamento, S. Scripturæ unice incumbebant, quam ut plenius caperent, veteres interpretes, præsertim Origenem legebant. Ex Origenis scriptis excerpta conscripserunt, quæ nobis hodieque supersunt nomine Philocaliæ. Cives Neo-Cæsarienses, S. Basilio educationem liberorum suorum concredere cupientes, miserunt ad eum e Magistratu præcipuos, qui eum e solitudine evocarent, at inutilis fuit legatio. Cumque post hæc in eorum urbem adveniisset, toti populo sibi circumfuso, atque ut Pædagogi munus in se susciperet, maximis promissis flagitanti, restitit. Gregorio Basilii fratri, postero tempore Episcopo Nysseno, non eadem fuit constantia, sed post suam conversionem, jam Presbyter, sibi persuaderi passus est, ut juvenes Rhetoricam doceret, quæ res amicis ejus, & omnibus Christianis scandalo fuit, quam ob causam S. Gregorius Nazianzenus, data epistola, fervore,

Greg. ep. 87.

Basil. ep. 64.

Greg. Naz. ep. 43.

re, & charitate plena, ejus levitatem reprehendit. (*) Sæculum IV. A. C. 357.

§. III.

S. Basilii Asceſis.

Sancti Basilii Desertum brevi tempore Discipulorum multitudine frequens fuit, quos ad Deum dirigebat, & in pace perfecta vivere docebat. Diversis temporibus ad eorum usum multa pia præ- *Idem ep.* 9.

(*) Nempe Juvenes Gentilium Parentum, & Rhetoricam profanam more Gentilium docere, suppressa Christi Doctrina, Christianum non decebat:

Hic etiam Protestans Notam subjunxit: Wenn dieſe beyden Männer, *Basilius* und *Gregorius Nazianzenus*, ſonſt keine Verdienſte hätten, ſo würde man gewiß nicht Urſach haben, ſie um ihrer Einſiedeley willen hochzuſchätzen; als darinn ſie, unter dem Vorwand eine höhere Stufe der Heiligung und Vollkommenheit zu erlangen, ſich an GOtt, an ihrem Nächſten, und an ſich ſelbſt gröblich verſündiget. Et inferius: wenn ſie die Jugend unterrichtet hätten, ſo würde das GOtt weit wohlgefälliger geweſen ſeyn, als daß ſie ſäuiſch lebeten. Et plura ejusmodi. Ita rustice loquitur de his Sanctis Viris homo Protestans, præjudiciis in juventute haustis in transversum actus. Miserum argumentandi modum Wenn dieſe beyde Männer keine

Sæculum IV. A. C. 357.

cepta conscripsit, quæ plerique Orientis Monachi posteris temporibus sibi in Regulam assumpserunt, vocanturque uno nomine S. Basilii ascetica. Primus tractatus est collectio multorum textuum Scripturæ, Moralium nomine, cujus concinnandi occasio hæc fuit; susceptis in Ægyptum, & Orientem profectionibus, S. Basilius vidit attonitus divisionem Ecclesiarum, Sanctissimos Episcopos persecutionem patientes, & calamitates ingentes,

keine andere Verdienste hätten. At profecto habent plurima alia merita, & istis majora, & ideo habent, quia prius in Eremo morati sunt, quod Interpres noster non capit. Nunquam quidem a Catholicis aliquis Sanctitatis gradus in sordido habitu positus est; verum jejunare, in Solitudine vivere, mulierem non tangere, manibus suis laborare, semper orare, vigilare, corpus castigare, & in servitutem redigere, opera sunt, quæ JEsus Christus, & S. Paulus in S. Scriptura suadent, & ad vitæ Christianæ Sanctitatem perducunt. Nunquam Anachoretæ, aut Cænobitæ ita sylvescebant, ut proximo essent inutiles, quod Protestans, si voluisset, centies in versione Fleurii notare potuisset, sed, ne quidem S. Antonio Monachorum Patre, aut etiam illis, qui in Columnis agebant, inde Stylites dicti, exceptis, laborabant, Eleemosinam dabant, rudes docebant, mœstos consolabantur, ægrotos sanabant, SS. Martyres juvabant, fidem prædicabant. Solus S. Ba-

gentes, quas ubique crudelis Arianorum potentia gignebat; has vehementer deplorans, & in tantorum malorum originem inquirens, eam in illis Scripturæ verbis inveniſſe ſibi viſus eſt: *in tempore illo non erat Rex in Iſrael, ſed unusquisque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat; ita*, inquit: *& nos vivimus, ac ſi Deus non amplius eſſet Rex noſter, legem Sanctam ejus ſpernimus, & cuique cupiditas ſua pro lege eſt; traditiones hominum ſequimur, & perverſas conſuetu-* Sæculum IV. A. C. 357. *Baſil. de judic. Dei. Jud. XVII. XXI.*

S. Baſilius & Epiſcopus, & Monachus, etiamſi nimio rigore vires corporis attenuaſſe dicatur, verbis, libris, & exemplo ad Salutem Proximi plura contuiit, quam centum Proteſtantes, alioquin probi, & docti. Ex Eremo, & Monaſteriis, id eſt, ex illo hominum genere, quod Interpres noſter miſerrimam Mortalium fæcem æſtimat, Presbyteri, Epiſcopi, Animarum Paſtores, Verbi Divini Præcones aſſumpti ſunt. Provinciæ integræ, & Regna a Monachis Continentiam ſervantibus, id eſt, ut Proteſtans noſter loquitur, ab hominibus, qui nec Deo, nec proximo utiles eſſe poſſunt, ad fidem Catholicam converſa ſunt, quod nemo neſcit. Si SS. Bonifacius, Rupertus, Corbinianus, Willibaldus uxores habuiſſent, prædicationem Fidei in Germania omiſiſſent, & Interpres iſte, ſaltem ſecundum hanc, quæ nobis innotuit, Dei Providentiam, a parentibus Ethnicis natus fuiſſet.

Sæculum IV. A. C. 357.

dines, nec, quæ JEſus Chriſtus dicat, attendimus, ſe de Cælo deſcendiſſe, non ut faceret voluntatem ſuam, ſed, qui miſit eum Patris, nec quidquam facere ex ſe ipſo, & Spiritum non a ſemetipſo loqui, ſed quæcunque audierit. S. Baſilius deinde, adductis veteris, & novi Teſtamenti exemplis, oſtendit, quam graviter Deus minima inobedientiæ peccata puniat! his attente penſatis, ea ſibi colligenda eſſe ex S. Scriptura exiſtimavit, quæ Deo magis grata, aut exoſa eſſent, piis hominibus documento futura; propriæ voluntati renuntiandum eſſe, traditiones humanas contemnendas, & unice Evangelio inhærendum. Hæc collectio conſtat octoginta articulis ex novo teſtamento extractis, nec alia, quam ipſius Scripturæ verba affert.

Joan. 6. 38.

Alii S. Baſilii tractatus ſunt duplicis generis regulæ, majores, & fuſiores, ſed numero pauciores, non enim plures ſunt, quam quinquaginta quinque; deinde minores, & breviores, quæ trecentis, & tredecim articulis conſtant. Tam hæ, quam illæ in Dialogo quærentis Diſcipuli, & reſpondentis Magiſtri proponuntur. Majores Regulæ principia vitæ Spiritualis ſemper ex auctoritate Scripturæ ſolide explicant; minores ad particularia deſcendunt, at vix alia præcepta tradunt, quam quæ omnibus Chriſtianis uſui ſint, paucæ

Sæculum IV. A. C. 357.

paucæ ſolis eremicolis conveniunt. S. Baſilii Diſcipuli Cœnobitæ erant, in communitate viventes; nec illius Regionis frigus ſinebat eos per eremum, ſicut in Ægypto diſpergi, & Anachoretarum more vivere. Fuere, qui hæc Aſcetica Euſtathio Sebaſteno attribuerunt, quem vitæ Monaſticæ Auctorem in Armenia, Paphlagonia, & Ponto credebant, at S. Baſilii opus eſſe conſtat tum aliis argumentis, tum Rufini auctoritate, illius temporis Scriptoris, qui hæc Aſcetica latine reddidit. Cœterum Monachi Cappadociæ Eccleſiæ Catholicæ adverſus hæreſes Eunomii, & Apollinaris magnæ utilitati fuere, quia auctoritate, quam ſibi vitæ Sanctitas pepererat, & exemplo populos in fide Catholica continebant. (*) S. Baſilius in eremo ſocios habuit duos fratres ſuos, S. Gregorium ſequenti tempore Epiſcopum Nyſſenum, & S. Petrum, poſtea Epiſcopum Sebaſtenum, qui poſt ipſum Monaſterii curam ſuſcepit; is inter omnes fratres ætate minimus, dum vix primam lucem aſpexit, patre orbatus eſt, cui deinde Soror ejus S. Macrina pro patre, præceptore, & omnium inſtar fuit. Hunc ipſa ſororia charitate a cunis educatum, ſcientiis profanis imbui

Soz. 6. *c.* 34.

Soz. 3. *c.* 14. *p.* 424.

Hier. ſcript. Rufin. II. c. 9.

Cod. Reg. to. 1.

Soz. 6. *c.* 27.

Baſil. ep. 79. *p.* 896.

Greg. Nyſſ. vit. S. Macr. p. 185.

(*) Hæc in præcedenti Nota dicta confirmant.

Sæculum IV. A. C. 357.

noluit, sed præclaram pueri indolem solius virtutis studio excoluit, qua Magistra tantum profecit, ut, quamvis Doctrina, & eloquentia S. Basilio inferior, virtute tamen minime cederet.

§. IV.

Eudoxius Episcopus Antiochenus.

Socr. II. 37. Soz. 4. 12. Theod. II. hist. 25.

Leontio Episcopo Antiocheno Ariano defuncto Eudoxius Episcopus Germaniciæ ex ejusdem factionis Principibus hanc Cathedram invasit. Is in Occidente, & in comitatu Imperatoris erat, quando ad aulam de obitu Leontii nuntium perlatum est; tunc solerter ad Imperatorem ait; Sede Antiochena vacante suam Ecclesiæ Germaniciensi præsentiam necessariam esse, petitque, ut sibi prompte ad eam redire liceret; Imperator, quid moliretur, non perspiciens, eundi licentiam fecit. At ille, Spadonibus cubiculi jam antea sibi conciliatis, eorum potentia fretus, dimissa Ecclesia sua Germaniciensi, strenue Antiochiam venit, effecitque, ut quasi jubente Imperatore Episcopus reciperetur, Georgio Laodiceno, & Marco Arethusano insciis, qui spectatissimi in Syria Episcopi erant, omnibusque aliis, quibus huic Electioni

Philost. IV. c. 4.

interesse competebat. Eudoxius originem trahebat ex oppido Arabissa minoris

ris Armeniæ, filius Cæsarii, qui in mulieres libidinosus, prioris vitæ licentiam Martyrio expiavit. Filius indolem fortitus erat lenem, ingeniosam, & solertem, at simul admodum meticulosam, & ad voluptates promptissimam. S. Eustathius Episcopus Antiochenus inter Clericos eum recipere ob Doctrinæ perversitatem noluerat, sed ipso proscripto, Ariani non solum ad Clericatum, sed etiam Episcopatum promotum Germaniciæ Cathedræ, in Syriæ, Ciliciæ, & Cappadociæ confiniis, imposuere. Ut hujus Sedis Episcopus Concilio Antiocheno Dedicationis anno 341. adfuit. Secta erat pure Arianus, Aetii Discipulus, qui Dei Filium Patri in substantia similem negabat. Palatii Spadones eundem in fide errorem fovebant, fuitque hæc secta Anomeorum dicta a Græco vocabulo *Anomoios*, quod *dissimilem* significat.

Sæculum IV. A. C. 357.

Athan. de Synod. p. 869. 913. *Sup. XII.* §. 47.

Eudoxio, Antiochena Sede occupata, non ea hæresin occultandi cura fuit, quæ antea Leontio; aperte Doctrinam Catholicam aggressus, modis omnibus, quicunque sibi resistere auderent, persequebatur. Aetius, comperta ejus promotione, confestim ex Ægypto advolavit, secum Eunomium adducens, & Antiochiæ commorationem toti terrarum orbi præhabens, quod ad Genium suum factam Eudoxii indolem videret, placebatque

Theod. II. hist. c. 25.

Sæculum IV. A. C. 357.

batque communis in fidei Doctrina opinio, nec minus mollis, & libidinosa vitæ ratio. Ergo Eudoxii Gnatho, & parasitus erat, quippe gulæ illecebris captus, quocunque pinguioris offæ nidor traheret, sequebatur. Eudoxius alumnum suum Diaconorum ordini, quem ei Leontius primo contulerat, restituere cupiens, in Concilio, quod propere convocaverat, rem proposuit, sed eorum, qui Actium oderant, potiora fuere suffragia, nec eum Eudoxius, quantumvis optaret, restituere potuit. Aderant quoque Acacius Cæsarienſis, & Uranius Tyrienſis, idem cum Eudoxio sentientes. In eo Concilio simul vocem *homoiousios*, & *homoousios* damnarunt, nempe nec in substantia similem, nec consubstantialem dicendum pronuntiarunt, ita hoc ipsum ab Episcopis Occidentis fuisse definitum, commenti; hæc autem, quam obtendebant, definitio, erat secunda Sirmiensis formula, ab Osio subscripta, eaque Eudoxius, & Sectatores ejus in rem suam strenue utebantur. Imo Ursacio, Valenti, & Germiniano per epistolas gratias egerunt, quod ipsi potissimum, negotio feliciter consummato, Occidentales ab errore ad veritatem reduxissent.

Socr. II. c. 37.

Socr. IV. c. 12. 13.

§. V.

§. V.

Sæculum IV. A. C. 357.

Concilium Ancyranum Semi-Arianorum.

Non deerant, qui molitionibus Eudoxii resisterent, multique ob hanc causam Ecclesia Antiochena exclusi; Georgium Laodicenum adierunt; qui eis ad Macedonium Constantinopolitanum, Basilium Ancyranum, & Cecropium Nicomediensem tradidit ferendam epistolam hujus tenoris: *Aetii naufragio tota pene Antiochia submergitur; quippe Eudoxius inter Clericos suscipit omnes, a nobis rejectos, quod infamis hujus hæretici Discipuli essent, ipsum Aetium illorum numero adscripsit, quibus maximum honorem defert. Ergo vastissimæ urbis curam suscipite, ne ejus ruinæ totus Mundus involvatur. Tam magno, quam poteritis, numero convenite, & absentium Episcoporum subscriptiones petite, cogite Eudoxium, ut Ecclesia Antiochena Aetium ejiciat, & Discipulos ejus, quos ad ordines promovit, repellat; si pergit cum Aetio filium dicere dissimilem, & ita sentientes aliis præponit, actum est de Ecclesia Antiochena.* Hæc Georgii Laodiceni epistola Basilio Ancyrano reddita est, Dedicationem Ecclesiæ, a se ædificatæ, celebranti; ad quam cæremoniam plures Episcopos vicinos convocaverat, quos *Id. c. 13.*

Sæculum IV. A. C. 358.

quos inter Eustathius Sebastenus, & Eleusius Cyzicenus aderant. Non magnus tamen Episcoporum in hoc Concilio fuit numerus, multis per litteras absentiam excusantibus; vix hiemem transiisse, atque proximam esse Solemnitatem Paschalem; quæ hoc anno 358. in duodecimam Aprilis incidebat.

Synod. ap. Epiph. hær. 73. n. 2.

Non nulli suspicati sunt, Basilium obtinendi Episcopatus Antiocheni spem concepisse, & hinc in Eudoxium arsisse invidia; at Occidentalium exemplum hujus Concilii Episcopos meliori æmulatione accendit, nam postquam ad eorum notitiam pervenit, Episcopos Galliæ, semper in fide immobiles, falsam formulam Sirmiensem non tantum non recepisse, sed etiam, ubi, quid contineret, sciviſſent, damnasse, pudor eos incessit, quod hucusque hæresi fuissent patrocinati; itaque hujus Concilii conclusio fuit Anomeorum damnatio. Exstat epistola Synodalis ad Episcopos Phœniciæ, omnesque alios data, quos ii, qui scripserunt, eadem secum de Filio Dei sentire credebant. Exordium Epistolæ querelæ sunt, fuisse, qui novis erroribus Antiochiæ, Alexandriæ, & in Asia Catholicam fidem corrumpere voluerint; tum subjungunt, se, ut huic malo medelam ferrent, fidei expositionem dedisse, illis ampliorem, quam quæ Antiochiæ in Concilio Dedicatio-

Philost. IV. c. 6.

Hil. de Syn. p. 320.

apud Epiph. hær. 73. n. 2.

cationis, Sardicæ (id est, Philippopoli) & Sirmii contra Photinum conditæ fuerint; has ipsi recipiunt, tanquam Catholicas, sed de Concilio Nicæno nulla mentio. Episcopos rogant, ut hanc suam novam expositionem approbent, & eos, qui in opinione contraria perseveraverint, Ecclesiæ communione privent. Sæculum IV. A. C. 358.

Expositio fidei eorum prolixa est, sed solida, & Theologica. Primo necessarium esse ponunt, agnoscere in Deo unum Patrem, unum Filium, & unum Spiritum S. ex quo sequatur, Ideam creaturæ Filio convenire non posse. Atqui, inferunt, Idea Filii similitudinem substantiæ exigit, ne sit nomen inane, quod reipsa non aliud, quam creaturam significet. Qualiscunque prærogativa Filio detur, si illam detrahis, qua similis sit in substantia, ad creaturarum ordinem deprimis. Nulla ratio assignari potest, cur cuiquam nomen Filii Dei tribuatur, quam ut indicetur, esse quamdam productionem principio suo in substantia similem; omnes aliæ Ideæ, quas filiatio in rebus creatis involvit, Deo indignæ sunt. Omnis sensus metaphoricus hic excludendus, in quo Filii nomen hominibus, aliisque creaturis communicatur; sed æquivoce, *n. 6.* non enim sine causa JEsus Christus Filius unicus dicitur. In hac materia ratio humana non est audienda, nec subtilia Dialecticæ

Sæculum IV. A. C. 358.

lecticæ argumenta. Hoc contra Aetium dictum est, cujus Achilles erat Aristotelis logica. S. Pauli locum docte explicant, ubi dicit, JEsum Christum esse Dei imaginem, & principaliores veteris, & novi Testamenti textus de Filii Generatione ad invicem comparant. Tota haec Doctrina octodecim anathematibus comprehenditur, quibus Epistola terminatur. Ad calcem duodecim Episcoporum manus visuntur, quos inter Basilius Ancyranus, & Eustathius Sebastenus primi sunt. Hoc autem pessimum, quod, dum Filium Patri substantia similem statuunt, eum ejusdem esse substantiæ negent; atque anathema ultimum expresse vocem *consubstantialis* damnet. Hinc, qui hanc Doctrinam tenebant, Semi-Ariani dicti sunt.

Sup. l. XII. §. 47. §. 7.

Coloss. 1. 15.

n. 10. 11.

Basil. ep. 74. p. 875.

§. VI.

Delegati Ancyra Sirmium mittuntur.

Sozom. IV. c. 13. Theod. II. c. 25.

Visum est hujus Concilii Episcopis factorum suorum rationem ad Imperatorem perscribere, & rogare, ut Decreta Sardicensia, Sirmiensia, aliorumque Conciliorum, quibus definitum fuerat, Filium in substantia similem esse Patri, effectui dari mandaret. Sub nomine Concilii Sardicensis semper Conciliabulum suum Philippopolitanum intelligebant. De-

Delegationem in se susceperunt Basilius, & Eustathius, quos comitati sunt Eleusius Cyzicenus, & Presbyter Leontius nomine, antea Imperatori a cubiculis. Imperatorem Sirmii adhuc morantem habuere, cui fidei suæ expositionem obtulerunt, postquam prius saltem ultimum anathema rescidissent, ne eos, qui vocem *consubstantialis* propugnabant, offenderent; cum eam Imperatori traderent simul longa oratione, Filium per omnia similem esse Patri, explicarunt. Sæculum IV. A. C. 358. *Philost. IV. c. 8.*

Pervenientes ad Regiam viderunt ibi Presbyterum Antiochenum, nomine Asphalum, fidelissimum Aetii Sectatorem, qui perfecto in aula negotio, cum Imperatoris Epistolis, Eudoxio faventibus, rediturus erat, jamque omnia parata erant itineri, cum Basilius, quantum sub illorum opinione venenum lateat, Imperatori aperit, persuadetque, ut Eudoxium damnaret, Epistolam Asphalo commissam repeteret, aliam, priori contrariam, ad Ecclesiam Antiochenam daret. In hac altera Epistola Constantius negabat, Eudoxium a se Antiochiam missum. Aetium Sophistam, & Sycophantam nominat pernicioſum. Hunc, sicut & Eudoxium, ut devitent, Fideles monet. Nihil autem gravius in eos decernit, quam quod conventibus Ecclesiasticis interesse prohibeat, pœnas majores *Soz. IV. c. 13.*

Sæculum IV. A. C. 358.

infligendas comminando, nisi errores emendent. Vel ex hac sola Epistola constat, quam mutabili animo Constantius fuerit.

Socr. II. c. 30. in fin. *Soz. IV. c. 6.*

Interim Sirmii Concilium agebatur, seu solutum necdum fuerit secundum, seu ex Episcopis, aulam sequentibus, tertium fuerit compositum, in quo Basilius Ancyranus, aliique Semi-Ariani dominabantur; eorum opera secunda formula Sirmiensis, Potamii opus, quæ pariter aut Consubstantialem, aut similem in Substantia Patri Filium negabat, abrogata est. Ipsi Ursacius, & Valens Potamii causam prodiderunt, dicentes, sibi animum fuisse æqualiter voces, Consubstantialis, & natura similis, supprimere, quod crederent, his vocibus unum, & idem significari; quasivero Episcopi, qui inter hujusmodi disceptationes consenuerant, diversam horum vocabulorum significationem ignorare potuissent. Delegati Ancyrani eo non contenti, quod in hoc Concilio formula Potamii fuerit condemnata, etiam omnia ejus descripta exempla reddi, & supprimi volebant, & quia a multis occultabantur, Imperator ea perquiri Edicto, & constituta mulcta jussit; at jam inter plures dispersa erant, quam ut ad unum omnia recuperari possent. Econtra Basilius, & Eustathius libros edidere, quo omnia contra Paulum

Socr. IV. c. 15.

lum Samosatenum, Photinum, & Marcellum Ancyranum in Concilio Antiocheno Dedicationis condita Decreta complectebantur, eum in finem, ut omnibus persuaderent, vocem Consubstantialis tanquam invidiosam, & jam anterioribus Conciliis damnatam, esse rejiciendam. Imperator Liberium Papam Berea Sirmium advocaverat; eum, ut hanc formulam probaret, qua simul vox consubstantialis rejiciebatur, induxerunt; quatuor quoque Episcopis ex Africa, tunc præsentibus, nempe Athanasio, Alexandro, Severino, & Crescentio persuasere, ut consentirent. Etiam Ursacio, Valenti, & Germinio Sirmiensi, vellent, nollent, subscribendum fuit. Liberius vero edixit, se illos communione excludere, qui Filium Patri in substantia, & omnibus aliis similem negarent. (*) Hoc ideo ita publice fatebatur, quia Eudoxius, & alii Aetii Sectatores Antiochiæ in vulgus

Sæculum IV. A. C. 358.

Phil. IV. c. 8.

(*) Destruit, ædificat, miscet quadrata rotundis. Hac confessione Liberius Papa Hæresin quidem pure Arianorum, nisi priora obstarent, a se amoliri, at non Semi-Arianorum videri poterat. Erant enim, qui Filium Patri similem, & non Consubstantialem fatererentur. Verum conjecturæ locus est, Liberium in illo discrimine voluisse pronunciare sententiam in utramque partem versatilem.

Sæculum IV. A. C. 358.

gus ſtudioſe ſparſerant, Liberium in Doctrina de Filio, a Patre diſſimili, ſecum conſentire. Itaque cum Liberius Imperatori ſatisfeciſſet, licentiam redeundi Romam obtinuit. Epiſcopi, qui tunc Sirmii erant, ad Anti-Papam Felicem, quem pro legitimo Epiſcopo habebant, ſcripſere; ut eum reciperet, Eccleſiam Romanam communi poteſtate regerent, & præterita omnia oblivioni darentur; nam affectus, quo populus in Liberium ferebatur, ſeditionis cauſa fuerat, in qua usque ad cædes ſævitum.

§. VII.

Liberius Romam redit.

Anaſt. in lib. Libell. Marc. & Fauſti. p. 4.

Baſilius, & Euſtathius Aetium, & Eudoxium non ſolum tanquam hæreſis, ſed etiam læſæ Reipublicæ reos, atque Galli Principis conjurationis conſcios detulerunt. Theophilus Indus, qui apud Arianos Apoſtolus, & miraculorum Patrator audiebat, eadem accuſatione implicitus, Heracleam in Pontum relegatus eſt. Eudoxius Antiochia excedere, & domi ſe tenere juſſus. Aetius in manus ſuorum Accuſatorum traditus, Pepuzium Phrygiæ in exilium miſſus. Eunomius, paulo ante ab Eudoxio in Diaconum creatus, & ad Imperatorem, Eudoxii cauſam dicturus, legatus, a Baſilii emiſſa-

emissariis in via interceptus, & Midajam Phrygiæ proscriptus. Ipse Eudoxius in Armeniam Patriam suam recessit. Alii quoque numero ferme septuaginta solum vertere jussi. Itaque Anomeorum factio tota dissipata videbatur. Sæculum IV. A. C. 358.

Liberius Papa Romam rediit anno exilii sui tertio, nempe 358. secunda Augusti. Inter populi obviam procedentis plausus quasi Victor ingressus est. Felix Anti-Papa Senatui, populoque invisus, urbe pulsus; sed cum fautores ejus necdum essent compressi, ducentibus Clericis suis haud multo post reversus, stationem annuntiare in Basilica Julii trans Tiberim ausus est, tunc vero Fidelium, & præcipuorum ex civitate confluente multitudine Roma secundo probrose ejicitur; Imperator quidem Felicem defendere conabatur, atque, ut una cum Liberio jure communi Romanæ Ecclesiæ præesset, jubebat contra Canones, qui duos Episcopos in una Cathedra residere vetant, at resistentibus Romanis denique cessit. Felix secundo abire coactus, in parvum suum prœdium, quod in via, ducente ad portum, habebat, secessit, ubi servata Episcopali Dignitate sine functionibus ad annos octo vixit, & obiit decimo Calendas Decembris, Valentiniano, & Valente consulibus, nempe 22. Nov. anno 365. Eum nec S. O-

Sozom. IV. c. 15.

Theod. II. hist. c. 17.

Philost. IV. n. 3.

Libell. Marc. & Faust.

Sæculum IV. A. C. 358. ptatus, nec S. Auguſtinus in ſeriem Epiſcoporum Romanorum ponunt. (*)

§. VIII.

(*) Valde inclementer hunc Felicem habet Fleurius, de quo Anonymus I. tres movet Quæſtiones; an fuerit Sanctus, an fuerit Papa, & an fuerit Martyr? & ſemper pro affirmativa affert argumenta non contemnenda. Ad primum, an ſit Sanctus? adducit Deciſionem Gregorii XIII. Pontificis Maximi, ut refertur a Baronio ad annum 357. quam Canonizationi æquivalere dicit. Rurſus Auctoritatem Martyrologiorum. Catalogum SS. Pontificum &c. &c. Item Inventionem Corporis in Tumba marmorea penes Reliquias SS. Marci, & Marcellini cum Inſcriptione: *Corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Conſtantium.* Tandem non ſemper manſiſſe intruſum, & Arianorum amicum.

Ad ſecundam Quæſtionem, an fuerit Papa? pro Pontificatu Felicis affert teſtimonium duorum Presbyterorum Marcellini, & Fauſtini in Libello precum &c. Clericos Eccleſiæ Romanæ, & Diaconum Damaſum, poſtquam Liberio fidem juraſſent, adhæſiſſe Felici. Id factum putat, quando Liberius cecidit, & ſe ipſum per Schiſma ab Eccleſia Catholica ſeparavit, atque ſic Felicem, prius Antipapam, factum fuiſſe Legitimum Pontificem, conſentientibus Romanæ Eccleſiæ Clericis. Etiam Sozomeni teſtimonium refert, & verba Lib. IV. *Felici tum Romanæ*

Sæculum IV.
A. C. 358.

§. VIII.

Terræ motus Nicomediæ.

Imperator Conſtantius non ſatis proviſum ſchiſmati credens, eo, quod Sirmii factum fuerat, neceſſarium duxit, ut Concilium univerſale contra Anomeos convocaretur, ad reprimenda Aetii molimina; ea quoque movebant, quæ, ut diximus, Antiochiæ contigerant. Primo locum congreſſus urbem Nicæam deſtinavit, cum vero hic locus Baſilio Ancyrano, ſuisque ob inviſam magni Concilii memoriam diſpliceret, aliud Principi ſuaſerunt; ergo ſtatutum, ut Nicomediæ convenirent; Cæſaris Epiſtolæ emittuntur, ut ad præfixam diem ſine mora Epiſcoporum Doctiſſimi, & Eloquen-

Soz. IV. c. 16.

manæ Eccleſiæ Antiſtiti. Tandem S. Hieronymum potuiſſe ob locorum diſtantiam decipi.

Ad tertium. Anonymus I. S. Felicem affirmat fuiſſe Martyrem, quod idipſum Martyrologium Romanum, & Gregorius XIII. teſtentur; quamvis P. Pagi, & Papebrochius dicant, ideo ſecundum Eccleſiæ Stilum fuiſſe dictum Martyrem, quod multa pro Chriſti Nomine ſuſtinuiſſet. His addi poſſet, quod Epiſcopi illa ætate, etiam dum adhuc viverent, Sancti vocarentur. Hinc de alterutro affirmare difficile.

Interpres Proteſtans hic adjecta Nota pro ſua temeritate omnia in pejorem trahit partem.

Sæculum IV. A. C. 358.

loquentissimi comparerent. Singulos omnium Gentis suæ Episcoporum nomine adesse oportebat, id est, Imperator cujuslibet Provinciæ Delegatos eligebat. Plerisque iter ingressis, allatus rumor omnes terruit, ultimis diebus urbem Nicomediam terræ motu fuisse eversam; plura addebantur, ut nempe tristia in majus attollere fama solet, Nicæam quoque, Perinthum, urbes vicinas, atque ipsam Constantinopolim calamitatis non fuisse expertes, Nicomediæ multos Episcopos in Ecclesia cum magna populi multitudine, viris, mulieribus, & infantibus, quo refugium quæsierant, fuisse oppressos. Hæc autem deinde vera esse compertum est; nempe Nono Calendas Septembris, Daciano, & Cereali Consulibus, seu 24. Aug. hujus anni 358. hora diei secunda, nobis octava matutina, concuti terra cœpit, at sicut ista hora Ecclesia frequentari non solebat, ita nemo in ea contritus, atque tam subitum malum incolas occupavit, ut nemini tempus ad Ecclesiam confugiendi fuerit. Quisque, ubi erat, vel ruina oppressus est, vel evasit. Duo, non plures Episcopi, & extra Ecclesiam obtriti, Cecropius Nicomediensis, atque alius ex urbe quadam Bosphori. Terræ motus quidem non ultra duas horas duravit, at secutum incendium quinquaginta continuos

Amm. Marc. L. XVII. c. 7.

nuos dies urbem depopulatum est; quippe ignes in fornacibus, culinis, balneis, ustrinis, & aliis hujusmodi locis accensi, cum domus susque deque verterentur, commixti, & tectis, aliisque combustibilibus admoti, totam civitatem unum, & immensum rogum effecerunt. Motus iste terras in Ponto, Asia, & ultra mare in Macedonia concussit. Centum quinquaginta urbes illius cladis participes numeratæ sunt. Sæculum IV. A. C. 358.

Illa tempestate Nicomediæ degebat sanctus Solitarius, nomine Arsacius, natione Persa, antehac Leonum stabulis ab Imperatore præpositus, & in persecutione sub Licinio insignis Christi Confessor; is, dimissa militia, in arcem Nicomediensem se recepit, habitabatque in turri, vitam asceticam ducens; Dono miraculorum præditus, quadam die, invocato JEsu Christi nomine, Energumenum, nudato ense per urbis plateas fugientes persequentem, continuit. Huic viro sancto cum, imminere urbi exitium, a cælo fuisset manifestatum, ipseque exire jussus esset, velociter ad Ecclesiam se conferens, Clericos monuit, ut fervidis precibus iratum Numen mitigare conarentur; ejus prædictio omnibus risum movit; ipse in turrim suam reversus prostrato in terram vultu in preces se dedit, atque eodem situ, postquam terræ motus cessaverat,

Sæculum IV. A. C. 358.

verat, obiisse inventus est. Eum mori maluisse ferunt, quam ruinam videre illius urbis, in qua JEsum Christum agnoscere cœpisset, & Philosophiam Christianam, ita quippe vita ascetica appellabatur, didicisset.

§. IX.

Quæ fuerint de Conciliis agendis proposita.

Socr. IV. c. 16.

Cum Episcopi in itinere constituti tristem casum percepissent, aliqui nova Imperatoris mandata exspectarunt, alii suam de fide sententiam per litteras declararunt. Constantius hac in re Basilii Ancyrani Consilium expetiit, qui Epistola data pietatem Cæsaris laudavit, ob Nicomediæ urbis funesta fata, adductis sacrarum Historiarum exemplis, solatus est, tandem, ut Concilium celebrare non differret, nec Episcopos itinerantes re infecta redire permitteret, hortabatur; in locum Concilii Nicæam designavit, Imperatori gratum facturus, cui primo urbs ea placuerat. Consilium secutus Imperator jussit, ut Episcopi ineunte æstate anni futuri 359. Nicæam convenirent, iis solis exceptis, qui per valetudinem non possent, sed tamen Presbyteros, aut Diaconos mitterent, qui eorum Nomine suffragia ferrent, de rebus dubiis

dubiis deliberarent, & sic omnia communi consensu definirentur. Tum sex Occidentis, & totidem Orientis a toto Concilio legati ad Regiam venirent, sibique ea, quæ fuissent statuta, afferrent, ut judicare posset, num sint SS. Scripturis consentanea, & quod melius sibi visum fuisset, decerneret. Ita Constantius seipsum Concilii universalis judicem, & fidei arbitrum constituebat. Sæculum IV. A. C. 358.

At Imperator ab hoc quoque proposito facile dimotus est. Anomei, seu Eudoxii, Acacii, Ursacii, & Valentis Sectatores, cum se post casum denuo in Cæsaris amicitiam insinuassent, persuaserunt, ut loco unius duo Concilia convocaret. Scilicet prævidebant, si omnes Episcopi in unum Concilium congregarentur, opinionis suæ condemnationem evitari non posse, fore enim, ut omnes pro fide Nicænæ Synodi, & voce Consubstantialis starent, aut pro formula Dedicationis Antiochiæ, qua etiam vox substantiæ continebatur. Cæterum sperabant, Episcopos, locorum spatio separatos, facilius animis dividi posse, & in tanta Regionum distantia falsa pro veris ab uno Concilio ad alterum rescribi. Saltem spes erat, si utrumque Conventum sibi faventem reddere non valerent, alterutrum sibi devincturos, & damnatos ab uno, ab altero absolvendos. Has dividendi *Philost. IV. c. 10.* *Sozom. IV. c. 16.* *Conc. Paris. ap. Hilar. fragm.* *Sozom. IV. c. 17.*

Sæculum IV. A. C. 358.

videndi Concilii causas habebant arcanas; alias in vulgus sparserunt, atque etiam, ut Imperatori placerent, effecerunt, nempe, sic Imperator sumptibus, & Episcopi tam longi itineris labori parcerent. Eusebius Evnuchus Eudoxii fautor sua auctoritate, ut in hanc iretur sententiam, plurimum contulit. Interim dum de urbibus, in quibus Concilia agerentur, deliberatur, Imperator ad Episcopos scripsit; in suis Ecclesiis manerent, &, si qui in via essent, ibi exspectarent. Basilio Ancyrano mandavit, omnes Episcopos Orientis consuleret super Concilii congregandi loco, ut, quo convenire deberent, initio veris enuntiari posset; nam urbem Nicæam ad id aptam non amplius credebat, incolis ob terræ motum, qui illam Regionem turbaverat, perterritis. Basilius illico Imperatoris Epistolam, cui & suam adjecit, ad Episcopos misit, hortabaturque; mature locum, qui præplaceret, ad Concilium indicarent. Proposita est Tarsus in Cilicia, quam Eudoxii amici recusarunt, forte ideo, quod ibi esset Episcopus Silvanus, eorum Adversarius; atque fortasse eadem ex causa Ancyra, quam aliqui designabant, rejecta est. In Occidente non legimus aliam urbem in deliberationem venisse, quam Ariminensem, ubi etiam Concilium celebratum.

Philost. IV. c. 11.

Dum

Dum Orientales de futuri Concilii loco litigant, Basilius Imperatorem, Sirmii tunc agentem, adit; ibi quosdam Episcopos privatis suis causis intentos invenit, atque inter alios Marcum Arethusanum, & Georgium Alexandrinæ Sedis usurpatorem. Statutum, ut Concilium Seleuciæ in Isauria celebraretur. Tunc Valens, qui Sirmii erat, & clientes ejus, id est, Anomei, novam fidei formulam componi, (*) & ab Episcopis ibi præsentibus signari curarunt, qua vox substantiæ nominatim rejiciebatur, vox, ut ajebant, scandali causa, & quæ in S. Scriptura non legeretur. (**) Prohibebant etiam, ne quis imposterum, quotiescunque de Deo sermo esset, voce substantia uteretur; formula claudebatur his verbis:

Sæculum IV. A C. 358.

Sozom. IV. c. 16.

Ap. Athan. de Synod. p. 875.

Et ap. Socr. c. 37.

(*) Ex ista Rei Ecclesiasticæ confusione liquet, nihil sine uno Capite, cujus Auctoritas super omnia membra emineat, salutiferum effici posse.

(**) Illius temporis Ariani, continuo S. Scripturam crepantes, cum nostris Protestantibus merito conferri possunt. Ariani dicebant, vocem Substantia in S. Scriptura non legi, quod ex parte verum erat, & tamen erant Hæretici. Nam quamvis vox hæc: Substantia, non legatur, ejusdem tamen in Scriptura continetur sensus, qui erui, explicari, & definiri sine Romanæ Ecclesiæ Auctoritate non potuit.

Sæculum IV. A. C. 359.

bis: *Confitemur, Filium per omnia Patri similem esse, sicut SS. Scripturæ affirmant, & docent.* Hoc autem circa hanc formulam prorsus novum, & singulare, quod diem, qua condita esset, in capite apposuerint in hunc modum: *Expositio fidei facta in præsentia Domini nostri, Piissimi, & invicti Imperatoris Constantii, Augusti, Æterni, Flavio Eusebio, & Hypatio Consulibus, Sirmii, undecimo Calendas Junii, seu 22. Maji anno* 359. Eam Marcus Arethusanus composuerat, latine scriptam, cui omnes præsentes subscripsere, nempe Marcus Arethusanus, Georgius Alexandrinus, Basilius Ancyranus, Germinius Sirmiensis, Hypatius Heracleensis, Valens Mursensis, Ursacius Singidunensis, & Pancratius Pelusiensis, duorum subscriptiones ab aliis differebant. Subscriptio Valentis sequentis erat tenoris: *Omnes præsentes sciunt, quod hæc signaverimus in vigilia Pentecostes, & pius Imperator noster scit, cui hujus rei testimonium viva voce, & scripto reddidi.* Tum manum suam, ut semper solebat, apposuit cum hac clausula; Filium similem esse Patri, nec addidit per omnia; sed coegit eum Imperator, ut adjungeret. Econtra Basilius Episcopus Ancyranus sinistram interpretationem suspicatus, quæ huic formulæ dari posset, ita signavit: *Ego Basilius Episco-*

Soz. IV. c. 17.

v. Vales. ad Socr. II. c. 30

Epiph. hær. 73. n. 22.

Nova Formula Arianorum.

pus

pus Ancyranus credo, ut supra scriptum est, Filium esse Patri per omnia similem, nempe non solum voluntate, sed etiam subsistentia, existentia, & essentia, quia est Filius secundum Scripturam, Spiritus de Spiritu, vita de vita, lumen de lumine, Deus de Deo, & ut in uno complectar omnia, Filius per omnia Patri similis; si quis dicat, Filium similem esse Patri tantum in aliquibus, hunc ab Ecclesia Catholica separatum esse judico, eo quod non credat Filium similem Patri secundum Scripturas. Hic notari potest, Basilium, cum voce Substantia, *ousia*, quam in hac formula supprimendam esse, inter omnes convenerat, uti non posset, omnes voces significatione proximas, & æquivalentes adhibere, quia re ipsa Filium Patri substantia similem credebat. Hæc formula ita signata, in manus Valentis tradita est, & ab eo ad Concilium Ariminense delata.

Sæculum IV. A. C. 359.

Rebus ita de agendis Conciliis constitutis, & utrique civitate sua designata, Imperator mandata dedit, ut Episcopi jam non per Delegatos, sed singuli per se adveherentur, misitque Ministros in Provincias, qui iisdem vehicula, & omnia itinerantibus necessaria dari curarent. Utrique Concilio rescripsit; Quæstiones fidei definirent, deinde Episcoporum causas discuterent, qui injuste se depositos,

Socr. IV. c. 17.

Sæculum IV. A. C. 359.

tos, aut proscriptos quærebantur; postquam omnia judicassent, ex quolibet conventu decem Delegatos ad se mitterent, qui acta referrent. Concilium Ariminense maturius congregatum est; advenere Episcopi ex Illyrico, Italia, Africa, Hispania, Galliis, & Magna Britannia. Ex Gallia, & Britannia Episcopi oblata sibi ad conficiendam viam acceptare recusarunt, parum honeste se facturos rati, si Imperatoris potius sumptibus, quam suis poficiscerentur, sed de suo vivere maluerunt; tres tantum Episcopi Britanniæ fuere, qui hæc auxilia non respuerunt, cum essent adeo pauperes, ut ex suo sustentari non possent, & mallent fisco oneri esse, quam suis Confratribus, quamvis hi ad illos tres sustentandos conferre promitterent. (*) Tanta charitate

Sever. Sulp. 2. hist. p. 420.

(*) Ad hunc §. Interpres Protestans refert animadversionem Ammiani Marcellini, Scriptoris Gentilis; tum addit suam: Und den Heyden gereichete es zur Materie einer Spötterey, da alle Strassen und Gasthöfe mit Bischöfen angefüllet waren, die Caravanen-weise von einem Orte zum andern herum irreten, um den Glauben zu lernen, darinn sie ihre Gemeinden unterrichten sollten. In Ethnicis tolerabilis erat ignorantia, si nescierunt, quare Episcopi sæpe longa itinera susciperent. At in Interprete nostro

te erant Episcopi, tamque a cupiditate alieni. Sæculum IV. A.C. 359.

§. X.

Tractatus S. Hilarii de Synodis.

Galliæ, & Britanniæ Episcopos, qualis Orientalium fides esset, optime docuerat S. Hilarius in scripto ex Phrygia ad eos missо, nempe in Tractatu suo de Synodis, circa finem anni 358. illo tempore, quo de loco Concilii in Oriente celebrandi deliberabatur, composito. In hoc tractatu S. Hilarius diversas fidei formulas explicat, quas Orientales a tempore Concilii Nicæni ediderant, ut Occidentalibus ostenderet, eas bonas esse, aut saltem tolerabiles, nec eas recipientes pro Arianis habendos. Tum rogat, ut

Sup. XIII. §. 34. Hilar. de Synod.

---

nostro vel est ignorantia non ferenda, vel turpe mendacium. Nam non ideo ad Concilia proficiscebantur Episcopi Catholici, ut discerent, sed ut docerent, & definirent, quid Hæreticis obstinatis credendum. Ita ad Concilium Tridentinum venerunt Episcopi, non ut discerent, an Lutheri errores ab Ecclesia jam dudum in aliis Hæreticis damnatissimi tolerari possent, sed ut omnium Episcoporum consensu Novatorum contumacia vel frangeretur, vel confunderetur, & Fideles in vera fide confirmarentur. Alii errores hujus Versionis Germanicæ sunt innumeri.

Sæculum IV. A. C. 359.

ut ipsi de formulis istis, quarum explicationem a se petierant, judicium ferant, sed non prius, quam totum ejus scriptum legissent. Prima, quam explicat, formula est illa Semi-Arianorum eodem anno 358. in Concilio Ancyrano condita, utque facilius capi possit, prius illam refert, quam puri Ariani Sirmii anno 357. composuerant, eamque vocat Osii, & Potamii blasphemiam, quod Potamium auctorem haberet, & ei Osius infirmitate lapsus subscripsisset. Ex definitione Ancyrana non plura, quam duodecim anathemata explicat, inter quæ ultimum, vocem Consubstantialis damnans, non legitur, nempe quod cum cæteris publicatum non fuerat. Nihilominus etiam hac ex parte excusari possunt Patres Ancyrani, si dicatur; eos non aliter, quam in illo malo sensu vocem, Consubstantialis, damnasse, quo a quibusdam accipiebatur. Altera formula, quam S. Hilarius explicat, est illa Concilii Antiocheni Dedicationis anno 341. apud Orientales celeberrima; est nempe ex duabus, quæ in Concilio propositæ fuerunt, posterior, quam nonaginta septem Episcopi præsentes approbarunt; hæc S. Luciani opus esse ferebatur, & nihil deest, nisi vox consubstantialis, sed eo ipso illis magis placebat, qui hanc vocem suspectam habebant. S. Hilarius hanc

Sup. XIII. §. 50

Sup. §. 2.

Sup. XII. §. 46.

Sup. VII. §. 11.

hanc formulam totam esse Catholicam monstrat. Tertio loco adducit formulam Concilii Sardicensis, nempe Conciliabuli Philippopolitani, cui Sardicensis nomen falso tribuebant, Confessio tamen illa erat Catholica, sola voce consubstantialis omissa. Quarto explicandam assumit formulam primi Concilii Sirmiensis, acti anno 351. ab Orientalibus contra Photinum cum viginti septem anathematibus, quæ quidem expresse Semi-Arianorum Doctrinam non excludunt, at neque manifeste errorem continent, econtra aperte plures errores Pure-Arianorum, Sabellii, & Photini damnant. Et hoc est, quod S. Hilarius inculcat.

Sæculum IV. A. C. 359.

Sup. XII. §. 40.

Sup. XIII. §. 6.

Tum, ne miremini, fratres mei! subjungit: *tantam formularum fidei multitudinem, has enim hæreticorum furor reddidit necessarias; maxime profecto Ecclesiæ Orientales periclitantur, cum rari sint, etiam Episcopi, qui vel hanc formularum istarum fidem, quam vobis explicari, & judicandam relinquo, teneant. Sciens loquor, quæ auribus meis audivi, & oculis meis vidi; si Episcopum Eleusium, & cum ipso pauciſſimos excipiatis, plurima pars decem Provinciarum Asiæ, ubi moror, Deum ignorant, aut ideo cognoscunt, ut blasphement. Scandala, schismata, infidelitas dominantur. O vos felices! qui fidem Apostolicam puram servastis!*

Tractatus S. Hilarii.

Sæculum IV. A. C. 359. *vastis! & tot scriptas fidei formulas hactenus ignorastis, sed quod corde credidistis, ore fuistis confessi!* Illas voces deinde exponit, quæ propter suam ambiguitatem Occidentalium fidem Orientalibus suspectam reddebant; primo loquitur de voce, substantia, ostendens, quam perverso sensu accipi possit hæc propositio; unam esse Patris, & Filii substantiam, nam concipi poterat vel una sola Persona subsistens, aut eadem substantia in duas partes divisa. Ideo suadet, ut prius distincte explicemus, quid de Patre, & Filio credamus, antequam una hac voce fidem nostram complectamur.

p. 352. Ulterius explicat vocem: similis, aitque: idem esse dicere, Filium similem esse Patri in omnibus, & dicere Patri esse æqualem. Itaque vox *homoiousios*,

p. 354. quod significat similem in substantia, æque bono sensu accipi potest, quam *homoousios*, quod significat substantia eundem. Tum S. Hilarius ad Orientales bonæ fidei convertitur, ut dubia eorum,

p. 358. de voce, Consubstantialis, hærentia tollat, & referens Nicænum Symbolum, ostendit, hanc vocem nulla alia causa fuisse adhibitam, quam ut veri Ariani damnarentur, dicentes, Filium esse simpliciter creaturam, & ut demonstraretur, Filium ex eadem Patris substantia fuisse productum. Tum generatim, aptam vocem

vocem non ſupprimi debere, eo quod perverſe accipi poſſit, probat ab exemplo hæreticorum, SS. Scripturis abutentium. Urget Orientales, ne dum obſtinate vocem *homoouſios* rejiciunt, ſuum illud *homoiouſios* ſuſpectum reddant, ſed de vocibus non litigent, cum in ſenſu conveniant. Tum hæc verba notatu digna addit: *Teſtem invoco Dominum Cæli, & terræ! me priusquam de diſceptatione audiviſſem, utramque ſemper vocem probaſſe, & credidiſſe, quod* HOMOIOUSIOS *idem ſignificet, ac* HOMOOUSIOS, *nihilque poſſit alteri natura ſimile eſſe, quin ſit ejusdem naturæ. Jam diu baptizatus, & aliquanto tempore Epiſcopus nihil de fide Nicæna, niſi paulo ante exilium meum audivi, ſed ex SS. Evangeliis & Apoſtolorum ſcriptis horum ſenſum didiceram.*

§. XI.

Concilium Ariminenſe.

Epiſcopi Galliæ, hoc modo de fide Orientalium præmoniti, cum aliis Occidentis Epiſcopis Ariminum, celebrem Italiæ urbem, in ora maris Adriatici poſitam, convenerunt. Frequentiſſimus fuit Conventus, ubi ultra quadringentos Epiſcopos, atque inter illos octoginta ferme Ariani numerabantur. Inter Catholicos, quos novimus ſpectatiſſimi

Athan. de Synod. p. 874. Sever. l. 2. p. 419.

Sæculum IV. A. C. 359.

tissimi fuere Restitutus Carthaginensis, qui Concilio præfuisse videtur, Musonius Episcopus Provinciæ Byzacenæ in Africa, cui omnes ob provectiorem ætatem cedebant; Græcianus Episcopus Collatinus in Italia. Ex Galliis S. Phebadius Aginnensis, & S. Servasius Tungriensis. Inter Arianos notantur Ursacius, Valens, Germinius, Cajus ex Pannonia, Demophilus Bereensis, Auxentius, Epictetus, Mygdonius, & Megasius. Taurus Prætorii in Italia Præfectus, Concilio nomine Imperatoris intererat, jussus, non permittere, ut Episcopi inde abirent, priusquam in unam fidem consensissent; imo, si id effeciisset, ei Imperator Consulatus honorem pollicitus est, quem etiam anno 361. obtinuit. Constantius ad Concilium scripsit, maxime ut moneret, ne Patres contra Orientales quidquam decernerent, ad quod ipse sua auctoritate non esset accessurus. Tum imperium de mittendis decem Delegatis repetit. Hæc epistola data est Sexto Calendas Junii sub Eusebii, & Hygatii Consulatu, id est, 27. Maji 359. & paulo post Concilium Ariminense auspicati sunt.

Gesta. 6. Id. Oct. ap. Hilar. fragm. p. 43. Hier. in Lucif. c. 7.

Sever. l. 2. p. 419.

apud Hilar. fragm. p. 57.

Catholici in Ecclesia convenere, Ariani in alio loco, illis antea præparato, qui pro oratorio illis fuit, non enim in orationibus communicabant. Ubi de fide tractari cœptum, cœteri omnes argumenta

menta ex sola S. Scriptura expromebant, at Ursacius, Valens, & alii Arianorum præcipui intrarunt, chartam manu tenentes; hujus scripti postquam apposi- *Soz. IV.* tam diem legerunt, petiere, ne de qua- *c. 17.* cunque alia fidei formula, aut quocunque Concilio ultra mentio fieret, nihil amplius a se exigendum, nec in opinionem suam inquirendum, in hoc scripto omnia contineri, quæ suis adversariis satisfacere deberent. Erat autem hoc scriptum ultima Sirmiensis formula anni 359. qua rejectis vocibus substantia, & consubstantialis, solummodo affirmabatur, Filium Patri per omnia esse similem. *Magis expedit in simplicitate de Deo loqui*, inquiebant: *dummodo sicut oportet sentiamus, quam introducere novas voces, quæ subtilitatem Dialecticam redolent, & ad fovendas dissensiones aptæ sunt. Tota Ecclesia propter duo vocabula, quæ in SS. Scripturis non leguntur, turbanda non est.* His se Occidentalibus imposituros *Theod. II.* putabant, quippe Orientales, a quibus *c. 18.* Ariani isti regebantur, Occidentales, esse homines stupidos, & rudes sibi fingebant.

Sæculum IV. A. C. 359.

Episcopi Catholici responderunt; non opus sibi esse nova formula, sed proposuerunt, Arii Doctrinam ab omnibus præcise, & missis ambagibus condemnandam; omnes consentiebant, solis Ursa-

Sæculum IV. A. C. 359.

cio, Valente, aliisque illius factionis re-
nuentibus; ita artes eorum detectæ sunt.
Non ideo ex procul dissitis Regionibus, in-
quiebant Episcopi Catholici: *advecti su-*
mus, ut, quæ nobis essent credenda, disce-
remus, hæc enim ab iis edocti sumus, qui
nobis fidei rudimenta tradiderunt, bapti-
zarunt, & in Episcopos ordinarunt, a Pa-
tribus profecto nostris, a Martyribus, a
Confessoribus, quibus successimus, a tot
Sanctis, quondam Nicææ congregatis, quo-
rum plures hodieque hac luce fruuntur;
omnem aliam fidem damnamus, & ideo
huc venimus, ut, quæcunque nova, aliena,
& huic Doctrinæ contraria, quia hæreti-
ca sunt, rescindamus. Quid sibi vult for-
mula vestra, quibus annum, & diem men-
sis apposuistis? quis unquam talia somnia-
vit? num ante hanc diem nulli erant Chri-
stiani? num tot Sancti, qui ante hanc for-
mulam fabricatam in Domino dormierunt,
aut sanguinem pro fide fuderunt, quid cre-
dendum esset, ignorarunt? vos ipsi, per
Deum! addito mense, & die novam esse,
& erroneam vestram opinionem toti posteri-
tati proditis! Ariani, bene a se factum,
adducto Prophetarum exemplo, conten-
debant, at responsum; Prophetas non
ideo missos, ut novæ fidei fundamenta
jacerent, aut omnino, quæ essent creden-
da, docerent, sed tantum, quæ Deus po-
pulo suo promitteret, annuntiasse, & im-
primis

Athan. de Synod. p. 876.

Socr. II. c. 37. ex Ath. de Syn. 850.

Concilium Ariminense.

primis Messiæ adventum, tum etiam, quæ Israelitis, aliisque nationibus obventura essent; idcirco temporum annotationem ipsis fuisse necessariam, ut sciretur, quandonam vixissent, & quando futura prædixissent. Ecclesiam quidem consueviſſe, actis Conciliorum, aliisve circa res mutabiles Decretis diem apponere, non autem fidei formulis, ubi tantum, quæ semper credidit, declarat. Id quoque in hac formula a sana ratione abhorrens videbatur, quod Imperatorem hujus Mundi æternum dicerent, illi ipsi, qui Filii Dei æternitatem negabant. Sæculum IV. A. C. 359.

Concilium aliarum Sectarum Confessiones, fidem continentes, prælegi jussit, tum etiam Concilii Nicæni, atque huic soli, rejectis omnibus aliis, inhæsit, & Decretum condidit ferme in hunc modum: *Omnibus Catholicis gratum nos facturos existimamus, si a Symbolo, quod didicimus, non recedamus, cujus puritatem post collata consilia agnovimus; hoc autem nihil aliud est, quam illa fides, quam accepimus a Prophetis Dei Patris, a JEsu Christo, Domino nostro, quam S. Spiritus nos per Apostolos omnes docuit usque ad Concilium Nicænum, & quæ in hanc usque horam subsistit. Credimus, huic fidei nihil esse adjiciendum, nihil detrahendum; nihil, quod agamus, superesse, sed vocem substantiæ, & rem, quæ per hanc* Soz. IV. c. 17. ap. Hilar. fragm. in fin.

Sæculum IV. A. C. 359.

vocem ſignificatur, multis SS. Scripturarum locis ſtabilitam, in pleno ſenſu conſervandam, ſicut S. Eccleſia Dei eam omni tempore confiteri conſuevit. Omnes Epiſcopi Catholici, nullo excepto, huic Decreto ſubſcripſerunt, atque etiam alteri, quo iterato Doctrina Arii damnabatur ſequentibus verbis: *Arii blaſphemiæ, ut ut jam condemnatæ, latebant, quia, ab eo fuiſſe prolatas, ignorabatur, ſed, Deo ita disponente, hæreſis ejus a nobis, Arimini exiſtentibus, denuo examinata eſt; hinc eam condemnamus, & omnes hæreſes, quæ contra traditionem Catholicam, & Apoſtolicam exortæ ſunt, ſicut jam a Conciliis præcedentibus damnatæ fuere.* Poſt hæc decem Anathemata dicta variis erroribus Arii, Photini, & Sabellii ſequuntur.

ibid.

Valentem, Urſacium, aliosque Arianos, huic Decreto refragantes, Epiſcopi Catholici pronuntiarunt, eſſe homines Rerum Divinarum rudes, & ignaros, perverſos, depravatos, hæreticos, atque his perſpectis ſibi cauſis eos, damnatos, depoſuerunt; habemus acta, quibus deponuntur, in hæc verba: *Euſebio, & Hypatio Conſulatum gerentibus, duodecimo Calendas Auguſti, id eſt, 21. Julii, cum Concilium Epiſcoporum, Arimini congregatum eſſet, poſtquam de fide deliberatum eſt, &, quid faciendum, ſtatutum, Græcianus,*

ap. Hilar. frag. in fin. ap. Athan. de Syn. p. 879.

cianus, Episcopus Collatinus, ait: Cha- Sæculum IV.
rissimi fratres! Concilium universale tam- A. C. 359.
diu, quamdiu potuit, toleravit Ursacium, Valentem, Gajum, & Germinium, qui opinionum suarum varietate omnes Ecclesias turbarunt, & etiamnum hæreticorum argutias fidei argumentis commiscere audent, Concilium Nicænum obliterant, nobisque fidem alienam, quam recipere non licet, obtrudere volunt; jam a multo tempore hæretici sunt, & adhuc in errore perseverare scimus, hinc ad nostram Communionem non admisimus, & viva voce ipsos præsentes condemnavimus; ergo edicite, quid statuatis, ut omnes sententiam vestram suo suffragio confirment. Omnes Episcopi dixerunt: volumus, ut isti hæretici sint damnati, fides autem Catholica integra, & Ecclesia in pace permaneat.

§. XII.

Legatio ad Imperatorem.

His ita tam circa fidem, quam Personas definitis, Patres, soluto Concilio, ad sua reverti potuissent, nisi eos mandatum acta ad Imperatorem per Legatos mittendi retinuisset; ut igitur satisfacerent huic imperio, Episcopos decem ad Regiam delegarunt, ferentes epistolam, qua primum fatebantur, se Cæsaris mandato fuisse congregatos, tum vero sibi visum, anti-

Ap. Socr. II. c. 37. Sozom. IV. Athan. de Synod p. 877. Hilar. frag. 451.

Sæculum IV. A. C. 359.

antiquam fidem ſervare, Prophetarum, Apoſtolorum, & ipſius JEſu Chriſti prædicatione acceptam, præcipue Concilii Nicæni Symbolum, a tot Sanctis Epiſcopis editum, tam matura deliberatione, Imperatore Conſtantino præſente, qui in hac fide baptizatus, eidemque immortuus eſſet. Sæpius deinde affirmant, nihil in fide innovandum, & ſæpius Imperatorem rogant, & obteſtantur, ne quidquam vel addi, vel detrahi patiatur; non aliud ſupereſſe remedium, quo pax firmetur, & diviſio Eccleſiarum, præſertim Romanæ, tollatur. Querelas contra Urſacium, & Valentem movent; hos, cum diu ante excommunicati fuiſſent, litteras factorum pœnitentiam teſtantes ad Concilium Mediolanenſe miſiſſe: *nihilominus*, inquiunt: *formulam nobis proponere auſi ſunt, in qua Doctrina nova, & aliena continetur, tunc videntes, eam nemini probari, noſtram congregationem ingreſſi ſunt, denuo novam fabricaturi.* Tum Patres, quænam mandata ſuis Legatis dediſſent, indicant; antiquas Definitiones tuerentur, quæ in Concilio acta fuiſſent Imperatorem docerent, nomina, & manum Epiſcoporum exhiberent. Denique Imperatorem rogant; Legatis ſuis benevolas aures præbeat, ſeque ipſos ad ſuas Eccleſias remittat, ne diutius Paſtorum ſuorum præſentia priventur, & qui inter ipſos

in

in Regione peregrina vel Senectutis incommodis, vel paupertate premebantur, longiori tempore non vexarentur. Rogant quoque, ne imposterum Imperator permitteret, Episcopos longis itineribus fatigari, & a gregibus suis separari, sed in pace cum Fidelibus suis pro Regni ejus prosperitate preces ad Deum fundere concederet.

Legatis hanc epistolam ferentibus, atque inter eos Restituto Carthaginensi, nam juvenes selegerat Concilium, nec satis prudentiæ, nec rei gerendæ capacitas erat; econtra Ariani eodem tempore Senes, rerum expertos, & versutos, Ursacio, & Valente Ductoribus miserunt; cumque & ipsi decem essent, universim viginti numerabantur, qui se Concilii Ariminensis Legatos dicebant. Catholicis mandatum erat, nullatenus cum Arianis communicare, nec ullum admittere contractum, sed omnia ad Concilium deferre; ideo verosimiliter, ut eorum insscitia suppleretur. Constantius jam non amplius in Illyrico haberi potuit, qui versus Orientem processerat, belli Persici causa. Ariani strenue confecto itinere primi ad aulam pervenientes, facile Imperatoris animum suas in partes inflexerunt, cum formulam, a se Concilio oblatam, prælegissent; hanc enim Sirmii se præsente compositam, Arimini fuisse rejectam

Sev. Sulp.

Soz. IV. c. 19. Theod. II. c. 19.

Sæculum IV. A. C. 359.

jectam gravius tulit. Igitur Arianis Constantius omnem honorem exhibuit, animumque benevolum, dum Catholicos contemptui habebat; Ministri aulici, cum Arianis conspirantes, Concilii epistolam, e manibus Catholicorum acceptam, Imperatori reddiderunt, ipsos Delegatos in conspectum venire non sunt passi, dicentes, Imperatorem Reipublicæ negotiis obrutum, sui copiam non facturum. Ita aulam sequi coacti, longa mora fatigabantur.

Tandem Imperator ad Concilium frigide rescripsit, excusans, quod viginti Episcopos ad se missos necdum audire vacasset, ob expeditionem, quam moliretur in Barbaros; nam utriusque partis Delegatos confundit. *Scitis*, inquit: *illi mentem liberam esse debere, cui causa Religionis tractanda est, jussimus ergo, ut reditum nostrum Andrinopoli exspectent. Interim & vos non gravemini, ipsorum, & nostram responsionem exspectare, ut causam Ecclesiæ ad optatum finem perducere valeatis.* Patres Concilii Ariminensis ad hanc epistolam responderunt; sancte affirmantes, nunquam se latum unguem ab illa fide, quam Majores eorum tenuissent, discessuros, & rogantes, ut ad suas Ecclesias, antequam viæ hieme rigerent, redire liceret. In hoc forte otio de privilegiis Ecclesiæ agentes, ab Impe-

ap. Socr. II. c. 37.

ap. Socr. ib.

ap. Theod. II. c. 20.

Soz. IV. c. 19. l. 15.

Imperatore petere ſtatuerunt, ut Eccleſiarum fundi omnibus oneribus publicis liberarentur; hoc vero Imperator denegavit, ſed tantum Eccleſiarum exemptionem a tributis extraordinariis ſalvam eſſe voluit. Quod autem pertinet ad Clericos mercatores, & qui agros proprios poſſiderent, onera etiam extraordinaria pendere juſſit, ſicut apparet ex epiſtola, data anno ſequenti 360. 30. Junii ad Taurum Prætorii Præfectum, illum ipſum, qui Concilio adfuerat. At anno 361. cum eſſet Antiochiæ, legem priori contrariam edidit, omnibusque Clericis exemptionem a tributis extraordinariis ſecundo conceſſit.

Sæculum IV. A. C. 359.

Cod. Theod. de Epiſc. & ibi Gothof.

L. 16. ibid.

§. XIII.

Conventus Niceus.

Inter hæc Delegati, qui erant Andrinopoli, in modicum oppidum illius viciniæ, quod tunc Nicam, aut Nicæam, veteres autem Uſtodizo dixerant, inviti deducuntur, ubi Arianorum perfidia evicit, ut ſimpliciores, aſtu decepti, doctiores metu incuſſo, fidei formulæ ſubſcriberent, quæ poſteriori Sirmienſi ſimilis erat, in Concilio Ariminenſi rejectæ; imo hæc ultima Sirmienſi deterior erat, quod diceretur, Filium ſimilem eſſe Patri ſecundum Scripturas, non addendo, per

Theod. II. c. 21. Ath. ad Afric. p. 934. ap. Theod. ib.

Sæculum IV. A. C. 359.

per omnia. Vox, ſubſtantia, rejicitur, a Patrum ſimplicitate introducta, ad populi ſcandalum. Expreſſio unius hypoſtaſis in Perſona Patris, Filii, & Spiritus S. prohibetur. Tandem omni hæreſi, tam antiquæ, quam novæ, huic ſcripto contrariæ anathema dicitur, nempe Doctrinæ Catholicæ. Omnes, Nicæ præſentes, manu ſua hanc formulam ſignarunt; quam Ariani ſimulabant, a Patribus Nicææ in Bithynia conditam, ut nominis ſimilitudine ſimplices fallerent, ideo enim hunc locum præ omnibus aliis ad agendum Conciliabulum pertinaciter ſibi delegerant; ſed inepta fabula vix pauciſſimos fefellerunt. Poſtquam Concilii Ariminenſis Legati formulæ ſubſcripſerant, actum concordiæ cum Arianis concinnarunt in hunc modum:

Soz. IV. c. 19.

Euſebio, & Hypatio Conſulibus, Sexto Idus Octobris, id eſt, decimo Octobris, anno 359. Epiſcopi in Concilio ſedentes Nicæ, quæ dicebatur antea Uſtodizo, in Provincia Thraciæ, nempe Reſtitutus, Gregorius, Honoratus. Tum & alii nominantur, numero quatuordecim, aliunde nobis ignoti. A vero non abhorret, decem primo miſſos legatos hic nominari, & quatuor reliquos, illos eſſe, qui ſecundam Concilii Ariminenſis epiſtolam ad Cæſarem attulerant. His ergo quatuordecim nominatim præpoſitis, hæc leguntur: *Reſtitu-*

ap. Hilar. frag. p. 452.

stitutus Episcopus Carthaginensis dixit: Sæculum IV.
Novistis, Sancti Confratres mei! quod, A. C. 359.
cum Arimini tractaremus, instigante Diabolo, disputatio Dei Pontificum animos diviserit, unde factum, ut ego Restitutus, & pars Episcoporum, me sequentium, sententiam contra Ursacium, Valentem, Germinium, & Gajum tanquam perversæ Doctrinæ auctores pronuntiaverimus, id est, a nostra Communione exclusserimus, at omnibus accuratius examinatis, nihil invenimus, quod cuiquam probari non debeat, nempe fidem eorum esse Catholicam, secundum eorum formulam, cui omnes subscripsimus, eosque nunquam fuisse hæreticos. Itaque cum concordia, & pax maximum bonum sit coram oculis Dei, optimum factu judicavimus, si ea, quæ Arimini acta sunt, communi consensu irritaremus, eos sincere in nostram Communionem reciperemus, sicque eis honorem, & famam restitueremus. Cum jam præsentes simus, superest, ut quilibet dicat, num ea, quæ protuli, vera sint, & sua manu subscribat. Omnes Episcopi dixerunt: *volumus;* & subscripserunt.

§. XIV.

Concilii Ariminensis exitus.

Tunc vero Delegatis libertas facta Ariminum revertendi; simul scripsit *Sev. Sulp. l. 2. p. 427.*

Sæculum IV. A. C. 359.

Imperator ad Taurum Præfectum, ne Patres Concilii discedere permitteret, antequam omnes formulæ Nicæ in Thracia acceptatæ subscripsissent, pertinacissimos exilio mulctaret, si plures quam quindecim non essent. Scripsit quoque ad Episcopos, voces substantia, & consubstantialis supprimi jubens. Itaque Ursacius, & Valens victores Ariminum rediere, & prævalentes eorum Sectatores, pulsis Catholicis Ecclesiam occuparunt; qui semper eorum partibus in Concilio addicti fuerant, ad Episcopos Orientis scripserunt, se cum illis in fide sentire, & semper sensisse. Ut deinde ad epistolam Imperatoris responderent, aliam concinnavere servili assentatione fœdissimam; dicunt; se ejus imperio obediviſſe, in Orientalium fidem consensisse, & voces *ousia*, & *homoousios* rescidisse, *voces*, inquiunt: *Ecclesiæ hactenus incognitas, Fidelium scandalum, voces Deo indignas, quæ in SS. Scripturis inveniri possint;* hinc supplices Imperatorem rogant, Tauro Præfecto mandare velit, ut se ad suas Ecclesias remittat, nec se diutius cum illis, qui Doctrina perversa infecti essent, commorari cogeret. Ex his cognoscitur, hanc epistolam unius tantum Episcoporum partis fuisse opus, inde scripta dicitur nomine Concilii Ariminensis cum Orientalibus consentientis, ut hæc Concilii pars

ap. Hilar. frag. p. 453.

ap. Hilar. ibid.

ab

ab altera, non consentiente, distinguere- Sæculum IV.
tur, & præfert nomina Mygdonii, Me- A. C. 359.
gasii, Valentis, & Epicteti, qui omnes erant inter Arianos notissimi.

Primo quidem Episcopi Catholici, qui *Sulp. Sev. 2.* erant Arimini, cum Delegatis suis post *p.* 427. eorum reditum communicare recusabant, quamvis illi factum ob vim, sibi ab Imperatore illatam, excusarent, ubi autem, quid de se mandasset, resciverunt, multo magis perturbati, quid statuerent, ignorabant. Plerique sensim seu infirmitate, seu ob tœdium tam diuturnæ procul a Patria commorationis lassati, adversariis victas manus dedere, qui a legatorum reditu superiores erant, mox ubi se metus plurimorum animis insinuavit, turmatim ad Arianos transiere, donec Catholici numerum vigesimum non excederent, quo pauciores, eo reliqua multitudine fortiores. Hunc, si numerum spectes, non animum, pusillum gregem ducebant Phebadius Episcopus Aginnensis, & Servasius Tungrienſis, quos cum videret minis moveri non posse Taurus Præfectus, precibus flectere nitebatur, & lacrymis perfusus, ut saniora eligerent, obsecrabat, *Ecce!* inquiebat: *septimus jam mensis labitur, ex quo tot Episcopi unius urbis angustiis includuntur, summa hieme, & paupertate pressi; vestra contumacia omnis spes re-*

Sæculum IV. A. C. 359.

visendi Patriam tollitur; quæso! quando facietis malorum finem? aliorum exempla sequimini, & majoris numeri auctoritatem! Ad hæc Phebadius, se quidem ad exilium, & supplicia omnia perferenda paratum, edixit, nunquam autem fidei formulæ, quam Ariani condidissent, subscripturum.

Diebus pluribus tenuit contentio, & nulla pace sequente, Phebadius paulatim in proposito refrigescens, tandem fallacibus hæreticorum verbis cessit; nam Ursacius, & Valens fidei Professionem ab Orientalibus in medium allatam, interveniente Imperatoris auctoritate, nihil aliud, quam Doctrinam Catholicam continentem, sine tetro crimine rejici non posse affirmabant; & interrogabant, quonam ergo modo Divisiones componi aliquando possent, si quæ Orientales probassent, ab Occidentalibus damnarentur. At, istud affirmantes, putidissime mentiebantur, nam maxima Orientalium Episcoporum pars hanc formulam pure Arianam certe rejeciissent, eo quod in ea vox substantia expuncta esset, econtra hanc vocem conservatam volebant, ut superius in Concilio Ancyrano vidimus, in hoc solum differentes ab Occidentalibus, quod Filium in substantia similem dicerent, Occidentales vero, & vere Catholici, esse Filium substantiæ ejusdem.

Sup. §. 5.

Hac

Hac fraude feruntur plerique Catholici ab Arianis in Concilio Ariminensi ad lapsum inducti, quod persuaserint, rescissa voce, substantia, cor unum, & sensum unum orientalis, occidentalisque Ecclesiæ futurum. Dicuntur etiam Ariani a Catholicis quæsivisse, an JEsum Christum adorarent, an tantum consubstantialitatem, atque hac quæstione illius vocis odium eisdem creasse. Majora Ursacius, & Valens promittebant, ad Phebadium, & Servasium dicentes; si hæc fidei formula ipsis non satis ampla videretur, adderent, quæ vellent, se sane sua ex parte consensuros; æqua, & neutiquam rejicienda dicere omnibus visi sunt, atque Catholici, quibus nihil magis cordi erat, quam litigandi finis, resistere noluerunt. Nihil Viris sanctis, & Dei servis dignum magis erat in speciem, quam Ecclesiarum unionem procurare. Fidei formula, quam probandam proponebant, eratque Sirmiensis, & Nicea in Thracia, nihil aperte hæreticum legentibus objiciebat, non dicebatur Filius Dei esse Creatura, aut ex nihilo productus; non dicebatur, tempus fuisse, quo non extitisset; econtra natus dicebatur ex Patre ante omnia Sæcula, Deus de Deo. Causa rejiciendi vocem *Ousia* seu substantia, erat probabilis, ex eo, quod in Scripturis non legeretur, & sua novitate simplicibus occa-

Sæculum IV. A. C. 359.

Socr. IV. c. 19.

Conc. Paris. ap. Hilar. frag. Ruf. 1. hist. c. 21. Sulp. Sever.

Concilium Ariminense.

Hier. in Lucif. c. 7.

Sæculum IV. A. C. 359.

casio scandali esset; nec Episcopis cura fuit de uno vocabulo, cum sensum Catholicum salvum esse crederent.

Præterea, cum in vulgus emanasset, sub hac fidei expositione fraudem latere, Valens Mursensis, ejusdem formulæ Auctor, coram Præfecto Tauro professus est, se nequaquam esse Arianum, sed ab eorum blasphemiis alieniſſimum, cumque hæc declaratio privata populo suspicionem necdum exemisset, postera die in Ecclesia Ariminensi congregatis Episcopis, & magna Laicorum multitudine, Musonius Provinciæ Byzacenæ in Africa Episcopus, cui omnes utpote ætate majori loco cedebant, in hunc modum elocutus est: *Volumus, ut aliquis nostrum Vestræ Sanctitati prælegat, quæ, invulgus sparsa, ad nostras quoque aures pervenere, ut uno ore damnemus, quæ mala sunt, & tam ab auribus nostris, quam a corde rejicienda;* Omnes Episcopi respondérunt: *Volumus.* Tunc Claudius Episcopus illius Provinciæ in Italia, quæ Picenum dicitur, omnibus id volentibus, illas blasphemias prælegere cœpit, quæ vulgo Valentis esse dicebantur; at hæc sua sensa esse Valens negabat, exclamans: *Si quis dicat, JEsum Christum non esse Deum, Filium Dei, ex Patre genitum ante Sæcula, anathema sit! Si quis dicat, Filium Dei non esse similem Patri secun-*

secundum Scripturas, anathema sit. Si quis neget Filium Dei esse cum Patre æternum, anathema sit. Omnes singulis vicibus responderunt: *Anathema sit!* adjecit Valens, tanquam Doctrinam Catholicam confirmaturus: *Si quis dicat, Filium Dei esse Creaturam, sicut cæteræ creaturæ sunt, anathema sit!* Omnes responderunt: *Anathema sit!* Non attendentes, venenum sub his verbis occultari; nam Catholici hæc verba ita accipiebant, quod Filius Dei nullo modo esset creatura, at Valens ita; quod esset Creatura, sed tantum aliis perfectior. Sero horum verborum ambiguitatem agnoverunt, quibus sibi illudi imprudenter passi erant. Subjunxit Valens: *Si quis dicat, Filium Dei non ex Deo Patre, sed ex nihilo productum esse, anathema sit!* exclamarunt omnes *anathema sit!* Tandem dixit: *Si quis dicat: Tempus fuit, quo Filius non existebat; anathema sit!* omnes responderunt: *Anathema sit!* Hæc Valentis verba summo gaudio, omniumque Episcoporum, & totius Ecclesiæ applausu excepta sunt, cum ea ipsa, quæ anathematizabat, arcani, & proprii Arianæ hæresis errores esse viderentur. Valentem laudibus suis ad sidera extollebant, & cum dolore male conceptam de eo suspicionem damnabant. Tunc Episcopus Claudius ait: *Est adhuc*

Sæculum IV. A. C. 359.

Sulp. Sev. 2. p. 430.

Sæculum IV. A. C. 359.

huc unum, quod fratrem noſtrum Valentem præteriit, quod, ſi vobis videtur, unanimiter condemnabimus, ne qualiscunque ſcrupulus ſupereſſe poſſit; ſi quis dicat, Dei Filium eſſe ante omnia Sæcula, ſed non abſolute ante omnia tempora, ita ut ponat aliquid, quod ipſum præceſſerit, anathema ſit! omnes reſponderunt: *Anathema ſit;* Plures alias propoſitiones, quæ eſſe ſuſpectæ poterant, ſicut eas Claudius pronuntiabat, Valens damnavit. Hic fuit Concilii Ariminenſis exitus, cujus tam proſpera videbantur initia; Epiſcopi lætantes in Provincias ſuas reverſi ſunt, ignari, ſe fuiſſe deceptos. Antequam ſepararentur, Legationem ad Imperatorem miſerunt, cujus præcipui erant Urſacius, Valens, Mygdonius, Megaſius, Gajus, Juſtinus, Optatus, & Martialis; ex his ipſis Nominibus conſtat, quænam factio in fine infauſti Concilii prævaluerit, cujus Acta ſupererant, a S. Hieronymo citata. Delegati Conſtantinopolim devecti, illos ibi invenerunt, quos Concilium Seleucienſe delegaverat.

Ep. Orient. ap. Hilar. frag. p. 428. Hier. ad. Lucif. c. 7.

§. XV.

Concilium Seleucienſe.

Socr. II. c. 39 Ath. de Syn. p. 580. Soz. IV. c. 22.

Eodem tempore, quo Epiſcopi Occidentis Arimini congregati erant, Orientales convenerant Seleuciam, Metropolim

Sæculum IV. A. C. 359.

polim Isauriæ, quæ aspera, haud dubie quia petrosa, dicebatur. Adfuere centum sexaginta diversarum Sectarum Episcopi, nempe Semi-Ariani, Anomei, & Catholici. Semi-Arianorum præcipui erant Georgius Laodicenus, Eleusius Cyzicenus, Sophronius Pompejopolitanus in Paphlagonia, Silvanus Tarsensis, Maecedonius Constantinopolitanus, Basilius Ancyranus, & Eustathius Sebastenus; majorem numerum conficiebant, erantque centum quinque Episcopi. Anomeorum ferme quadraginta numerabantur, sub Ducibus suis Acacio Cæsarienſi, Georgio Alexandrino, Eudoxio Antiocheno, Uranio Tyrienſi, & Patrophilo Scythopolitano. Pauciſſimi numero erant Catholici, Consubstantialis defensores, vixque numerum decimum quintum excesserint, plerique Ægyptii. Divina providentia factum, ut S. Hilarius Pictavienſis interesset. Is tunc annum quartum exilii sui agebat in Phrygia; quamvis singulare de eo non fuisset missum mandatum, tamen ubi Cæsaris litteræ allatæ sunt, quibus omnes Episcopi ad Concilium devehi jubebantur, Præfecti Prætorii Vicarius, & illius Provinciæ Rector, ut ipse quoque illuc deferretur, subministratis equis, voluerunt. Seleuciam perveniens, & perbenigne exceptus omnium curiositatem excitavit; ante om-

Hilar. ad Const. ap. 292.

Sulp. Sev. lib. 2. *p.* 431.

Sæculum IV. A. C. 359.

nia, qualis esset Gallorum fides? interrogarunt, quippe Ariani suspectam eorum fidem calumniando reddiderant, quod Trinitatem, sicut Sabellius, in solis Nominibus crederent; ergo fidem suam exposuit, Nicæno Symbolo conformem, seque testem pro Occidentalibus dedit, quod eandem secum fidem tenerent. Ita, deletis tandem suspicionibus, ad Episcoporum communionem, & Concilium admissus est.

Socr. II. c. 39.

Huic Concilio duo Curatores ab Imperatore constituti interfuere, Leonas, qui antea Quæstor fuerat, vir nobilitate natalium, & prudentia spectabilis, at Anomeis addictus, & Lauricius, copiarum in Isauria Tribunus, nam hæc Provincia, in Imperii finibus sita, crebras Barbarorum incursiones aut repellebat, aut timebat. Leonas in Concilio animos Patrum moderari jussus, Lauricius, si opus esset, armatorum manus suppeditare. Notarii etiam advocati fuerant, qui Acta Concilii, id est, excepta loquentium verba, notis exprimerent; hæc posterioribus temporibus in Collectione Sabini Episcopi Heracleensis in Thracia ex secta Macedonianorum legebantur. Episcopi hujus Concilii congredi cœperunt vigesima septima Septembris hujus anni 359. Eusebio, & Hypatio Consulatum gerentibus. Leonas omnes exhortabatur, ut jam,

jam, quæ vellent, in medium afferrent; reſponderunt Epiſcopi nullam quæſtionem agitari poſſe, antequam abſentes adveniſſent; erant autem abſentes Macedonius Conſtantinopolitanus, Baſilius Ancyranus, & non nulli alii, qui, ne accuſarentur, timebant; Macedonius morbum fingebat; Patrophilus in ſuburbiis Seleuciæ manſerat, infirmitatem oculorum obtendens; aliis aliæ erant excuſationes. Leonas etiam in quorumdam abſentia quæſtionem proponi debere arbitrabatur, ſed Epiſcopis aliud, quod prætexerent, occurrit, nempe de nulla quæſtione ſe acturos, niſi prius vita eorum, qui accuſati fuiſſent, examinaretur; ſub his accuſatis Cyrillum Jeroſolymitanum, Euſtathium Sebaſtenum, & quosdam alios indicare volebant. Cyrillus, ab Acacio Cæſarienſi, ut diximus, depoſitus, cuidam Concilio Melitinæ in Armenia interfuerat, quo Euſtathius depoſitus eſt; hujus Concilii Decretis ſuffragari detrectaverat S. Cyrillus cum Euſtathio, & Elpidio Sataleſio. Hic Epiſcopi animis dividi cœpere, aliquibus volentibus, ut primo accuſationes examini ſubjiceren tur, aliis poſtulantibus, ut ante omnia de quæſtione fidei ageretur. Mandata Imperatoris a ſe invicem diſcrepantia contentionem exaſperarunt, dum pars utraque Epiſtolas exhibebat, jam ab una, jam ab

Sæculum IV. A. C. 359.

Sup. XIII. §. 48.

Sozom. IV. c. 25. Baſil. ep. 74. p. 875

Sæculum IV. A. C. 359.

ab altera materia initium duci jubentes; ex hac lite inter Acacianos, & Semi-Arianos apertum ſchiſma exortum, & Concilium in duas partes abiit.

Tandem a quæſtione fidei cœptum. Acaciani, ſeu Anomei palam Symbolum Nicænum rejiciebant, non obſcure indicantes, novam condendam eſſe fidei formulam; at alii numero potiores Symbolum Nicænum in omnibus reliquis recipiebant, ſola voce, conſubſtantialis, excepta. Anomei vocem, Subſtantia, horrebant, & pro Regula formulam Sirmii a Marco Arethuſano vigeſima ſecunda Maji compoſitam ponebant; quidquid proferebant, bonorum aures horrenda impietate offendebat; nihil Dei ſubſtantiæ poſſe eſſe ſimile, nec ullam in Deo poſſibilem eſſe generationem. JEſum Chriſtum eſſe Creaturam, cujus Creatio pro generatione divina a rudibus haberetur. Ex nihilo productum eſſe, ex quo ſequeretur, nec filium eſſe, nec Deo ſimilem. Ex quodam ſermone, Antiochiæ ab Epiſcopo Eudoxio pronuntiato, publice prælecta ſunt verba ſequentia: *Deus erat, quod eſt. Non erat Pater, quia non habebat Filium; nam ut haberet Filium, neceſſe fuiſſet, ut etiam haberet uxorem;* & cœtera, quæ in S. Hilario legi poſſunt, ipſe enim horreſcens has blaſphemias, quas ſuis auribus audierat, refert. Nec mirandi

Sup. §. 6. Hil. ad Conſt. 1.

DIVISIO Semi-Arianorum, & Acacianorum.

Hilar. ad Conſt. 1. p. 292. Socr. II. c. 39.

mirandi locus est, quod ad hanc lectionem in Concilio ingens secutus tumultus aurium usum interceperit. Cum disputatio usque ad noctem durasset, Silvanus Tarsensis altiori voce exclamavit; novam fidei expositionem non esse condendam, sed illam, quæ in Concilio Antiocheno Dedicationis publicata fuisset, servandam. Hæc ipso loquente, Acaciani discessere; qui contrariæ erant partis formulam Antiochenam protulere, quæ prælecta est; atque hæc in prima Concilii Sessione acta sunt. Sæculum IV. A. C. 359.

Postera luce iidem in Ecclesia Seleuciæ congregati, januis clausis, formulam heri prælectam sua manu confirmarunt; loco quorumdam absentium Lectores, & Diaconi, potestate ad id accepta, subscripsere. Interim Acacius, & Sectatores ejus de ista agendi ratione, & subscriptione, ostiis clausis facta, querebatur, quæcunque occulte fierent, suspecta esse debere; ergo illa die vigesima octava Sept. contra vim, quam suis Sectatoribus illatam dicebat, protestationem scripsit; atque hanc tanquam præfationem præposuit novæ fidei formulæ, quam, ut publicaret, paratam tenebat, prius Leonæ, & Lauricio communicatam. Hac die ultra nihil actum. *Socr. II. c. 40.*

§. XVI.

Sæculum IV. A. C. 359.

§. XVI.

Formula Fidei Acacii.

Die tertia, vigesima nona Septembris, Leonæ opera duæ factiones rursus in unum congressæ sunt; aderant quoque in Concilio Macedonius Constantinopolitanus, & Basilius Ancyranus, at Acaciani venire detrectabant, nisi prius ii, qui antea fuerant depositi, & qui nunc erant accusati, excluderentur; post longam contentionem Leonas in eandem sententiam concessit, tunc, accusatis egredientibus, Acaciani intrarunt. S. Hilarius ex numero egredientium fuit, nisi forte ante jam exiverit. Leonas, libellum sibi ab Acacianis traditum, dixit, sed, quid contineret, reticuit; omnes quiete auscultabant, hunc libellum nihil minus, quam fidei formulam esse rati; ergo prælegitur, & erat hujus tenoris:

Ap. Socr. ibid. ap. Epiph. hær. 73. n. 25.

Heri quinto Calendas Octobris omnem operam nostram maxima animi moderatione ad servandam Ecclesiæ pacem impendimus, fidem solide stabilire volebamus, secundum Imperatoris, a Deo dilecti, mandata, & Prophetarum verba, nihil, quod in Scripturis non inveniatur, admiscendo. At in Concilio non nulli nobis insultarunt, prohibuerunt loqui, & invitos exire coegerunt, quibus conjuncti erant quidam in diversis Provinciis depositi,

depoſiti, aut contra Canones ordinati, ita ut Cœtus tumultu repleretur, illuſtriſſimo Comite Leona, & illuſtriſſimo Præfecto Lauricio ſpectantibus. Hinc profitemur, quod formulam fidei authenticam in Dedicatione Antiochena compoſitam non rejiciamus; & quia verba conſubſtantialis, & ſimilis in ſubſtantia, multarum turbarum hactenus cauſa fuerunt, nec non aliqui accuſantur noviſſime dixiſſe, Filium eſſe Patri diſſimilem, declaramus, quod vocem, conſubſtantialis, utpote a Scriptura alienam, rejiciamus, & vocem diſſimilis, damnemus, illos omnes, qui has opiniones tenent, eſſe ab Eccleſia ſeparatos, exiſtimantes; ſed clare ſimilitudinem Filii cum Patre confitemur, juxta Apoſtolum dicentem, ipſum eſſe Dei inviſibilis imaginem. Deinde fidei formulam ponunt, Sirmienſi de die 22. Maji ut ipſimet in fine adnotant, ſimilem. Poſt hanc Lectionem Sophronius Pompejopolitanus exclamavit: *Si hoc eſt fidem exponere, quotidie privatas noſtras opiniones explicare, de fidei Regula actum erit.* Secuta ſunt hac de re, & de accuſatis colloquia. Tum ſoluta eſt Seſſio.

Sæculum IV. A. C. 359.

ap. Athan. de Syn. p. 904

Col. 1. 15.

Socr. II. c. 40

Cœterum Acaciani verbis tantum, & non ſenſu diſſimilitudinem damnabant, ne indignationem populorum, hanc blas-

Sæculum IV. A. C. 359.

blaſphemiam abominantium, in ſe concitarent. Unus eorum ad S. Hilarium venit, ipſius mentem expiſcaturus. Vir ſanctus, quaſi omnium, quæ acta erant, ignarus, interrogavit; quid ſibi vellent, dum unitatem, & ſimilitudinem ſubſtantiæ rejiciebant, ſimulque diſſimilitudinem damnabant? Arianus reſpondit; JEſum Chriſtum non eſſe ſimilem Deo, ſed Patri ſuo; cum hæc reſponſio priori obſcurior S. Hilario videretur, explicationem petiit; Arianus iterum reſpondit: Dico, quod ſit diſſimilis Deo, & tamen intelligi poſſit ſimilis Patri ſuo, quia Pater Creaturam condere voluit, quæ omnia ea vellet, quæ ipſe vellet; eſt ergo ſimilis Patri, quia voluntatis magis, quam divinitatis Filius eſt; a Deo autem diſſimilis eſt, quia nec Deus eſt, nec de Deo, id eſt, de ejus ſubſtantia natus. Ad hæc S. Hilarius obſtupuit, nec credere potuit, eam ipſorum eſſe fidem, niſi eam publice profiterentur.

in Conſt. 1. p. 293.

Socr. II. c. 40

Die quarta, cum omnes conveniſſent, rurſus acriter diſputatum. Acacius dixit: *Cum ſemel Symbolum Nicænum mutatum fuerit, & exinde ſæpius, nihil obſtat, quominus hodieque alia fidei confeſſio condatur.* Eleuſius Cyzicenus reſpondit: *Patres Concilii non ideo huc advenerunt, ut diſcant, quæ antea ignorabant, nec ut fidem recipiant, quam prius non*

non tenebant; in via Patrum ſuorum ambulant, ab ea nec in vita, nec in morte declinaturi. Bonam profecto Regulam! malum vero! quod vir iſte fidei formulam Dedicationis Antiochenæ Patrum ſuorum fidem eſſe crederet! ad hæc Socrates Hiſtoricus notat, multo magis fidei Nicænæ inhærendum fuiſſe, quod ab illorum, qui Antiochiæ fuerant, Patrum Patribus approbata eſſet; illos quippe Antiochiæ, novam formulam condendo, Patrum ſuorum fidem abjuraſſe, videri poſſe.

Tunc ad aliam quæſtionem proceſſerunt; nam cum Acaciani, in illa formula, quæ fuerat prælecta, dicerent, Filium ſimilem eſſe Patri, interrogabant; in quo eſſet ſimilis? Acaciani dicebant, ſimilem eſſe quoad voluntatem, & non quoad ſubſtantiam, omnes alii etiam quoad ſubſtantiam ſimilem affirmabant. Integra dies altercatione conſumpta eſt. Objiciebant Acacio, quod in editis libris dixiſſet, Filium per omnia ſimilem Patri eſſe, *quomodo ergo*, inquiebant: *hodie negas, eſſe ſubſtantia ſimilem?* Reſpondit; nullum vel veterum, vel recentiorum Scriptorum ex libris ſolis fuiſſe judicatum. Cum diſputando incaleſcerent, Acaciani confeſſionem fidei Sirmii a Marco Arethuſano conditam, & a Baſilio Ancyrano ſignatam pro clypeo obtende-

Sæculum IV. A. C. 359.

bant, quia in ea de abolenda voce substantia consenserant. Ad hoc Eleusius Cyzicenus respondit: *Si Basilius, aut Marcus privato errore ducuntur, aut ab Acacianis in Doctrina discrepant, nihil hæc ad Concilium pertinent, atque, num eorum fides recta sit, an perversa, nihil interest. Illam sequamur! quam nobis Episcopi Antiochiæ, ipsis antiquiores, tradiderunt; quisquis aliud docet, extra Ecclesiam esto.* Hæc dicentis oratio a suis fautoribus, nempe Semi-Arianis, applaudentibus excepta.

Sozom. IV. 22.

§. XVII.

Concilium Seleucienſe clauditur.

Socr. II. c. 40 Cum finis litigandi non esset, Leonas, surgens, conventum solvit. Hic fuit Concilii Seleucienſis exitus. Quippe altera die Acaciani comparere noluerunt; Leonas, ut veniret, invitatus recusavit, dicens; mandatum sibi ab Imperatore, ut Cœtui interesset, in quo concordia regnaret, at inter litigantes nolle se diutius morari. *Ite ergo vos*, inquiebat; *& in Ecclesia, quantum libuerit, garrite!* qui ad eum a Concilio missi fuerant, in ejus domo Acacianos conversantes invenerunt, patuitque eum illi parti plus justo favere, atque in Acacianorum gratiam Concilium abrupisse.

Ex

Ex illo etiam tempore Acaciani quasi Victores triumphum canebant. Sæpius ab aliis Episcopis revocati, redire in Concilium noluerunt, sed jam ut Semi-Ariani in domo Leonæ per delegatos comparerent, petebant, jam Imperium Cæsaris sibi esse affirmabant, ut ipsi de aliorum fide judicarent. Ergo nec in unam fidem consentire, nec ad accusationes, contra se allatas, respondere, nec etiam causam S. Cyrilli Jerosolymitani a se ipsis depositi discutere volebant; nec aderat, qui nolentes cogere posset. Sæculum IV. A. C. 359.

Tandem post multas citationes, & dilationes, qui in Concilio remanserant, sententiam depositionis pronuntiarunt contra Acacium Cæsarienſem, Georgium Alexandrinum, Uranium Tyrienſem, Theodulum Cheretapenſem in Phrygia, Theodosium Philadelphium in Lydia, Evagrium Mitylenenſem, Leontium Tripolitanum in Lydia, Eudoxium Antiochenum, Patrophilum Scythopolitanum; Hi Episcopi omnes depositi. Sequentes autem Communione privati, id est, cum sua tantum Ecclesia communicare jussi, Asterius, Eusebius, Abgarus, Basilicus, Phebus, Fidelis, Eutychius, Magnus, & Eustathius; circa hos decretum, ut in eo statu manerent, donec se a criminibus, quibus accusabantur, purgarent. S. Cyrillum in Cathedram Jerosolymita- *Basil. cont. Eun. Athan. de Synod. p. 881.*

Sæculum IV. A. C. 359.

nam reſtituerunt, & loco Eudoxii Anianum ejusdem Eccleſiæ Presbyterum pro Sede Antiochena ordinarunt, qui ſtatim cura Neonæ Epiſcopi Seleucienſis conſecratus eſt.

His factis, Eccleſias, quorum Epiſcopos depoſuerant, quid actum ſit, per Epiſtolas certiores reddidere. Anianus pro Sede Antiochena ordinatus ad eam nunquam pervenit, nam Acaciani comprehenſum Leonæ, & Lauricio tradiderunt, qui militibus ad cuſtodiam datum, deinde ad exilium damnarunt. Id factum fuiſſe Epiſcopi, qui elegerant, data ad Leonam, & Lauricium proteſtatione contra Acacianos conqueſti, cum nihil proficerent, domum remearunt. Sed nec alia Decreta ad effectum deducta. Epiſcopi depoſiti non paruerunt, non nulli in Eccleſias ſuas reverſi ſunt, quos inter Patrophilus Scythopolitanus, & Georgius Alexandrinus; alii Conſtantinopolim ad Imperatorem ſe contulerunt, Adverſarios accuſaturi; illuc Acacius ſecum Eudoxium, cujus indolem naturatimidam excitabat, abduxit.

§. XVIII.

S. Athanaſii Tractatus de Synodis.

v. Hermant. vit. S. Atha. VIII. 27.

Quamprimum S. Athanaſius in ſua ſolitudine, quæ Seleuciæ usque ad finem

nem Concilii, & Arimini usque ad primam ad Cæsarem Delegationem, acta essent, rescivit, ea amicis suis communicavit; erant autem verosimiliter Solitarii, cum eos credat, de his Conciliis quidem potuisse quidquam audire, at illa, quæ etiam publice ad ea convocanda gesta essent, nescire. Docet ergo, hæc duo Concilia Arianorum instinctu fuisse convocata, specie quidem JEsu Christi fidem stabiliendi, re vero ipsa, ut fidem Nicænam destruerent, qua stante nihil ultra requirendum supererat. Ostendit, quantum a sana ratione abhorreat eorum formula, cui mensis, dies, & Consulatus appositus, *Nempe*, inquit: *indicare voluerunt, fidem eorum Constantii Regno antiquiorem non esse.* Et deinde: *Si juxta eos fides sub hoc Consulatu initium habuit, antiquis, & beatis Martyribus quid fiet?* Inde cognoscimus, hunc Tractatum eodem anno 359. scriptum esse. Tunc ea narrat, quæ Arimini gesta sint, usque ad sententiam Depositionis contra Ursacium, Valentem, aliosque Arianos. Tunc ad Concilium Seleuciæ transit, cujus acta summatim recenset.

ecclaircisse-ment. Athan. de Syn. p. 869

p. 871.

p. 872.

p. 875.

Post hæc S. Athanasius, ut, quam mutabiles semper Ariani fuerint in fide, demonstret, diversa diversis temporibus ab ipsis affirmata refert, primoque Arii blas-

p. 883. 887.

p. 890.

Sæculum IV. A. C. 359.

phemias, ex ejus Thalia excerptas, ponit. Discipulorum ejus scripta subjungit, atque inter cœteros Sophistæ Asterii. Hæc sequuntur Concilia, ab ipsis acta, ad novas condendas fidei formulas, & Symbolum Nicænum supprimendum; exordium ducit a Concilio Jerosolymitano
Sup. L. XI. sub Constantino Magno anno 335. celebrato, nam in Tyriensi nihil de fide actum, sed illud istius continuatio dici potest. Inde transit ad Concilium Antio-
p. 892. chenum Dedicationis anno 341. cujus
p. 895. tres formulas recenset, tumque illam, quam in Galliam per Narcissum, aliosque transmiserunt; deinde formulam longam, quam in Italiam miserunt, anno
p. 896. 345. per Eudoxium, aliosque. Rursus
p. 900. Sirmiensem contra Photinum compositam anno 351. atque iterum secundam
p. 902. Sirmiensem a Potamio conditam anno
p. 904. 357. Notat deinde tertiam Sirmiensem, de qua jam locutus fuerat, & cui apposita est dies vigesima secunda Maji hujus
p. 904. anni 359. Tandem formulam Concilii Seleuciensis subjungit, ab Acacianis vigesima octava Septembris ejusdem anni compositam.

p. 905. In hoc loco additum est supplementum vel a quodam alio, vel ab ipso S. Athanasio, quo ad eandem materiam pertinens formula fidei adjungitur Nicæ in
S. Athanasius de Synodis. Thracia composita, & Constantinopoli anno

anno 360. approbata, adnotatur etiam formula Antiochena anni sequentis, & Imperatoris Constantii obitus; Hæc omnia non nisi post annum 361. scribi potuere; hinc certum est hæc posterius fuisse addita. Ulterius in hoc Tractatu S. Athanasius defensionem suscipit vocis Consubstantialis, Arianis intolerabilem, & cui abolendæ tot formulas excogitaverant; primo in puros Arianos arma movet, deinde in illos, qui Symbolum Nicænum probabant, sicut Basilius Ancyranus, sola voce Consubstantialis excepta, hosque fratres vocat, qui eadem sentientes, de una voce litigant. Illud quoque refellit, quod non nulli dicebant, vocem Consubstantialis in Concilio Antiocheno, contra Paulum Samosatenum anno 269. celebrato, fuisse damnatam, & eam in sensu longe diverso tunc fuisse rejectam monstrat, nempe in sensu Pauli; hac occasione opinionem S. Dionysii Alexandrini, qui hac in re calumniis lædebatur, explicat. Tandem causas solidissime deducit, quibus Patres Nicænæ Synodi ad adhibendam vocem Consubstantialis coacti sunt. S. Athanasius in hoc Tractatu sæpius repetit, sibi documenta necessaria, ad ea quæ dicit, probanda ad manus non esse, & quorum descripta exempla videre optaret; hinc eum, cum hæc scriberet, non domi suæ fuisse, sed in fuga conjicias.

Sæculum IV. A. C. 359.

p. 908.

915.

917.

Sup. l. VIII. §. 4.

p. 922.

Sæculum IV. A. C 359.

Hæc duo puncta circa vocem, Consubstantialis, nempe causæ, quam Patres Nicæni habuere, ea utendi, & verus sensus S. Dionysii Alexandrini, qui eam rejeciſſe videri poterat, S. Athanasius tanti momenti esse credidit, ut duos separatos Tractatus de iis scripserit, cui scriptioni etiam casus particulares ansam dederunt. Tractatus de Decretis Nicænis inscriptus est viro doctissimo, qui in disceptationem cum Arianis, & Eusebianis coram Catholicis descenderat, ejusque rei eventum ad S. Athanasium perscripserat, nempe Arianos, cum arctissime premerentur, hoc solum adhuc quæsiviſſe, quare Patres Nicæni vocibus, substantia, & consubstantialis usi fuissent, quas Scriptura ignoraret. S. Athanasius, ut amico suo satisfaceret, ostendit, Patres ob exquisitam astutiam Arianorum coactos fuisse uti hac voce, qua omnis ambiguitas veluti ferro rescindebatur. Tum vocibus substantia, & consubstantialis a traditione auctoritatem esse commonstrat, textus afferens Auctorum antiquiorum, his vocibus utentium, primo Theognosti, quem virum doctum nominat, nobis alias ignoti, deinde S. Dionysii Episcopi Alexandrini, & S. Dionysii Episcopi Romani, qui fuerant coævi, & denique Origenis, quem, quoties nominat, virum laborioſum dicit. Omnium istorum scriptorum loca citat, & in fine

de Decret. Nic. init.

p. 267.

p. 274.

fine Tractatus addit: quando hunc librum acceperis, lege privatim, si tibi probetur, præsentibus etiam fratribus prælege, ut discant venerari Concilium, & Arianos horrere. In alio quodam colloquio Ariani, quid responderent, non habentes, dixerunt, S. Dionysium Alexandrinum ipsorum Doctrinam tenuisse; hinc S. Athanasius suarum esse partium credidit, defensionem ejus in se suscipere, atque ostendere Dionysii opinionem non fuisse aliam, quam totius Ecclesiæ, Arianorum hæresi directe oppositam. Ait sibi tarde de hoc colloquio relatum fuisse, atque ejusmodi novorum avidus esse videtur. Sæculum IV. A. C. 359. p. 548.

§. XIX.

Imperator Aetium damnat.

Semi-Ariani, antequam Seleucia discederent, electos decem Legatos, qui gesta ad Imperatorem referrent, miserunt, sicut in duorum Conciliorum indictione imperatum erat. Primi eorum fuere Eustathius Sebastenus, Basilius Ancyranus, Silvanus Tarsensis, & Eleusius Cyzicenus. Cum his S. Hilarius quoque profectus est, atque Constantinopolim delatus, ut, quid de se juberet Imperator, sciret, & an sibi ad sui exilii locum redeundum. At Acacii, & Sectatorum ejus celeritatem non æquarunt, qui priores ad aulam perve- *Sulp. Sev. 2. p. 431. Soz. IV. c. 23. Hilar. in Const. 1. p. 293.*

Sæculum IV. A. C. 359.

nientes, procerum animis in eandem opinionem de fide consensu, assentatione, & largitionibus, quibus Ecclesiarum suarum res profundebant, facile sibi devinctis, Imperatoris quoque mentem præoccuparunt. Magna Acacius auctoritate pollebat, singularem cogitandi, eloquendique vim possidebat, eaque, quæ semel statuisset, exequendi industriam. Celeberrimæ præerat Ecclesiæ, Eusebii Discipulum se jactabat prædecessoris sui, cujus scripta, & fama in causa erant, ut Acacius cæteris Doctior crederetur. Is ergo facillime Imperatori sinistram de Concilio Seleucienſi mentem indidit, dicens, in eo rejectam fuisse professionem fidei, Cæsare præsente Sirmii approbatam. Legati decem Orientalium, ubi Constantinopolim pervenerunt, ingressu Ecclesiæ abstinere maluerunt, quam cum iis communicare, quos Seleuciæ deposuerant. Ab Imperatore petierunt, ut Eudoxii blasphemiæ, & crimina ad judicium vocarentur, sed Imperator, prius judicandam esse quæstionem fidei, ajebat. Basilius Ancyranus pristinæ familiaritatis jure usurus, libere Imperatori dicebat, ipsum ista agendi ratione Apostolorum Doctrinæ interitum parare; at bilem movit Principi, qui exprobrans, quod turbarum in Ecclesiis Auctor esset, silere eum jussit.

Ep. Orient. ap. Hilar. fr. p. 429.

Theod. II. c. 27.

Basilio

Basilio ergo tacente, Eustathius pro- Sæculum IV.
fatus, ait: *Auguste! si tibi fidei integri-* A. C. 359.
tas tantopere curæ est, quin blasphemias Eudoxii, quas in Filium Dei proferre non exhorruit, judicas? simul fidei expositionem tradit, ubi inter alia impia legebantur sequentia: *quod diverse enuntiatur, in substantia dissimile est. Unus est Deus Pater, ex quo sunt omnia, unus Dominus JEsus Christus, per quem sunt omnia. Ex quo, & per quem sunt enuntiationes dissimiles, ergo Filius est dissimilis Patri.* Postquam Imperator hanc expositionem prælegi jussisset, ad voces impias irascens, ex Eudoxio scisciatur, an ipse hæc scripsisset? respondit, non a se, sed ab Aetio scripta fuisse; jubet Cæsar, ut Aetius accersatur, erat enim Constantinopoli, sicut & Eunomius. Intrat Aetius, cui Constantius, expositionem exhibens, interrogat, an ipsius esset opus? ille, quæ dicta fuissent, aut quorsum hæc Cæsar quæreret, ignarus, naturalem affectum secutus, quo homines in partus suos ferunt, credidit, si suum esse fateretur, inde sibi plurimam laudem tribuendam; respondit igitur, se ipsum hujus scripti esse auctorem, Cæsar impietatem viri exhorrens, Regia ejectum, in Phrygiam exulem deportari jubet.

Eustathius nihilominus Eudoxium accusare non cessabat, quod eandem, quam

Aetius

Sæculum IV. A. C. 359.

Aetius hæresin in sinu foveret, Aetium enim in domo ejus hospitari, ad mensam ejus accumbere, & ejus jussu has blasphemias scripsisse; inde ipsum solum hujus scripti, blasphemiis infamis, conscium fuisse manifestum fieri, quod ipse solus sciat, hujus scripti auctorem esse Aetium. Ad hæc Imperator: *non debemus ex conjecturis judicare, sed in ipsa facta accurate indagandum; fiat ergo!* inquit Eustathius: *si Eudoxius persuasum nobis esse vult, aliam suam, quam Aetii fidem esse, palam scriptum Aetii anathematizet!* placuit Imperatori consilium, statimque jussit, ut faceret; Eudoxius tergiversari, multisque excusationibus id a se amoliri, at ubi vidit Imperatorem irasci, & minari, se unacum Aetio, ejusdem utpote impietatis complicem, exilio damnandum, propriam, quam tunc tenebat, Doctrinam negavit, quamvis eam postea semper aperte defenderit. Cum Imperator Aetium in forma judiciali condemnatum vellet, hanc curam Honorato, cui recens Præfecturam urbis Constantinopolitanæ dederat, injunxit, atque Senatores præcipuos laboris socios esse jussit. Ipse Cæsar judicio interfuit, ubi Aetius erroris in fide convictus est; omnibus præsentibus, ipsique Imperatori tantæ blasphemiæ horrori fuere; Aetii Sectatores ad hæc stupebant, cum neminem argu-

Philost. IV. c. 12. V. c. 1.

argumentis ejus resistere, nec eum disputando vinci posse hactenus credidissent. Sæculum IV. A. C 359.

§. XX.

Anomeorum Res restituitur.

Interim posteriores Concilii Ariminensis Legati Constantinopolim adveniunt, nempe Ursacius, Valens, aliique Arianorum Primores. Hi nulla præcedente deliberatione statim illis se junxere, qui Seleuciæ damnati fuerant, quia re ipsa ejusdem erant opinionis. Delegati Concilii Seleucienſis, id est, Orientales Semi-Ariani, quid ageretur, docebant, & ab Anomeorum communione retrahere conabantur, data ad eos epistola, quæ nomina octodecim Episcoporum præfert, nempe 10 Legatorum, & quorumdam aliorum secum sentientium; primi sunt Silvanus Tarsensis, Sophronius Pompejopolitanus, & Neo-Seleucienſis. In hac epistola Delegatos Ariminenses hortantur, ut sibi jungerentur, & secum prohiberent, ne Anomeorum hæresis in Ecclesia prævaleat, quam, inquiunt, Imperatori aperuimus; *Is impietatem indignatus, hanc ab omnibus anathematizari vult; at jam fraudes parantur, dum Aetius magis, hæresis auctor, quam ipsa hæresis damnatur, quia sententia magis in ejus Personam, quam Doctrinam prolata videtur.* *Sozom. ib. Sup. §. 11. Hil. frag. p. 428.*

Sæculum IV. A. C. 359.

tur. Rogant etiam, ut Eccleſias Occidentis omnia, quæ gerebantur, per epiſtolas edoceant. Una cum hac epiſtola exſcriptas Aetii blasphemias transmiſerunt.

Ariani Occidentales illi Confratrum ſuorum, qui dictam epiſtolam receperat, vehementer iraſcebantur, eoque furore accenſi ſunt, videntes, proditam eſſe ſuam hypocriſin, ut parum abfuerit, quin eum deponerent; jam enim ipſis Aetii error, quod Orientales faciebant, damnandus erat, aut, ſi non damnarent, manifeſtandum, quod cum Aetio ſentirent; hoc ultimum præplacuit, nec a communione illorum, qui Seleuciæ damnati fuerant, id eſt, Anomeorum avelli voluere. Cum in quodam conventu frequenti ex iis quæreretur, quare non etiam Arimini dixiſſent, Filium Dei eſſe Creaturam? reſponderunt; ſe vero neque Arimini dixiſſe, quod Creatura non ſit, ſed quod non ſit Creatura ſimilis aliis creaturis, cum dixiſſent, non eſſe Creaturam, ſicut aliæ creaturæ ſunt. Deinde S. Hilario propugnante Filium eſſe ante omnia tempora, ejus æternitatem explicarunt eo modo, quo durationem Angelorum, & animarum humanarum exponebant, non de aliqua duratione, Mundi creationem præcedente, ſed futura. Objectionem quoque, quod Filium Patri ſimilem admiſiſſent, eo ſolvebant, quod admi-

Hilar. frag. p. 429. 450.

admisissent similem secundum Scripturas, quæ clausula multis aliis fallaciis locum dabat. Ita explicationibus captiosis eludebant anathemata, quæ Arimini, Catholicorum simplicitate abutentes, pronuntiaverant. Sæculum IV. A. C. 359.

Anomeis Orientalibus quam inexspectatum tam opportunum accidit Occidentalium auxilium in illis angustiis, ubi contra mentem sibi jurandum fuisset, quod vocem, substantia, non damnarent, & Filium substantia dissimilem non crederent; ubi ergo vocem, substantia, ab Occidentalibus Arimini rejectam resciverunt, dixerunt, se toto corde eandem formulam recipere, si enim hæc formula prævaluerit, inquiebant: unacum voce substantia, obsolebit vox consubstantialis, quam Episcopi Occidentales ob Concilii Nicæni reverentiam tanti faciunt. Placuit Imperatori consilium, atque ingenti Episcoporum numero permotus, Ariminensem formulam approbavit; ipsi enim quoad sensum parum interesse videbatur, an Filii Dei similis diceretur, vel consubstantialis, plurimum vero, ne verba a Scripturis aliena adhiberentur, si modo alia æquivalentia ponerentur, quàlia esse putabat, si diceretur similis secundum Scripturas, quæ in formula Nicea in Thracia inveniebantur, & Arimini recepta erant. Itaque Episco- *Soz. IV. c. 23.*

Sæculum IV. A. C. 360.

Sup. §. 13.

Episcopos, quotquot Constantinopoli erant, atque ipsos Seleucienses Legatos huic formulæ subscribere voluit; hoc ut efficeret, totam diem ultimam Decembris, & noctis etiam partem impendit, quamvis sequentis diei cæremoniis paratum esse oporteret, qua decimum Consulatum initio anni 360. auspicaturus erat.

§. XXI.

Concilium Constantinopolitanum.

Philost. 4. c. 12. Soz. IV. c. 24.

Acaciani victores initio hujus anni Concilium Constantinopoli coegerunt, ut, quæ Seleuciæ condita erant, everterent. Episcopos etiam ex Bithynia convocarunt, & ferme viginti adfuere. Notissimi sunt Acacius Cæsarienſis, Eudoxius Antiochenus, Uranius Tyrienſis, Demophilus Bereensis, Georgius Laodicenus, Maris Calcedonensis, Ulfias Episcopus Gothorum, qui tamen tunc temporis erant Catholici. Cum in hoc Concilio de fide disputaretur, S. Hilarius, videns, quantum Sana Doctrina periclitaretur, postquam Occidentales dolo decepti, & Orientales Episcopi vi oppressi fuissent, Libellum supplicem Imperatori tradidit, inter sermones, quos ab ipso ad Constantium datos, habemus, tertium. Primo de injuria, qua in exilium missus fuisset, conqueritur, seque toto vitæ

Sev. Sulp. 2. p. 422. Hier. script. Hilar.

vitæ ſuæ tempore pœnitentiam in laico- Sæculum IV.
rum ordine agendam libentiſſime ſubitu- A. C. 360.
rum fatetur, ſi, ſe quidquam non tantum Epiſcopi Sanctitate, ſed etiam ſimplicis Laici Fidelis probitate indignum egiſſe, probari poſſit; ſubjungit, paratum adeſſe ſe, ut auctorem exilii ſui, nempe Saturninum Arelatenſem, tunc Conſtantinopoli præſentem, crimine falſi accuſatum, convincat.

Quantum ad hoc accuſationis caput pertinet, Imperatoris Sapientiæ relinquit arbitrium, quandocunque eum hac de re audire placuerit; at de fidei periculo inſtantius monet; poſtquam Cæſari ob oculos poſuit, quam parum rationi conſentaneum fuerit, tot fidei formulas fabricare, petit, ut in medio Concilii, tunc de fide diſputantis, Imperatore præſente, & audiente ad colloquium admittatur; *quod*, inquit: *non tam mei, quam tui, & omnium Dei Eccleſiarum cauſa peto. Fidem in corde teneo, nec opus eſt mihi confeſſione externa. Quod accepi, fideliter ſervo. Hoc autem, Cæſar! menti tuæ profundius imprimas velim, nullum unquam fuiſſe hæreticum, qui non ſuam Doctrinam Scripturæ conformem eſſe aſſeveraverit.* Promittit deinde nihil ſe prolaturum, ab Evangelio alienum, nihil, quod ſcandalo eſſe poſſit, ſed potius ad reducendam pacem in Eccleſias, tam Orien-

Sæculum IV. A. C. 360.

tis, quam Occidentis facturum. Ariani cum hoc viro in arenam descendere non ausi, Imperatori persuaserunt, ut Hilarium discordiam seminantem, & in Oriente pacem turbantem in Galliam remitteret. Ergo, quamvis exilii ejus sententia non fuisset revocata, dimissus est.

Acaciani, a tanto adversario liberati, fidei formulam, Arimini receptam, confirmarunt, atque Semi-Arianos ad subscribendum permoverunt, promittentes, quod Anomeorum Doctrinam damnare vellent; sed promisso non steterunt. Itaque Episcopi omnes præsentes subscripsere. Deinde Concilium, ut placeret Cæsari, Aetium condemnavit, Diaconatu deposuit, & Ecclesia ejecit. Hac de re epistolam ad Georgium Alexandrinum dederunt, qua certiorem reddunt, quod Aetium deposuerint, tanquam scandali, & Divisionis in Ecclesiis Auctorem, libros ejus legi prohibuerint, eum, nisi saniorem mentem induerit, & Sectatores ejus anathemate percutiendos, comminati fuerint, atque omnes Episcopi huic condemnationi subscripserint, Serra, Stephano, Heliodoro, & Theophilo exceptis, nec profuerit Serræ, quod testatus sit, se ex ore Aetii audivisse, a Deo ei revelata fuisse omnia, quæ hactenus a temporibus Apostolorum Mundo manifestare noluisset. Dicunt, se hos quatuor Episco-

Soz. IV. c. 23. & VI. c. 7. Philost. IV. c. ult.

ad Theod. II. c. 28.

Episcopos ad sex menses a sua Communione separasse, addita conditione, nisi intra hoc spatium se submittant, deponendos, & depositis Successores sufficiendos. Serras Episcopus erat Paretoniæ in Ægypto, Stephanus Ptolemaidæ, & Heliodorus Sozosæ, uterque in Lybia, quapropter verosimile est, epistolam ad Georgium Alexandrinum fuisse directam, utpote cui Metropolitano subjecti essent. Hoc autem in hac epistola præteriri non debet, quod neutiquam Aetium hæreticum dicant, nec Doctrinam ejus de Filii dissimilitudine damnent. Sæculum IV. A. C. 360.

Præter hos quatuor Episcopos plures Aetium condemnare noluerunt, nempe Theodulus Cheretapesanus in Phrygia, Leontius Tripolitanus, Theodosius Philadelphius, & Phebus Polycalandesanus, omnes tres ex Lydia. Ipse Aetius ita ab amicis timidis, & aulæ ex asse deditis condemnatus, primo Mopsuestiam in Cilicia, & deinde Ambladam in Cilicia ad pedem montis Tauri sitam aere insalubri, atque incolarum barbarie horridam, proscriptus est; ibi apertius hæresin suam defendit, quam ut stabiliret, librum quadraginta septem articulis edidit; hunc S. Epiphanius servavit, & refellit. Aetius ad trecentos Syllogismos confecerat, ut Doctrinam Trinitatis humani intellectus argutiis everteret. *Phil. VII. c. 6.* *Id. V. c. 1.* *ibid. c. 2.* *Epiph. hær. 76. n. 11. p. 924.*

Sæculum IV. A. C. 360.

§. XXII.

Episcopi deponuntur.

Socr. II. c. 42. Acaciani postquam Cæsari iracundiæ satisfecerant, ut propriam quoque exsatiarent invidiam, multos Episcopos Orientales, sectæ suæ adversarios, deposuerunt. Cum autem inter se ipsos in Doctrina dissentirent, condemnationis causas non in erroribus fidei, sed morum, & in factis contra Canones ponebant; quod calumniandi genus etiam contra Sanctissimos Episcopos semper locum invenit. Ita Macedonium de Sede Constantinopolitana deposuerunt, quod Diaconum adulterii convictum ad Communionem recepisset; maxime vero nocuit, quod corpus Constantini M. ab una Ecclesia ad aliam transferendo indignationem Imperatoris incurrerit, nam illius translationis occasione, seditione exorta, cædes patratæ fuerant.

Soz. IV. c. 24.

Sup. XIII. §. 43.

Anomei Basilium Ancyranum pro adversæ partis Principem habebant, hinc plurima accusationis capita in eum congesserunt; quod Presbyterum nomine Diogenem, Alexandria Ancyram pergentem, ablatis, quæ gerebat, scriptis, injuriis, & verberibus affeciisset. Quod, non servata juris forma, ipso persequente, relegati, & ad alias pœnas damnati a Magistratibus fuerint Clerici Antiocheni, aliique

aliique ex Regione quæ Euphratem spe-Sæculum IV.
ctat, Cilicia, Galatia, & Asia, quodque A. C. 360.
vinculis onusti, quæ sibi supererant, militibus, se ducentibus largiri coacti fuerint, ut se a vexationibus redimerent. His addebatur, cum Imperator jussisset, ut Aetius, & nonnulli Sectatorum ejus ad Cecropium deducerentur, ad accusationes, sibi objectas, responsuri, Basilium Ancyranum illius, cui hoc a Principe mandatum, fidem corrupisse, & persuasisse, ut nihil præter ipsius voluntatem faceret; ipsum ad Præfectum Hermogenem, & Rectorem Syriæ scripsisse, illorum nomina, qui relegandi essent, & exilii locum designasse; imo, cum ab Imperatore fuissent revocati, Basilium ipsorum reditui obstitisse, Magistratibus, & Episcopis rebellem. His ulterius subjungebatur; ipsum Clericos Sirmienses in Episcopum Germinium concitasse, & quamvis scripsisset, se cum eo, sicut etiam cum Valente, & Ursacio communicare, nihilominus eorum omnium famam apud Episcopos Africæ dilacerasse; hujus rei accusatum, perjurio negavisse, & convictum, argutiis perjurium voluisse excusare. Ipsum omnis divisionis in Illyrico, Italia, Africa, & eorum, quæ in Ecclesia Romana acciderant, auctorem fuisse. Ipsum servilis conditionis ancillam, vinculis datam, contra Dominam

Sæculum IV. A. C. 360.

suam falsum testimonium jurato dicere coegisse. Ipsum baptizasse, & in Diaconum ordinasse hominem, anteactæ vitæ infamia notum, & adhuc apud se mulierem non uxorem retinentem. Hominem histrionem commissis etiam homicidiis Ecclesia non expulisse. Ipsum ad Sacram mensam adjectis imprecationibus jurasse, & suos Clericos ad jurandum adegisse, quod nunquam alter alterum in judicio accusare vellet; idque ideo feciisse, ut se a Clericorum suorum, quibus præerat, accusationibus securum præstaret. Hæc erant capita, quibus Basilius Ancyranus insimulabatur.

Contra Eustathium Sebastenum asserebantur sequentia; ipsum olim condemnatum fuisse a Patre suo Eulalio Episcopo Cæsariensi in Cappadocia, & communi Fidelium oratione excluſum, quod vestem gereret, Presbytero non convenientem; deinde in Concilio Neocæsariensi in Ponto excommunicatum, & ab Eusebio Episcopo Constantinopolitano depositum, quod injunctum sibi negotium pessime administrasset. In quodam Concilio Antiocheno perjurii fuisse convictum. Ipsum Decreta Concilii Melitinensis impugnare, quibus fuerat depositus. Tandem, quod, tot criminum reus, aliorum Judicem se constitueret, & hæreticos appellaret. Eleusius Episcopus

Episcoporum Depositio. *Sup. §. 15.*

pus Cyzicenus accusabatur, quod imprudenter Diaconum ordinasset quemdam, nomine Heraclium Tyriensem, Herculis Sacerdotem, qui Magiæ accusatus, ut persecutorum manus effugeret, Cyzicum veniisset, & finxisset se esse Christianum, atque Eleusius, postquam, qualis esset, rescisset, tamen Ecclesia non expulisset. Rursus eidem objiciebatur, quod sine examine homines, a Mari Episcopo Calcedonensi, tunc in Concilio præsenti, condemnatos, ordinasset. Heortasius depositus fuit, quod absque consensu Episcoporum Lydiæ Episcopus Sardensis fuisset constitutus; & Dracontius Pergamensis, quod prius alium Episcopatum habuisset in Galatia. Utraque ordinatio illegitima fuit judicata. Sophronius Pompejopolitanus accusatus est, quod oblata Ecclesiæ insatiabili avaria vendiderit, atque post primam, & alteram citationem, cum tandem comparuisset, coram Concilio causam dicere noluisset, sed judices Sæculares expetiisset. Sæculum IV A. C. 360. *Basil. ep. 74. p. 875.*

Neoni Seleuciensi in Isauria crimini datum, quod Anianum in Episcopum Antiochenum in sua præ aliis Ecclesia ordinari concupiisset; & in Episcopos ordinasset Decuriones, homines SS. Scripturarum, & Canonum rudes, qui deinde scripto declarassent, quod onera publica ferre mallent, & Bona sua conservare,

Sæculum IV. A. C. 360.

quam, iis dimissis, Episcopatum gerere. S. Cyrillus Jerosolymitanus secundo depositus, eo quod cum Eustathio, & Elpidio, Concilio Melitinensi, ubi unacum ipsis adfuerat, refractariis communicasset; item, quod communicaverit cum Basilio Ancyrano, & Georgio Laodiceno post primam ejus depositionem, cujus prætextus fuit, ut diximus suo loco, ipsum tempore famis res Ecclesiæ vendidisse. Præter hos etiam Silvanum Tarsensem, & Elpidium Sataleſium, variorum delictorum insimulatos, deposuerunt, præsertim quod ultimarum turbarum in Ecclesia incentores fuissent.

Sup. XIII. §. 48.

Nemo autem sit, qui putet, has accusationes jure probatas fuisse; sed illegitimum fuit examen, iidem accusatores, qui & judices, testes subornati, & suffragia vi extorta. Decem Episcopi inventi sunt, qui his testimoniis subscribere renuerunt, hos Acaciani suis functionibus, & aliorum communione interdixerunt, donec subscriberent, addita comminatione, nisi intra sex menses paruissent, esse deponendos. Longe major hujus Concilii Constantinopolitani auctoritas fuit, quam antea Seleucienſis, quod in Concilio decreta Imperatoris jussu executioni data sint; Episcopi depositi, suis Sedibus pulsi; Basilius Ancyranus in Illyricum, Eustathius in Dardaniam

Basil. cont. Eun. p. 64. Greg. Naz. orat. 21. p. 387.

Soz. IV. c. 25.

niam missi; Macedonius ex urbe Constantinopolitana migrare jussus est, non ulterius, sed in vicinum prædium se recepit, ibique diem ultimam obiit. Episcopi relegati in via subscriptionem formulæ Ariminensis retractarunt, atque aliqui, se Filium Dei Patri similem in substantia credere, professi sunt, alii omnino consubstantialem. Ad omnes Ecclesias contra Eudoxium, & Sectatores ejus scripsere epistolas, quibus Fideles obtestantur, ut eorum Communionem fugiant, esse enim hæreticos, Doctrinæ abominabilis defensores, qui Sedes suas vanæ gloriæ cupiditate, & potentiæ Sæcularis adminiculo invasissent; se vero suæ depositioni nullatenus posse acquiescere.

Sæculum IV. A. C. 360.

Basil. ep. 73. p. 870.

Soz. IV. c. 6.

Philost. V. c. 1.

Basil. ep. 72. p. 866.

Ep. 73. p. 870.

§. XXIII.

Episcopi intrusi.

His non obstantibus, Acaciani alios in depulsorum Sedes immiserunt. Eudoxius se ipsum Cathedræ Constantinopolitanæ imposuit, cujus possessionem 27. *Audinee*, id est, Januarii hujus anni 360, præsentibus septuaginta duobus Episcopis, cepit. Itaque illud Concilium, quod Dracontium ob translationem ab una Sede ad aliam deposuit, secundam translationem Eudoxii, qui Germanicia Antiochiam, & Antiochia Constanti-

Socr. II. c. 43.

Chr. Pasch. p. 294.

Sæculum IV. A. C. 360.

ſtantinopolim tranſierat, approbavit. Primo officium Divinum celebravit in Dedicatione Eccleſiæ S. Sophiæ decimo ſexto Calendas Martii, ſeu 14. *Peritius*, id eſt, Februarii, triginta quatuor ferme annis, poſtquam Conſtantinus Magnus fundamenta poſuiſſet. In hac Cæremonia Eudoxius cum ad populum dicere inciperet, vocibus Græcis ambiguis uſus eſt, quæ ſignificare videbantur; Deum Patrem impium, & Filium pium eſſe, quæ verba deinde ſic explicavit, quod vellet dicere, a Patre neminem honorari, Patrem vero honorari a Filio; (*) ad hæc prius commota auditorum indignatio in effuſum riſum verſa eſt. Ita impudentes iſti hæretici populi aures ad audiendas ſuas blasphemias aſſuefaciebant. In hac

Chr. Paſch. Dedicatione Conſtantius Imperator pretioſa dona Eccleſiæ obtulit, multa vaſa magni ponderis, aurea, & argentea; ad ornandum altare tapetes auro textos, gemmisque diſtinctos. Vela aurea, & diverſi coloris ad Eccleſiæ portas, & veſtibulorum ſuſpendenda. Regia munificentia,

(*) At etiam in hoc ſenſu falſa ſunt Eudoxii verba. Nam ſæpe Divinus Pater Filium ſuum etiam coram hominibus honoravit, præſertim in Monte Thabor. Et Chriſtus dicit in Evangelio:

Joan. 8. *Si ego glorifico me ipſum, Gloria mea nihil eſt; eſt Pater meus, qui glorificat me.*

centia, & largitionibus totum Clerum, Virgines, viduas, quarum nomina in Canone, id est, in Ecclesiæ Catalogo continebantur, recreavit; nec Nosocomia ab hac liberalitate fuere excluſa. His omnibus alendis, nempe pauperibus, orphanis, captivis majorem, quam a Patre ejus Constantino Magno mandata fuerat, frumenti mensuram constituit. Sæculum IV. A. C. 360.

Basilii loco Athanasius in Ancyranam Sedem suffectus. Acacius, alius quam ille Cæsariensis, Tarsum pro Silvano missus est. Onesimus Nicomediæ succeſſit Cecropio, ante annos duos terræ motu contrito. Cyzicenæ Ecclesiæ pro Eleusio Eunomium dederunt, post hæc Hæresiarcham; cum facundia pollere diceretur, utilissimum sibi fore Eudoxius credidit, si urbi Constantinopolitanæ proximum haberet, populosque bene dicendi arte attracturum. Eunomius non prius honorem acceptavit, quam sibi Eudoxius, & Maris polliciti fuissent, intra tres menses Aetium Magistrum ejus ab exilio revocandum, & restituendum. Eunomio Imperatoris auctoritate in Ecclesiarum possessionem misso, qui Eleusium sequebantur, extra civitatem Ecclesiam ædificaverunt, ibique conveniebant. In locum S. Cyrilli Jerosolymis Irenæus, seu Herenius Episcopus esse jussus est. Sardis loco Heortasii Theosebius, vir horrendæ

Philost. V. c. 1.

Socr. IV. c. 7.

Philost. V. c. 3.

Basil. 1. contr. Eun. p. 4.

Sæculum IV. A. C. 360.

dæ blasphemiæ convictus, nihilominus ordinatus est.

Concilium Constantinopolitanum in omnes Imperii Provincias formulam Ariminensem misit, adjectis Imperatoris mandatis, ut omnes, qui subscribere renuerent, in exilium pellerentur. Sic Acacius, cœterique Concilii Nicæni abolendam memoriam sperabant. Ad Orientales quoque scripserunt, qui secum in hæresi consentiebant, eosque omnium gestorum certiores faciebant, & inter alios Patrophilum Scythopolitanum, qui Seleucia recta ad propria redierat. Hic fuit Concilii Constantinopolitani exitus.

§. XXIV.

Persecutio occasione formulæ Ariminensis.

Greg. Naz. or. 21. p. 387.

Dum ubique subscriptio formulæ ex Cæsaris imperio urgetur, maximi in Ecclesiis motus cientur; genus erat persecutionis, paganorum furore eo periculosius, quod intestinum. (*) Tunc formulæ

(*) Haud dubie tristissima tunc erat Rei Christianæ facies, & dira Persecutio, quamvis sanguis non funderetur.

Hodie nulla inter Christianos Persecutio. Nihilominus Hollandi in litteris Circularibus, cum hoc

mulæ Ariminensis subscriptio facta est velut janua, qua ad Episcopatus ingredi licebat, vel anchora, sine qua Episcopi in suo gradu firmi consistere non possent. Signa- Sæculum IV. A. C. 360.

---

hoc anno 1758. Subditis suis Gratiarum Actionis, Jejunii, & Orationis solemnem diem 22dam Febr. indicerent, sequentia verba Germanice reddita inseruerunt: **Endlich müssen wir auch unser inbrünstigstes Gebet für die in den verschiedenen Welt-Theilen errichtete Protestantische Kirchen an den Allmächtigen ergehen lassen, auf daß er, wenn es Zeit seyn wird, dem Aberglauben und den Verfolgungen ein Ende machen** ꝛc. Quæso quis Homines istos persequi cogitat? an non caseo suo imperturbate vesci sinuntur? nihil est, quod ab Augustissima Regina Hungariæ Belgii Catholici Domina, nihil quod a Rege Franciæ timeant, nisi forte ne Summi Reges Catholici, quos crudelitatis, & Religionem ipsorum Superstitionis palam incusare non dubitant, tandem eorum insaniæ irasci incipiant. Sed talia magno animo contemnunt pacis amantissimi, & ab omni persecutione, sicut & superstitione alienissimi Principes. Verum non sibi timent Belgæ fœderati, sed aliis per diversas Orbis partes dispersis Protestantium Ecclesiis, scilicet, quibuscum nulla eis intercedit Ecclesiastica Communio, de quibus ignorant, quam fidem teneant, & an saltem integre Christiani sint. Hoc unum Hollandis sufficit, hoc unum Communionis Spiritualis signum, si modo Ecclesiæ istæ, quomodo-

Sæculum IV. A. C. 360.

Signarunt autem ferme omnes, errore non satis perspecto. Pauci recusarunt, quibus animus ad resistendum non defecit; quidam propter suam obscuritatem præte-

modocunque Protestantes dictæ, in Ecclesiam Romanam sint refractariæ. Sed unde hæc Provinciis fœderatis Sollicitudo? imo cur persecutiones jam nunc existere affirmant, dum orant Deum, ut iis finem afferat? fallor, nisi ipsis de Ecclesiis Germaniæ sermo sit; nempe insinuationes Ministrorum Regis Borussiæ, atque editi tempore belli hujus libelli apologetici hunc scrupulum creaverint. Quis vero in Germania Protestantes persequitur? certe illa gravamina, quæ afferunt, & de quorum veritate vel falsitate judicare non possum, quale est causa ædificandæ ædiculæ pro Patribus Capucinis Dierdorfii in Comitatu Widano-Roncaliensi, persecutionis nomen non merentur. Econtra Regis Borussiæ certe terribilis fuit Potentia! Quis sciat, cur tot annis Domus Brandeburgica arma, aurum congesserit, & Exercitus integris Regnis subjugandis pares aluerit? nam quamvis belli causæ typis editæ sint, tamen nemo nescit, semper etiam occultas esse, quas Reges vulgari non permittunt. Tandem Hollandos, Anglosque terret initum anno 1756. Fœdus inter Augustas Domos Austriacam, & Borbonicam, toti Europæ inexspectatum. Deus det, ut sicut olim Principum istorum rixæ, & æmulatio multorum bellorum funesta occasio fuit, ita nunc auspicata concordia extinctis præsentis belli facibus Pacis diutissime duraturæ causa existat!

Sæculum IV. A. C. 360.

præteriti sunt. Nullius in Oriente nobis cognitum nomen est, qui firmiter restiterit, simulque in possessione suæ Sedis manserit, quamvis, aliquos eorum fuisse, certum sit. In omnibus Provinciis aliqui hac ex causa ejecti. Cœteri omnes, serius aut citius, hi metu, alii proprii commodi amore, isti ignorantia tempori cessere. Pacis, & obedientiæ, quæ Imperatori deberetur, obtenta specie omnes ferme Ecclesiæ Prælatos in Arianorum Communionem pertraxit. Gregorius Senior Episcopus Nazianzenus, quamvis fidem purissimam teneret, sicut cæteri victus est; ejus simplicitate fraudibus hæreticorum decepta. Monachi ipsius Ecclesiæ, quibus purior, quam cæteris Christianis, fides erat, sibi post hunc casum cum eo communicare non licere arbitrati, se separantes magnam populi partem secum abstraxere. Filius ejus Gregorius, qui apud Patrem, ut Senectutem ejus solaretur, permanebat, ita eidem unitus perseveravit, ut tamen illorum errorem, qui Patri imposuerant, neutiquam probaret, & tandem Monachos, aliosque, qui non animo contentioso, sed amore veritatis ab ejus communione abstinuerant, ei reconciliavit. Dianeus Episcopus Cæsariensis in Cappadocia in eandem culpam lapsus, cum aliis formulæ Constantinopolitanæ subscripsit. Huic viri

Hier. Chron. an. 361.

Greg. Naz. or. 19. *p.* 297. *or.* 12. *p.* 196. *&c.*

Basil. ep. 86.

Sæculum IV. A. C. 360.

viri casui sicut multi alii pii S. Basilius eo vehementius indoluit, quod ab unguiculis, ita imperantibus, qui eum educabant, summa veneratione, & affectu filiali Episcopum suum prosecutus fuisset, a quo Baptismum, & Lectoris ordinem accepisset; & quod præterea Dianeus vir esset gravitate, mansuetudine, & ingenua simplicitate spectatissimus. Hoc solum cœteras laudes obfuscabat, quod ad defendendam veritatem requisita constantia defuisset. Is Concilio Antiocheno Dedicationis anno 341. interfuerat; in Concilio Sardicensi Arianis se junxerat, sed ante obitum culpas admissas deflevit.

Id. de Sp. S. c. 29. p. 217.

Sup. l. XII. §. 10. ibid. §. 40. inf. XV. §. 15.

In Occidente S. Hilarius ad suam Ecclesiam rediens, ubique omnia turbarum plena vidit. Imperator Ursacio, & Valenti plenam potestatem dederat, cum formulam Ariminensem in omnes Italiæ urbes mitteret, cum mandatis, ut Episcopi, qui subscribere nollent, ejicerentur, & alii sufficerentur; atque ita persecutio erat universalis. Episcopi, qui Arimini decipi se passi fuerant, Ecclesias suas regere contenti, cum aliis Episcopis non communicabant. Aliqui ad Confessores, pro S. Athanasii causa proscriptos, scripserunt, fidem suam explicantes, & eorum communionem petentes. Alii in communione Arianorum manebant,

Socr. II. c. 37. Soz. IV. c. 19. Hier. in Lucif. c. 7.

bant, pene inviti; quod meliora non sperarent. Non nulli, quod decepti, & contra mentem fecerant, consilio se fecisse affirmabant. Aliqui tamen firmi steterunt, quorum numero accensendus est Liberius Papa, & Vincentius Capuanus, qui constanter formulæ Ariminensi subscribere recusantes, culpam, ante aliquot annos commissam, deleverunt. Ajunt quoque, Papam Roma fugere coactum, in cœmeteriis prope urbem latuisse, quo Damasus, aliique Clerici ejus ad eum conveniebant, ibique usque ad Constantii obitum permansisse. (*) In Hispania Gregorius Illyberitanus, dum hæreticorum molitionibus restitit, rarum Constantiæ specimen dedit; hac super re ad S. Eusebium Vercellensem scripsit, qui

Sæculum IV. A. C. 360.

Damas. ap. Theod. II. c. 22.

Acta apud Baron. an. 359. n. 37.

Marcell. & Faust. p. 34. fragm. Hilar. p. 433.

(*) Hic adjecit Notam Protestans in Liberium contumeliosam. Conjecturas cumulat, hunc Papam æque ac alios Episcopos Fidei Formulæ Ariminensi subscripsisse: **so ist gar nicht glaublich, ja nicht begreiflich, daß der erste Bischof der Kirche damit sollte verschonet geblieben, oder der Kayser damit zufrieden gewesen seyn, daß er sich in einer Vorstadt von Rom aufgehalten.** Sed quis conjecturas recipiat perditissimi Interpretis, qui, si expresse quidquam sine alterius cautione affirmet, fidem non meretur?

Sæculum IV. A. C. 360.

qui respondens ex tertio sui exilii loco, nempe ex Thebaide, laudat animi firmitatem, quod resistendo Osii scandalum non auxerit, & quod illis, qui Arimini lapsi fuerant, & cum Ursacio, Valente, aliisque, prius a se damnatis, communicaverant, non consenserit; hortatur, ut fidem Nicænam, contempta sæculari potestate, servet; Communionem dat, & accipit, rogatque, ut eos, qui firmi stetissent, aut quos ipse ad meliora reduxisset, indicet. Gregorius nec sua Ecclesia pulsus, nec sicut alii in exilium missus.

Marc. & Fausl. p. 40.

§. XXV.

S. Martini initia.

Sulp. Sev. de vita. Marc. c. 1. 2. 3. &c.

Sanctus Hilarius in Galliam reversus charissimum Discipulum S. Martinum, jam ante exilium sibi notum, invenit. Natus erat Martinus Sabariæ in Pannonia, nempe in Austriæ, & Hungariæ finibus, urbe hodie non amplius exstante. Enutritus Ticini in Italia. Parentes habuit gentiles, & Patrem quidem Tribunum militum. Martinus annis juvenilibus militiam secutus est alieno magis, quam proprio arbitrio, & primum sub Constantio deinde sub Juliano eques stipendia meruit, jam tunc conversus, quippe, cum annum decimum ageret, invitis parentibus ad Ecclesiam confugiens inter

inter Catechumenos petiit ſuſcipi. Ubi annum duodecimum attigit, in eremum ſecedendi animus erat, & feciſſet, ſi pares animo corporis vires fuiſſent, corde tamen ſemper in Eccleſia, & Monaſterio verſabatur. Tunc Imperatorum mandata allata ſunt, quibus Veteranorum Filii militiæ nomen dare jubebantur, Martinus, ipſo Patre prodente, comprehenditur, vincitur, & militare Sacramentum dicere cogitur. Unicum ſibi aſſumpſit famulum, quem non ut ſubditum, ſed ut æqualem habebat, ſimul cibum capiebant, & ſæpiſſime obſequia ſervilia Dominus ſervo exhibebat. Inter arma ab omnibus vitiis, quibus illius conditionis homines immergi ſolent, immunem ſe ſervavit, ob bonitatem, & charitatem omnibus ſuis comilitonibus dilectus, patientia, & humilitate ſupra humanum morem excellens, quamvis necdum eſſet baptizatus. Afflictis omnibus ſubveniebat, nihil ſibi de ſuo ſtipendio reſervans, quam ut de die in diem viveret. Aliquando præter veſtes, & arma nihil habenti, tam aſpera hieme, ut multi frigore enecarentur, ad portam urbis Ambianenſis quidam mendicus occurrit nudo corpore, prætereuntes, ut ſui miſericordia moveri ſe ſinerent, fruſtra obteſtans; hunc, cui ſubveniret, a Cœlo ſibi mitti credidit; evaginato enſe pallium ſuum di-

Sæculum IV. A. C. 360.

Sæculum IV. A. C. 360.

vidit medium, partemque alteram pauperi dedit, quibusdam militem datorem jam pallii frusto non bene contegi ridentibus, aliis quod in charitate proximi a Martino vincerentur, pudore suffusis. Sequenti nocte JEsum Christum per quietem vidit, medio pallio contectum, jubentem, ut se aspiceret, & ad circumstantes Angelos dicentem: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Hac visione permotus est, ut sine mora baptismum acciperet, atque baptizatus, duobus adhuc annis militavit, a Tribuno suo rogatus, qui Martini contubernio adsueverat, eique, exacto muneris sui tempore, Mundo valedicere promiserat. Tandem cum Julianus Cæsar aliquando militibus donativum largiretur, Martinus, arrepta occasione, missionem petiit; Julianus, vecordiam exprobrans, interrogabat, num ideo hac die missionem peteret, quia cuticulæ suæ timeret, sicque instantis sequenti die prœlii periculo se vellet subducere? Martinus respondit: *cras sine armis ante primos ordines stabo, & solo crucis signo munitus, hostium cuneos securus penetrabo.* Missus est in carcerem, ut verbo stare cogeretur; sed altera die Barbari pacem petierunt.

Martinus, dimissa militia, ad S. Hilarium venit, Episcoporum in Galliis illustrissimum, atque aliquamdiu apud eum man-

Sæculum IV. A. C. 360.

manſit; eum S. Hilarius, ut ſibi fortius devinciret, Diaconum ordinare cupiebat, ſed ipſo hoc gradu indignum ſe reputante, ut ejus humilitati aliquid concederet, Exorciſtam creavit. S. Martinus, in ſomniis admonitus, ut ad parentes inviſeret, eundi licentiam a S. Hilario obtinuit, poſtquam ſe rediturum promiſerat. Matrem ſuam, pluresque alios ad fidem convertit, Patre in infidelitate permanente. Ibi cum Arianis, in Illyrico late dominantibus, reſiſteret, ſæpe mulctatus, tandem virgis cæſus, & urbe ejectus eſt. In Italiam ergo rediit, ſciensque Eccleſias Galliarum quoque turbari, atque S. Hilarium exulare, in locum prope Mediolanum ſe recepit, ibique Monaſticam vitam inſtituit; non diu quieto eſſe licuit, nam Auxentius Epiſcopus Arianus, & illius factionis Dux, virum graviter perſecutus, ſua Diœceſi expulit. S. Martinus tempori cedendum ratus, in parvam Inſulam Gallinariam oræ Liguri-

S. Martinus.

næ haud procul Albigauno cum uno Presbytero, magnæ pietatis viro, profugit; ibi aliquanto tempore radicibus nutriebatur, cumque ſemel inſcius hellebo-rum commediſſet, vita periclitabatur; at precibus ſalutem recuperavit. Audito S. Hilarii reditu, eidem Romam usque proceſſit obviam, & comperto, quod jam per urbem tranſiiſſet, ejus veſtigiis in-

Sæculum IV. A. C. 360.

ſtitit; Hilarium aſſecutus, & peramice exceptus, ſeceſſum ſibi prope Pictaviam in Loco duabus Leucis ab urbe diſtante, tunc Locociagum dictum, hodie gallice Ligugé elegit. Hoc Monaſterio in Galliis antiquius nullum novimus. Ibi quidam Catechumenus S. Martino ſe junxerat, ut ab eo in fide inſtitueretur, is paucis poſt diebus in febrim incidit, atque S. Martinus, tunc forte abſens, ubi poſt diem tertium rediit, mortuum invenit, necdum baptizatum, tam ſubita morbis vis fuerat! Vir Sanctus, omnibus egredi juſſis, ſolus in cellula, ubi funus jacebat, defuncti corpori incubuit; poſtquam aliquo tempore oraſſet, ſurgens, fixis oculis mortuum intuebatur, maxima in Deum fide orationis ſuæ effectum exſpectans; poſt horas duas omnia defuncti membra moveri cœperunt, tandemque oculos aperuit; ad vitam ergo revocatus, & ſtatim baptizatus, pluribus deinde annis vitam produxit. Non multis abhinc diebus S. Martinum per prœdium cujusdam viri divitis, nomine Lupicini, transeuntem, magni ejulatus terruere, roganti cauſam referunt, ſervorum aliquem ſibi ipſi laqueo gulam fregiſſe; eodem modo ſicut nuper ſolus apud corpus occiſi aliquamdiu oravit, tum e terra elevatum, manumque ejus tenens ad domus veſtibulum, ubi omnes rei eventum exſpe-

Greg. Turon. mir. IV. c. 30.

exſpectabant, deduxit. Hæc patrata mi- Sæculum IV.
racula omnibus de S. Martino opinio- A. C. 360.
nem injecerunt, virum eſſe Apoſtolis parem.

S. Hilarius quoque infantem, absque baptiſmo mortuum, ad vitam revocavit. Ab exilio redux filiam ſuam Abram, optima fruentem valetudine invenit, quæſivitque ex ea, an Sponſo jungi cuperet, quem ei deſtinaſſet? Ipſa reſpondente, quod eidem ardenter & cito uniri deſideret, Pater orare non ceſſavit, donec filia omnis morbi & doloris expers, ut ad JEſum Chriſtum iret, exſpiravit, quam etiam ſuis manibus ſepelivit. S. Hilarii uxor beati finis filiæ ſuæ ſpectatrix, rogavit Maritum, ut & ſibi optatam ſortem procuraret; ipſe precibus ſuis apud Deum effecit, ut etiam uxor ad æternam gloriam vocaretur. (*) Adeo Vir ſanctus

Fortun. vit. S. Hilarii. l. 1. in fin.

(*) Fatendum hic de S. Hilario factum perhiberi prorſus ſingulare & alias inauditum, quod cum Charitate proximi difficulter conciliatur. Dei præceptum eſt: Non occides. Quod autem non licet facere, neque licet concupiſcere. Si ſolum Bonum ſpirituale eſſet reſpiciendum, Parentibus liceret, ſerio, & voluntate efficaci precibus a Deo petere, ut ipſorum liberi Baptizati, antequam uſus rationis ſuperveniat, morerentur, quia nemo ſecurius ſalvatur. Forſitan ille

Sæculum IV. A. C. 360.

ctus ab omni affectu carnis, & sanguinis erat alienus.

§. XXVI.

Tractatus S. Hilarii contra Constantium.

Hier. de Script.

Circa tempus reditus sui S. Hilarius Tractatum adversus Imperatorem Con-

---

ille a vero non aberraret, qui crederet, vitæ S. Hilarii Scriptorem Filiæ ejus, & Uxoris mortem, ex solis causis naturalibus secutam, S. Viri precibus adscripsisse.

Interpres Protestans in Nota ad hunc locum dicit: *Parte III. p. 130.* Je mehr sich die Legendensucht in den folgenden Zeiten ausgebreitet, und das Wort GOttes beyseite gesetzet worden. Und wer den Geist eines *Hilarius* aus seinen Schriften kennen lernen, der kann das kaum von ihm denken, daß er seine Frau, und Tochter solte todt gebetet haben. Man hat nur, weil er ein Bischof gewesen, ihm auf eine reputirliche Weise von der Frau helfen wollen. Jam, falsum quidem est, quod Protestans dicit; unquam in Ecclesia Verbum Dei, id est, S. Scripturam, fuisse omissam, aut vilipensam, verumtamen utilius futurum fuisse videtur, si in Vitis Sanctorum in prioribus Sæculis conscriptis, hodieque Breviario insertis, omissis illis, quæ solum admirationem movent, & de quibus dubium suboriri potest, ea tantum legerentur, quæ certissima sunt, quæ ædificant, & ad imitationem alliciunt.

Sæculum IV. A. C. 360.

Constantium scripsit, creditur autem primum post hujus Principis mortem fuisse publicæ lucis factus; sunt etiam, qui dubitent, an opus sit absolutum; hujus tale est exordium: *Tempus jam est loquendi, postquam tempus silendi præteriit. Proximum JEsu Christi adventum exspectemus, cum jam regnet Anti-Christus. Clament Pastores, nam Mercenarii in fugam versi sunt. Demus animas nostras pro ovibus nostris, quia latrones in ovile intrarunt, & leo rugiens gregi insidiatur. Clamantes eamus in Martyrium, quippe Angelus Satanæ in Angelum lucis se transfiguravit.* Et inferius: *Moriamur cum JEsu Christo, ut cum ipso regnemus! diutius tacere, ignaviæ esset, non prudentiæ. Non minus periculosum est tacere semper, quam semper loqui.* Deinde memorat, quæ ante quinque annos fecerit, postquam S. Paulinus Trevirensis, Eusebius Vercellensis, aliique Confessores in exilium missi fuissent, nempe anno 355. ex quo probatur, eum Tractatum, de quo hic agimus, scripsisse anno 360. se neutiquam affectu perturbato scribere affirmat, cum tanto tempore, ex quo ab Adversariis premeretur, siluerit. Dolet, quod sibi datum non fuerit temporibus Neronis, aut Decii vivere, ut res sibi potius esset cum hoste aperto, quam insidiatore occulto; cui

Eccl. 3. 7.

Joan. 10. 12.

Sæculum IV. A. C. 360.

blanditiæ, & fraudes pro juſtis armis ſunt, & qui JEſum Chriſtum honorandi, atque unionem Eccleſiæ procurandi ſpecie, Eccleſiæ pacem deſtruit, & JEſum Chriſtum negat!

Dicit, non injuriam ſe facere Conſtantio, ſi Anti-Chriſtum appellet, & Tyrannum; vim Epiſcopis illatam Arimini, atque Orientalium doloſas machinationes in Concilio Seleucienſi exprobrat. Lupum rapacem vocat, ovina pelle tectum, qui ex malis operibus noſcitur. *Sanctuarium*, inquit: *ornas auro, quo Rempublicam ſpoliaſti. Deo offers, quæ Idolorum fanis detraxiſti, aut damnatorum bona, quæ tuo ærario adſcripſeras. Epiſcopos ſalutas oſculo, quo JEſus Chriſtus traditus fuit. Caput inclinas ad eorum benedictionem accipiendam, dum eorum fidem pedibus calcas. Ad menſam tuam admittis eo animo, quo Judas de cœnaculo exivit, Magiſtrum proditurus. Cenſum remittis, quem JEſus Chriſtus ad removendum ſcandalum ſolvit. Tributorum partem donas, ut Chriſtianos ad negandam fidem allicias. Jure tuo cedis, ut jura Dei violes.* Ex his objectis docemur, quos honores Epiſcopis Imperatores exhibere ſolerent. Cœterum in hoc Tractatu S. Hilarius ſolide refellit prætextus, quibus Conſtantius voces, conſubſtantialis, &, ſimilis in ſubſtantia, reji-

rejiciebat, & Symbolum Nicænum tene- Sæculum IV.
ri prohibebat. In fine illorum temeri- A. C. 360.
tatem damnat, qui humani intellectus anguſtia naturam divinam comprehendere volunt, cum aliquam partem noſtri ipſorum cognoſcere vix dici poſſimus. At hoc opus videtur manſiſſe imperfectum. Scripſit etiam Tractatum adverſus Valentem, & Urſacium, in quo Hiſtoriam Conciliorum Ariminenſis, & Se- *Hier. Script.*
leucienſis concinnaverat, cujus tantum *Ruf. pro.*
fragmenta nobis ſuperſunt, at propter *Orig.*
Acta, & Epiſtolas ibi poſteritati traditas pretioſa.

§. XXVII.

Concilium primum Pariſienſe.

Inter alia in his fragmentis habemus Epiſtolam Synodalem cujusdam Concilii Pariſienſis, qua Epiſcopi Galliæ Episcopis Orientis reſpondent; iſti enim ad S. Hilarium ſcripſerant, ut malas artes hæreticorum detegerent, qui occaſione unius vocis, ſubſtantiæ, diſſenſionem inter Orientem, & Occidentem alere ſatagebant; eos qui ſcripſerant, veroſimile eſt fuiſſe Baſilium Ancyranum, atque alios Catholicos, aut Semi-Arianos, qui in Concilio Conſtantinopolitano ab A- *Sup.* §.
nomeis depoſiti, omnes Regiones ſuis *XXII.*
queſtibus implerunt. In hac Epiſtola Epiſcopi Concilii Pariſienſis fatentur, eorum

Sæculum IV. A. C. 360.

rum plerosque, qui ad supprimendam vocem *ousia* seu substantia, sive Arimini, sive Nicæ in Thracia consenserant, id Orientalium auctoritate inductos feciſſe. *Vos*, inquiunt: *olim hanc vocem contra Arianorum hæresin introduxistis, hanc a vobis accepimus, & inviolata fide servavimus. Vocem HOMOOUSIOS libentissime recepimus, qua vera, & naturalis Filii Dei unigeniti nativitas exprimitur; unionem, quam blasphemus Sabellius docuit, detestamur. Neque dicimus, Filium esse particulam Patris, sed ex Deo ingenito, integro, & perfecto, natum esse Filium unicum, integrum, & perfectum. Quando dicimus, Filium esse ejusdem cum Patre substantiæ, ideo dicimus, ut creationi, adoptioni, aut simplici denominationi nullus superſit locus. Si Filius dicatur Patri similis, non scandalizamur, cum Dei invisibilis* Coloss. 1. 15. *imago sit, at nullam aliam Dei Filio dignam similitudinem intellectu concipimus, quam Dei veri cum Deo vero, similitudinem nempe, quæ, unione exclusa, unitatem indicat; unio cum unitate stare non potest. Unitas solum illius, qui genitus est, perfectionem explicat.*

Et inferius: *Itaque, charissimi fratres! cum ex litteris vestris intelligamus, in negotio suppressionis vocis, substantia, simplicitati nostræ fuisse illusum,* &

Sæculum IV. A. C. 360.

& referente Fratre noſtro Hilario ſcia-mus, illis, qui Arimino Conſtantinopolim reverſi ſunt, tantum animi non fuiſſe, ut horrendas blaſphemias damnarent, quamvis, ut incluſæ veſtræ litteræ teſtantur, a vobis fuiſſent admoniti, nos quoque omnia ea, quæ perperam, & per ignorantiam facta ſunt, retractamus. Excommunicatos habemus Auxentium, Urſacium, Valentem, Cajum, Megaſum, & Juſtinum ſecundum Epiſtolas veſtras, & ſecundum fratris noſtri Hilarii teſtimonium, qui edixit, nunquam ſe illis communicaturum, qui eorum errores ſequerentur. Damnamus etiam omnes blaſphemias, quas ad calcem Epiſtolarum veſtrarum appoſuiſtis; maxime autem Epiſcopos Apoſtatas damnamus, qui quorumdam ignorantia, vel impietate in Sedes fratrum noſtrorum, contra fas omne in exilium pulſorum, ſuffecti ſunt; teſtamurque Deum, ſiquis in Galliis huic noſtro Decreto parere recuſaverit, Communione, & Sacerdotio privandum. Et quia Saturninus Decretis ſalutaribus impium caput appoſuit, ſcitote, ab omnibus Galliæ Epiſcopis fuiſſe excommunicatum, juxta litteras a fratribus noſtris jam bis ſcriptas; eſt enim Nomine Epiſcopi indignus, tam propter ſua ſcelera priora, tamdiu diſſimulata, quam propter novam Epiſtolarum, quas impie dedit, temerita-

Sæculum IV. A. C. 360.

meritatem. His Epistola Synodalis Concilii Parisiensis clauditur. Forte quis a vero non aberraverit, si paulo post reditum S. Hilarii, vivente adhucdum Constantio, actum crediderit. Episcopos Galliæ a Constantii persecutione securos reddebat auctoritas Juliani, qui jam anno 360. Lutetiæ Parisiorum Augustus salutatus est; cujus in hac urbe commoratio causa esse potuit, cur potius illuc, quam alibi Concilium convenerit, nam illo adhuc tempore Christianum simulabat.

Pagi an. 362 n. 23. inf. n. 34.

§. XXVIII.

Scripta Luciferi Calaritani.

In alio loco Lucifer Calaritanus in suo exilio pro defensione fidei adversus Constantii persecutionem varia scripta in lucem emisit. Opus primum, Imperatori inscriptum, quo S. Athanasium defendit, in duos libros dividitur, & incipit in hunc modum: *Cogis nos, Constanti! fratrem nostrum Athanasium absentem condemnare, quod Lex Dei vetat. Potentia tua Regia Sacerdotes Dei ad effundendum sanguinem impellis, & nescis, quod obedire non valeamus, nisi jura justitiæ, quæ a Deo accepimus, proculcemus. An dices, lege Dei permissum esse condemnare absentem, & inauditum, imo innocentem? cum tibi ex S. Scriptura notum*

Sæculum IV. A. C. 360.

notum sit, Adamum, & Evam Proto-Parentes nostros non prius quam audirentur, Dei sententia fuisse prostratos? vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? & reliqua, nam totum textum ponit, & sic ulterius in Imperatorem invehitur: *Quanta est ergo tua impudentia! qua Dei servis Judicii formam præscribis, Legi divinæ contrariam? Non times? ne, quod tunc mulier dixit: Serpens decepit me, & nos judicanti Deo respondeamus: Constantius Imperator seduxit nos? non vides, iratum Numen eandem sententiam in te fulminaturum, quæ in Serpentem lata est, cui dixit: Quia feciſti hoc, maledictus es, & reliqua.* Post hæc pergit longos textus citare, eosque Imperatori applicat, ea libertate, & impetu, quo infimæ sortis hominem increparet. Eandem in aliis ejus scriptis invenies methodum; ita per ordinem omnes S. Scripturæ libros pertransit, figura Repetitionis frequentissime utitur, stilus ejus est, qualem ipse vocat, durior, & rusticus; denique quamvis scripta ejus nulla alia re commendanda sint, tamen in iis generosi animi magnitudo, & singularis eloquendi vis deprehenditur.

Gen. 3. 9.

Ib. c. 3. v. 14.

de non parc. p. 247 edit. Paris. 1568.

Secundum opus titulum præfert: De Regibus Apostatis; in hoc Lucifer propositum sibi habebat, Constantio illam opinionem eximere, quod crederet, fieri

Sæculum IV. A. C. 360.

fieri non posse, ut tam prospere regnaret, nisi recte in fide sentiret, dicebat enim; nisi fides, quam ipse profitebatur, fuisset Catholica, & persecutio, qua defensores fidei Nicænæ premebat, Deo gratissima, permissurum non fuisse, ut ipse florentissimi Imperii fortuna uteretur. Lucifer hunc errorem confutat, adducendo exempla malorum Principum, quibus Deus super populum suum electum regnare indulsit, etiam abstrahendo sermonem a Principibus, qui Gentilibus imperabant. Tertio operi titulus præfigitur: Quod non sit communicandum cum hæreticis. Hujus scripti finis est, diluere objectionem Constantii, dicentis, Episcopos Catholicos esse pacis, concordiæ & charitatis fraternæ inimicos. Scripturarum auctoritate probat, quod teneamur malorum societatem fugere.

Operis quarti titulus est; His, qui in Deum peccant, non esse parcendum. Atque in exordio his verbis in Imperatorem invehitur: *Cum te modis omnibus superatum videres a Servis Dei, dixisti; quod injuriis te persequamur, nos, quorum imprimis esset, te honorare! eamque esse nostram insolentiam, ut crescere ultra non possit.* Et deinde: Zelo suo auctoritatem adstruit ab exemplis S. Scripturæ, *Si*, inquit: *Matathiæ, aut Phinees temporibus vixisses, & Sancti isti te*

p. 253.

vitam

vitam Gentium agere vidissent, per Deum! Sæculum IV.
gladio tibi moriendum fuisset! ego vero, A. C. 360.
quod verbis te redarguam, te, inquam, cujus manus Christianorum cruore diffluunt, injuriam non ferendam tibi facere videor? Quare, Imperator cum sis, non ulciscéris me? Quare reparationem honoris non exigis a mendico? Certe voluntas tibi non deest, sed hoc faciendi potestatem hactenus non accepisti ab eo, qui mihi libertatem tribuit tua crimina redarguendi, atque animum tibi dicendi, quod tibi, omnibus divitiis, & pompæ Regni tui, & Patri tuo Satanæ renuntiaverim. Scias, hoc ipso nos affligi, quod nobis parcas, Tyranne! cui in more positum, quoscunque, tibi invisos, gladio devorare. Hoc nempe Sanctos Episcopos tanta audacia implebat, quod mundi divitias, & ipsam vitam contemnerent. At Lucifer prioribus subjungit: *An putas, nos oportere Diadema tuum, inaures tuas, armillas, & aureas vestes venerari, & Creatoris mandata spernere? Quam parum sapis, cum dicis: Contumelioſe habeor a Lucifero, homine miserabili, ego Imperator! melius diceres: ab Episcopo, qui lupum rapacem te agnovit!* Et iterum: *Injuriarum me accusas, apud quem autem deferes reum? ad Deum, quem nescis? ad te ipsum? Sed quid denique facies, homo* p. 292. p. 300.

Sæculum IV. A. C. 360.

morituræ! qui Servis Dei nocere non vales! torquendo vires sufficies, occidendo ad feliciorem vitam deduces.

Sibi ipsi objicit loca S. Scripturæ, Regibus, & Potestatibus Sæculi obedire præcipientis, & respondet, Imperatori quoque, cum se Christianum dicat, Episcoporum admonitiones reverenter esse audiendas; quia Episcopi Fideles exhortari, cum imperio reprehendere, & a nemine sperni se pati jubentur. Et subdit: *Scito! quod perbene noverimus, nos tibi, & omnibus, qui in Dignitatibus sunt, obedientiam debere, at tunc tantum debemus, quando bona præcipitis, non autem quando innocentem condemnare, & fidem proculcare jubetis. Præterea,* inquit: *Apostolus de Principibus, & Magistratibus loquitur, qui necdum in Filium Dei unigenitum credebant, hinc nostra humilitate, patientia, & obedientia in rebus justis ad fidem trahendi erant; at dum Imperator es, & inter Christianos Christianum te fingis, si sub hac larva cogere vis, ut a Deo recedamus, & Idololatriam sequamur, an credis ad obedientiam nos teneri, ne Præcepto Apostoli refragari videamur?* Hic potestatis Sæcularis limites indicantur. Christiani obedire tenentur etiam Principibus Infidelibus, in omnibus quæ secundum rationem sunt & resistere etiam

p. 279. *Rom.* 13. Luciferi Scripta. *Tit.* 2. 15. *p.* 299.

tiam Principibus Christianis in omnibus, quæ manifeste Legi Dei contraria sunt. Econtra Principes Christiani subditi sint Episcopis in omnibus, quæ Religionem tangunt, atque Doctrinam, & reprehensiones ferant, ab illis, quibus in aliis omnibus imperant. Ultimi Luciferi Tractatus titulus est; Pro Filio Dei moriendum; & propositum, Constantio demonstrare, quod tota sua potentia temporali in Catholicos, ad Martyrium præparatos, nihil possit. Sæculum IV. A. C. 360.

Non satis fuit Lucifero hæc scripta composuisse, sed etiam, saltem eorum aliqua, ad Imperatorem transmisit, qui insolitam miratus audaciam per Florentium, officiorum Magistrum, rescribi jussit in hæc verba: *Cum liber traditus fuerit Imperatori tuo nomine, jussit, eum ad tuam Sanctitatem deferri, ut sciat, an vere a te missus sit. Rescribe ergo, quod verum est, & remitte librum, ut denuo suæ æternitati exhiberi possit.* Lucifer per Epistolam respondit: *Scias, latorem libri a me missum fuisse, qui, ut dicis, meo nomine Imperatorem adiit, & postquam librum ipsum attente inspexi, Bonoso Imperatoris curatori ferendum dedi. Jam tuæ Generositatis est, fidenter affirmare, librum mea confessione esse meum, nam postquam causas perpenderis, quæ me ad hanc scribendi rationem per-*

ap. Lucif.

Lucifer.

Sæculum IV. A. C. 360.

pulerint, videbis, nos cum Dei auxilio mortem, quæ nobis præparatur, lætos exspectare.

ap. Lucif. S. Athanasius, fama de Luciferi libris ad se perlata, ad eum ex eremo scripsit, virilem constantiam laudans, missoque Diacono, nomine Eutichezio, petiit, ut sibi librorum suorum exempla communicaret. His acceptis, rursus scripsit, magnis laudibus virum extollens, dicensque; ipsum constantiam Apostolorum, & Prophetarum æmulari, sui ævi Eliam esse, & Spiritum S. ex ipso loqui. Tanti S. Athanasius opera Luciferi fecit, ut ea in Græcum traduceret. Quatuor diversa loca Lucifer suo exilio illustravit; primo fuit Germaniciæ in Syria, deinde Eleutheropoli in Palæstina, ubi eum Episcopus Eutichius indignis modis habuit, non ipsum solum, sed omnes, qui cum ipso communicabant, dire persecutus. Quadam die ostium illius domus, qua Lucifer, & Catholici ad Officium divinum convenerant; persodi securibus jussit, tunc vero furiose in eum manus injecere, SS. Mysteria (*) effunduntur, omnes assistentes cæduntur verberibus, vasa sacra, & libri sacri ablati. Tertio Lucifer

Libell. Marcell. p. 72.

Ibid. p. 89.

(*) SS. Mysteria, reddidit Protestans: Man stieß den Tisch um.

fer in Thebaiden exul migrare jussus est. Quartus exilii locus nescitur. Sæculum IV. A. C. 360.

§. XXIX.

Eunomius a suis depositus

Eudoxius, postquam Eunomium in Ecclesiam Cyzicenam intrusisset, timens, ne propriæ famæ noceret, & se ipsum, rebus necdum maturis, purum Arianum, qualis revera erat, proderet, sicque Imperatoris indignationem incurreret, suadebat, ut fidem suam dissimularet, nec ipsemet imprudens inimicis suis occasionem eum accusandi cupientibus, ansam daret. *Veniet tempus*, inquiebat: *manifestandi, quod modo occultamus, fidem, quam tenemus, ignorantes docebimus, resistentibus eam persuadebimus, aut certe cogemus, & inflexibiles puniri curabimus.* Eunomius, callidum consilium secutus, Doctrinam impiam verbis obscuris prædicabat, sed eos, qui in verbo Dei enutriti erant, mala arte non fefellit; quamvis autem summe indignarentur, tamen imprudenter se facturos credidere, si Episcopo in faciem resisterent, ergo, hæreticos se simulantes, in ejus domum se conferunt, rogant, ut clare suæ Doctrinæ sensum explicaret, nec se diutius in re tanta incertos esse vellet; his ille audacior, impietatem aperuit, cui deinde

Sup. §. 19. *Theod. hist. II. c.* 29. *Fabu. IV. c.* 3.

Sæculum IV. A. C. 360.

dixere, juſtitiæ, & pietatis legibus adverſari, quod veritatem aliquibus tantum, & non omnibus, quos Epiſcopali cura regebat, communicaret; ſic perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut hæreſin publice, & aperte prædicaret.

Socr. IV.

Hujus Doctrinæ novitas magnum Cyzici tumultum excitavit; illi ipſi, qui Eunomium deceperant, cum multis Clericis Cyzicenis Conſtantinopolim venientes, apud Eudoxium accuſarunt, quod Filium Patri diſſimilem doceret, &, ſecum non ſentientes, perſequeretur. Quidam Presbyter, nomine Heſychius reliquis ardentius accuſationi inſtabat, Conſtantinopolim ſtrepitu implens. Indoluit Eudoxius Eunomii ſimplicitatem, ſuis conſiliis male auſcultantis, promittebatque accuſatoribus, hanc rem ſibi curæ fore, ſed cunctabatur, excuſans, necdum ſibi, ut hanc cauſam diſcuteret, vacare. At fraus delatoribus ſuboluit, qui, Imperatorem adeuntes, graviter Eunomium incuſabant, quod pejora, quam unquam Arius, doceret. Imperator Eudoxio præcipit, Eunomium ad ſe vocaret, &, ſi reus eſſet, deponeret. Rem tamen Eudoxius, fruſtra urgentibus accuſatoribus, usque differebat. Ipſi ſecundo ad Imperatorem recurrunt, clamant, lacrymantur, & usque adeo permovent, ut Eudoxium, niſi de Eunomio

Philoſt. VI. c. 1.

ex

ex æquo ſententiam ferret, ſua Sede e- Sæculum IV.
jiciendum, eumque ſimul, & Eunomium, A. C. 360.
ut Aetio in exilio ſuo ſocietati eſſent, & ſolatio, expellendos minitaretur. Ceſſit tandem Imperatoris voluntati Eudoxius; publice Eunomium, ut Conſtantinopolim veniret, & fidem ſuam exoneret, citavit. At ſecreto miſerat, qui monerent, ut Cyzico diſcederet, & adverſæ ſortis cauſam nulli alteri, quam ſibimetipſi, & ſuæ levitati adſcriberet, ſua enim imprudentia meruiſſe, quod jam ſibi accideret. Deinde in Concilio in hunc finem congregato, Conſtantinopoli abſentem condemnavit, & ab Epiſcopatu depoſuit. Eunomius, ut convenerat inter ipſum, & judicem, non comparuit, palam conqueſtus, quod contra ſe iidem eſſent actores, & Judices. Ab illo tempore Eunomius ſeparatæ ab aliis Arianis factionis Dux extitit, multi enim Eudoxii ignaviam & in amicum perfidiam damnantes, Eunomio juncti, ab ejus nomine Eunomiani dicti ſunt, qui tamen *Philoſt. VI.* & ipſe prius Magiſtrum ſuum Aetium *c. 3.* perfide deſtituerat, nec, antequam fuiſſet condemnatus, ab Eudoxio receſſit. In Cappadociam ſe recepit, patriam ſuam, ubi Epiſcopos, Presbyterosque, quamvis ipſe depoſitus, ordinabat. Alius Epiſcopus Cyzicenis non eſt datus, quia populus conſtanter Eleuſium, qui ante

Sæculum IV. A. C. 360.

Eunomium Episcopus fuerat, sequebatur. (*)

§. XXX.

(*) Hic in Notula Protestans de Eunomio dicit: **Er war in seinem Vortrag und Schriften ein *Sophist* und unnützer Schwätzer; sonderlich aber ein elender Ausleger der Schrift, und konte auch, wie alle Arianer und Socinianer, nichts anders seyn.** Hem! hem! huc advertite! Lutheranus Arianos, & Socinianos lacessit. Domine Interpres Protestans! cum bona venia, quare Ariani non possint æque bene S. Scripturam intelligere, & interpretari, ac Domini Lutherani? vel quicunque alii ab Ecclesia Romana excluſi? Edic nobis istam diversitatem, solve hunc nodum plusquam Gordium, quod jam ultra annos ducentos Catholici ab omnibus Acatholicis frustra expectant! Nulla alia profecto inter Arianum, & Protestantem de Divinitate Filii disputantes est distinctio, nisi quod Arianus longe clariores, in sensu obvio pro sua Hæresi, quam Lutheranus pro veritate textus ex S. Scriptura adducere possit. Si mihi cum Ariano res esset, postquam allatos ab ipso textus ex Scriptura explicassem, & illos, qui æqualitatem Filii cum Patre probant, exposuissem, Pertinaci Auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & Conciliorum universalium objicerem, cum S. Augustino contr. Ep. Fund. c. 5. dicerem: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commove-*

ret

Sæculum IV.
A. C. 360.

§. XXX.

Macedonii Hæreſis.

Macedonius quoque poſt ſuam depoſitionem novæ factionis Dux evaſit. Ubi ſemel Eudoxio, aliisque puris Arianis adverſari cœpit, quorum factio præ-

Ruf. l. c. 25. *Theod.* II. c. 6.

ret Auctoritas. Quid autem faceret Lutheranus, vel Calviniſta Interpres noſter cum Ariano diſputans? cujus Eccleſiæ Auctoritate ſe tueretur, ſi Arianus ipſius, nempe privati hominis, ſperneret? cum in tota ſua Fleurianæ Hiſtoriæ Verſione, cujus Partes quatuor hactenus in molem non modicam excreverunt, nullam nominet? Forte imploraret auxilium a Conciliis univerſalibus, quæ, ut ſuperius notavimus, irridet? Forte, ſicut Domini Hollandi, ut etiam ſuperius vidimus, confugeret ad teſtimonium Eccleſiarum, in variis orbis Partibus diſperſarum, & ab Eccleſia Romana diſſentientium, quarum nulla concordia, nullum vinculum, nulla Communio, niſi quod Romanæ Catholicæ adverſentur, oſtendi poteſt? Forte ſcutum aſſumeret, & Auctoritatem Eccleſiæ inviſibilis, cujus nulla origo, nullum determinatum tempus, nullus locus, nulla Regio, nulli Patres, nulli Epiſcopi, nulla Concilia produci poſſunt? Væ! Lutherano Interpreti noſtro, & cuicunque alii cum Ariano, aut Sociniano æque docto congredienti! gladio Sacræ Scripturæ, etiam perverſe explicatæ, medius diſſecabitur.

Sæculum IV. A. C. 360.

valuerat, exinde semper Filium Patri similem in substantia, aut etiam, secundum quosdam Auctores, consubstantialem defendit, semper vero cum puris Arianis Spiritus S. Divinitatem negavit; dicens esse Creaturam, similem Angelis, sed ordinis superioris. Basilius Ancyranus, Eustathius Sebastenus, Sophronius Pompejopolitanus, Eleusius Cyzicenus, & universim omnes, qui in Concilio Constantinopolitano depositi fuere anno 360, hanc opinionem amplexi sunt, etiam non nulli Catholici in eundem errorem lapsi, nempe de Filio orthodoxe credentes, S. Spiritum simplicem creaturam esse, affirmabant.

Socr. II. c. 45

Soz. IV. c. 27

Sup. XII. 43.

Fortissima hujus Sectæ columna fuit Marathonius, Macedonii Discipulus, Episcopus Nicomediensis, vir opulentus, liberalis in pauperes, & integris moribus, hinc tanta ejus apud populum, & apud Monachos erat auctoritas, ut illa Secta a quibusdam de ejus nomine Marathonia diceretur; hæc in Monasteria, & populum Constantinopolitanum dissemi-nata est; attamen quamdiu Ariani ibi rerum Ecclesiasticarum potiti sunt, & usque ad Regnum Arcadii, nec Episcopum, nec Ecclesiam habuit. Macedoniani in Thraciam, Bithyniam, & Hellespontum, maxime vero in urbem Cyzicenam diffusi, ut plurimum vitæ erant irre-

irreprehensibilis, gravitas in externis apparebat, & mores non multum a disciplina monastica abludebant. Nomine generali Pnevmatomachi, id est, Græce, inimici Spiritus Sancti, vocabantur. Sæculum IV. A. C. 360.

§. XXXI.

Tractatus S. Athanasii de Spiritu Sancto.

De hac nova hæresi Serapion ad S. Athanasium rescripsit, ponens etiam præcipua eorum argumenta, & exhortans, ut ad ea responderet. Is Serapion, Episcopus Thmovitanus fuisse creditur. Illud erat tempus, quo S. Athanasius, in deserto latitans, ad mortem perquirebatur; at de nova hac hæresi resciviſſe, gravius omnibus aliis afflictionibus fuit, & quamvis vix scribendi opportunitas esset, scripsit tamen ad Serapionem Tractatum satis prolixum, quem in comparatione altissimæ materiæ brevem vocat Epistolam, aitque tantum ideo se eam mittere, ut Serapioni occasionem præbeat supplendi, quæ deficiunt. Hos novos hæreticos vocat Tropicos, quia Scripturam per Tropos, id est, per figuras sermonis explicare volebant. Primo respondet ad omnes textus, quibus se demonstrare jactabant, Spiritum S. esse Creaturam, atque solerter, & docte varios *T. I p.* 173. *P.* 184. *p.* 175. *p.* 189.

Sæculum IV. A. C. 360.

rios sensus, quibus in S. Scriptura vox, Spiritus, accipi debeat, explicat. Tum ad solvendas objectiones, quas ex humanis ratiocinationibus formabant, progreditur. Hæretici dicebant: *Si Spiritus Sanctus Creatura non est, nec Angelus, si procedit a Patre, ergo similiter Filius est; & sic Verbum, & ipse duo fratres erunt; quomodo ergo Verbum, Filius unicus dicitur? Et quare primus post Patrem, & deinde demum Spiritus Sanctus nominatur, si æquales sunt? Si autem Spiritus Sanctus a Filio procedit, ergo Pater, Avus ejus erit?* Ita homunculi isti sacrilega curiositate in divinis ludebant.

Epiph. hær. 74. n. 8.

S. Athanasius respondet primo, si, ejusmodi quæstiones formare, licitum esset, &, dum de Divinis loquimur, generationis humanæ Ideam sequi, etiam quæri posse, quis Patris Pater sit? Et Filii Filius, & Nepotum ejus? Cum inter homines qui pater est respectu unius, filius sit respectu alterius, procedendo in infinitum; atque filium nihil aliud esse, quam portionem patris. Non ita res se habet in Deo, ubi totus Filius totius Patris imago est, & semper Filius, sicut Pater est semper Pater; nec Pater Filius esse potest, nec Filius Pater. Non ergo in Divinis licet de fratre, aut de Avo loqui, quia S. Scriptura de his nominibus

nibus tacet, & nunquam Spiritum S. vocat Filium, sed Spiritum Patris, & Spiritum Filii. S. Trinitas una Divinitas est, & tota unus Deus, nec nobis licet Trinitati creaturam affingere. Hæc Fidelibus sufficiant, intellectus humanus ulterius non penetrat, reliqua Cherubini alis suis obvelant. Sæculum IV. A. C. 360. *Isai.* 6. 2.

Ostendit deinde e Sacris Scripturis Spiritum Sanctum esse Deum; quia ea, quæ ipsi attribuuntur, non nisi Deo convenire possunt, qualia sunt, quod sit sanctificans, vivificans, immutabilis, imensus. Traditioni Ecclesiæ insistit, quæ semper in Deo Trinitatem credidit, & docuit; non in nominibus, tantum, sed in re, super illa Christi verba fundata: Baptizate in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Si Spiritus S. Creatura est, non amplius est Trinitas, sed numerus dualis, aut Trinitas compositum erit monstrosum, & Christiani Creaturam cum Creatore adorabunt, cujus rei Ariani accusabantur. Igitur S. Athanasius in ista argumentatione probat, omnia ea, quæ Tropici contra Spiritum S. dicebant, etiam ab Arianis contra Filium dici posse. In fine Serapionem rogat, ut scriptum suum emendet, & rudem dictionem excuset, asseverans, se nihil dixisse, quam quod Traditione Apostolica accepisset, & nihil præter hæc, quæ didicisset, *P.* 196. *p.* 202. Tractatus de Spiritu Sancto. *Matt.* 28. 19. *p.* 207.

Sæculum IV. A. C. 360.

set, addidisse, sed juxta SS. Scripturas exposuisse.

S. Athanasius post hæc eidem Serapioni alias duas scripsit epistolas super eadem materia breviores, unam rogatus ab eo, ut suum tractatum in compendium redigeret, alteram ut iterum hæreticorum objectionibus, ab humana ratione confictis, responderet; in prima ostendit, omnia, quæ de Filio dicta sunt, etiam de Spiritu S. dicta esse, ex quo sequatur, dicendum esse Deum, sicut Filium; in altera monstrat, Spiritum S. non posse dici Filium, nec nobis licere quidquam aliud de Deo affirmare, quam quod ipse de se revelavit. Cœterum eadem primi tractatus quoad substantiam repetuntur argumenta. Ex his epistolis videmus, quanti S. Athanasius Serapionem fecerit, cum eas ipsius censuræ subjiciat. Erat quippe vir non solum vitæ sanctitate, sed etiam eloquentiæ, & summi ingenii laude clarissimus, hinc ei nomen Scholastici, id est, Doctissimi datum. Hic etiam S. Antonio in paucis charus erat, nam ante susceptum Episcopatum Monachus, & multorum Monachorum Superior extiterat. Quosdam post obitum reliquit libros, atque inter alios Tractatum contra Manichæos, quem adhuc habemus, & plures epistolas. Alter Serapion in Regione Arsinoensi Presbyter, & Abbas fer-

Tom. 2. p. 10. p. 16.

Hier. script.

Canis. antiq. Lect.

Pall. Lauf. c. 67.

me

me decem Monachorum millia in diversis Monasteriis regebat; hi tempore æstivo operam suam metentibus locabant, atque singuli eorum artabas frumenti duas, id est, Regionis illius mensuras, sui laboris mercedem accipiebant, cujus partem magnam Abbati suo reddebant, pauperibus distribuendam. Erant autem istæ eleemosinæ tam abundantes, ut in illis finibus, nemini frumentum deesset; imo oneratæ naves quoque partem illius annonæ Alexandriam devehebant. (*)

Sæculum IV. A. C. 361.

§. XXXII.

Concilium Antiochenum. S. Meletius.

Bellum Persicum Imperatorem Constantium in Orientem pertraxerat; hieme anno 360. Antiochiæ exacta anno sequenti frequentissimum convocavit Concilium, ut tam vocem consubstantialis, quam, dissimilis in substantia, damnari juberet. Ante omnia petierunt Episcopi, ut Ecclesiæ Antiochenæ Pastor daretur, quocum deinde de rebus fidei deliberarent; nam S. Eustathium fata abstulerant, Eudoxius relicta Antiochia Constantinopolim transierat, & Arianus, in Concilio

Amm. Marc. XX. c. ult. XXI. c. 6. Theod. II. c. 31.

Sozom. IV. c. 28. Ruf. 1. c. 24.

(*) Ex his iterum Protestantis Interpretis impudentia confunditur, dicentis, Monachos nec Deo, nec hominibus utiles fuisse.

Sæculum IV. A. C. 361.

cilio Seleucienſi electus, illico in exilium miſſus fuerat. Plures Epiſcopi illuſtriſſimam Cathedram avidiſſime ambiebant; cumque tam Epiſcopi, quam populus in fide eſſent diviſi, quisque illi favebat, quem ſecum in confeſſione fidei conſentire credebat. Tandem omnibus placuit, Meletium, antea Epiſcopum Sebaſtenum, eligere. Natus is erat ex illuſtri familia Melitinæ in minori Armenia. Quamvis inter opes, & delicias fuiſſet educatus, nihilominus a juvenilibus annis in jejuniis, & corporis afflictionibus ſe exercuit, vir juſtus, ſincerus, ſimplex, Deum timens, in converſatione irreprehenſibilis, omnium hominum facile mitiſſimus; animi tranquillitas ex oculis legebatur, cunctis modeſte, & jucunde arridebat, manus ſemper vel ut amplecteretur amicos, vel ut benediceret, paratæ. Sebaſte in Armenia Euſtathio Epiſcopo ſuffectus fuerat, cum autem hunc populum refractarium vincere non potuiſſet, Beream ſe recepe-rat. Hunc virum ſibi addictum credebant Ariani, & præcipui hujus Electionis fautores fuere Acacius Cæſarienſis, & Georgius Laodicenus, eumque totam Eccleſiam Antiochenam, imo ipſos Euſtathianos ad ſuas partes reducturum ſperabant, nam ex eo tempore Acacius ad Catholicorum fidem propius redire videbatur; Catholicis, quibus Meletii fides magis

Philoſt. V. c. 5. Gr. Nyſſ. or. in Mel. tom. 4. edit. græc. p. 838. Naz. carm. de vit. S. p. 24. Theod. II. c. 31. Sozom. IV. c. 25. Socr. II. c. 44.

Sæculum IV. A. C. 361.

gis perspecta erat, libentissime in ejus electionem consentientibus, Decretum conficitur, subscribunt omnes, & communi consensu in manus Eusebii Episcopi Samosateni deponitur.

Epiph. hær. 73. §. 28. Phil. V. c. 1. Theod. II. c. 31.

Cum Imperator mandasset, ut Meletius advocaretur, Episcopi omnes congregati cum Clericis, & toto populo obviam venienti processerunt, simul Ariani, & Eustathiani virum videre ardebant, illi, ut scirent, an tanta fama dignus esset, hi sperantes, defensorem fidei Nicænæ futurum. Judæos quoque, & Paganos videndi virum curiositas accivit, cujus modestia, & mansuetudo admirationi omnibus fuit. Ministerium suum, ut moris erat, exorsus est sermone publico, cujus materiam Imperator præscripserat, celebrem illum ex Proverbiis textum: Ab initio viarum suarum creavit me Dominus; ita enim græce sonat, eratque fortissimum Arianorum propugnaculum; jussit Imperator, ut quæ quisque in hoc colloquio diceret, ab ore loquentis excepta, Notarii scriberent. Primus dixit Georgius Laodicenus, aperte hæresin professus. Secutus est Acacius Cæsarienses, & medium inter illas blasphemias, & veritatem Catholicam tenere nitebatur; Meletius locutus est tertius, & Sermonem protulit, quem S. Epiphanius lit-

Const. ap. l. VIII. c. 5.

Prov. VIII. c. 22.

Hær. 73. n. 29.

Sæculum IV. A. C. 361.

teris mandavit, absolutum Christianæ eloquentiæ exemplar. Dicendi exordium ducit Meletius a Laude humilitatis, & pacis, tum paulatim disputationis substantiam aggrediens, de Filio Dei, ut dignum est, differit; dicit, quod Filius in Deo maneat, quia idem cum Deo est, similis Patri, & perfecta ejus imago. Locum prædictum ex Proverbiis explicat per alia loca, ubi Scriptura clare dicit, Filium esse genitum; *ideo*, inquit: *Scriptura hac voce creavit, seu fundavit, utitur, ut indicet, quod Filius per se ipsum subsistat, & quod sit permanens; & ideo Genitum dicit, ut ejus super omnes alias creaturas, ex nihilo productas, excellentiam demonstret.* In Epilogo temerariam hominum curiositatem damnat, altitudinem Naturæ Divinæ penetrare præsumentium, atque ut omnes in fidei simplicitate sistant, hortatur. Hæc omnia, ex SS. Scripturis collecta, unius quadrantis sermo complectitur.

S. Meletius.

Ita audacter, ipso Imperatore præsente, loquenti populus alacri clamore applausit, indignantibus Arianis, quamvis enim Meletius prudenter vocibus, consubstantialis, & substantia abstinuisset, satis tamen, se pro veritate Catholica stare manifestaverat; Eudoxius nihil intentatum reliquit, ut ad retractandum persuade-

suaderet, sed inflexibilem expertus, cum aliis Arianis, quos jam Meletium elegisse pœnitebat, eum apud Imperatorem accusat, quod Sabellianista esset, familiari Arianis contra Catholicos calumnia. Addebant & alterum accusationis caput, quod ad suam Communionem recepisset Presbyteros, ab Eudoxio depositos, nempe, ut verosimile est, Catholicos injuste oppressos. His Constantius innata sibi animi levitate fidem habuit, jussitque eum Melitinam Armeniæ Patriam suam relegari, mense uno postquam Antiochiam venisset. S. Meletius brevissimum tempus tam utiliter impenderat, ut errorem a sua Ecclesia excluserit, illisque, qui corrigi non poterant, rescissis, alios in vera fide reliquit immobiles. Cum Præfectus Meletium, suo currui impositum, in exilium abduceret, populus eum lapidibus insectabatur, quem S. Episcopus suo pallio contexit.

Hier. Chr. a. 361. *Philost. V. c.* 5. *Chrys. in Mel. tom.* 5. *p.* 538. *l.* 10. *edit. Savill.*

Interea S. Eusebius Samosatenus, ad suam Ecclesiam reversus, acta electionis S. Meletii, quorum erat depositarius, asportaverat; Ariani, ne ista acta, malæ fidei suæ testimonium, supererent, permoverunt Imperatorem, ut reddi juberet; is statim cursores, qui repeterent, misit, quibus Eusebius respondit: *Depositum publicum non possum reddere, nisi omnes*

Theod. II. c. 32.

Sæculum IV. A. C 361.

illi, a quibus accepi, sint congregati. Hoc responso iratus Imperator denuo scripsit, ut acta redderet, districte præcipiens, addiditque, se jussisse, ut manus dextra amputaretur, reddere recusanti; id vero scripserat ad timorem incutiendum, quippe tabellario mandavit, ne Episcopus in corpore læderetur. Eusebius, perlectis litteris, ambas manus porrexit, dicens: amputate utramque, nam Decretum non reddam, insigne perfidiæ, & impietatis Arianorum monumentum. Constantius tantam viri fortitudinem laudare, atque exinde semper admirari coactus est.

§. XXXIII.

Euzoius Episcopus Antiochenus.

Philost. V. c. 5. Sup. l. X. §. 28. Theod. II. c. 31. Socr. II. c. 44.

Imperator Alexandria accersiri *jussit* Euzoium, quem Antiochenæ Sedi imponeret, ex primis Arii Discipulis unum, jam in illius hæresis ortu a S. Alexandro Episcopo suo ordine Diaconatus depositum. Jubente Imperatore, Episcopi ei manus imposuere. At per hanc Electionem iterum scissa est Ecclesia Antiochena; nemo Catholicorum cum Euzoio communicare voluit, & qui ab annis triginta longissimam Arianorum persecutionem sub Stephano, Leontio, & Eudoxio passi fuerant, tandem tempus advenisse existimabant,

bant, quo se ab iis separare deberent, hinc conventus suos soli agere cœperunt, in Ecclesia Apostolorum, quæ Græce *Palaia*, id est, antiqua dicebatur, quia re ipsa inter omnes Ecclesias Antiochiæ erat antiquissima, & in urbis Regione, veteri dicta, posita. Conjungi quidem cupiebant cum Eustathianis, id est, cum illis Catholicis, qui a tempore injustæ depositionis Eustathii nunquam cum Arianis communicaverant, sed Eustathianis hæc unio non placebat, eo quod S. Meletius ab Arianis fuisset electus, & multi, qui ei adhærebant, ab iis Baptismum accepissent. Ergo Ecclesia Antiochena in tres partes erat divisa, nam præter Arianos, qui omnes Euzoium Episcopum venerabantur, duæ erant Catholicorum partes, ab invicem aversæ, quamvis in confessione fidei essent unitæ, nempe Eustathiani, & Meletiani; isti in *Palaia* congregabantur, & numero prævalebant; signa maximi amoris in absentem, & exulem Pastorem suum Meletium, quamvis eos non diutius, quam uno mense rexisset, dabant; quamprimum eum in urbem suam exceperant, Meletii nomen parvulis suis imposuere, in foris, in plateis, ruri Meletii nomen resonabat; eorum sigilla idem Nomen referebant, idem insculptum vasibus, in cubiculis, & quocunque oculi verterentur,

Sæculum IV. A. C. 361.

v. Vales. in Theod. hic.

Chrys. in Mel. p. 537.

Sæculum IV. A. C. 361.

occurrebat. S. Chryſoſtomus, tunc annis puerilibus agens, quæ viderat, enarrat.

Illo ferme tempore Ariani ultimam ſuam fidei formulam procuderunt, cum eſſent Antiochiæ, parvo numero, Imperatore præſente, Euzoio Epiſcopo, Tauro, & Florentino Conſulibus, nempe hoc anno 361. veroſimile eſt, in eodem id actum Concilio, quo S. Meletium elegerant.

Socr. II. c. 47.

Arianorum Hæreſis.

Hoc ſaltem conſtat, paucos iſtos Epiſcopos quæſtiones jam definitas denuo moviſſe, & dixiſſe, vocem, ſimilis, ab expoſitione fidei, Arimini, & Conſtantinopoli recepta, eſſe reſcindendam; omni ſimulatione ſepoſita affirmabant, Filium in omnibus Patri diſſimilem, non tantum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum voluntatem, atque ex nihilo productum, quod Arius ab initio docuerat. Acacii Sectatores, qui tunc erant Antiochiæ, toto animo hanc opinionem probarunt, atque hoc ipſum Concilium Arianis apertis favit, & Eccleſias regendas concredidit, ubi libere Doctrinam impiam prædicarent. Catholici Antiocheni hujus formulæ occaſione nomini Arianorum, etiam nomina Anomeorum, & Exoucontianorum addixerunt, quod ultimum ex tribus vocibus, *Ex*, *ouc*, *onton* derivarunt, quæ græce ſignificant, ex nihilo, aut

Athan. de Synod. 306.

aut ex eo, quod non est. Interroganti- Sæculum IV.
bus Catholicis, quare ergo in suis formu- A.C. 361.
lis dicerent, Filium esse Deum de Deo, respondebant Ariani, hoc ita esse accipiendum, sicut dicit Apostolus, omnia ex Deo esse, ita inter hæc omnia Filium Dei comprehendi. Hinc in suis confessionibus fidei addebant verba: secundum Scripturas. Georgius Laodicenus hujus Sophismatis auctor erat, ignorans, ait historicus Socrates, quomodo Origenes olim hæc Apostoli verba explicaverit. Attamen cum isti Episcopi Ariani tot hominum voces, impietatem sibi exprobrantium ferre non possent, ad formulam Constantinopolitanam redierunt; tum quisque domum suam remeavit. *Athan. de Synod. p. 886.*

Quis omnes hucusque fidei formulas, ab Arianis confictas numeraverit? Socrates novem numerat usque ad hanc ultimam, quæ decima est. Totidem S. Athanasius; possunt autem tales formulæ usque sedecim colligi. Prima sit epistola Arii ad S. Alexandrum. Secunda expositio Arii, & Euzoii ad Constantinum Imperatorem data, in Concilio Jerosolymitano anno 335. approbata. Tertia facta in Concilio Constantinopolitano contra Marcellum Ancyranum anno 336, quam non habemus. Quarta, quinta, & sexta sunt illæ Concilii Antiocheni in *Socr. II. c. 41. de Syn. Sup. l. X. §. 36.* *L. X. §. 55.* *ibid. §. 57.* *Lib. XII. §. 11. ibid. §. 26.*

Sæculum IV. A. C. 361.

Dedicatione anno 341. Septima est, quæ inde post aliquot menses concinnata, & in Galliam a Narcisso, & aliis ad Imperatorem Constantem anno 342. delata.

Ibid. §. 30. Octava, est longa expositio anno 345.
ibid. §. 39. ab Eudoxio, & aliis in Italiam allata.
Lib. XIII. Nona est illa Conciliabuli Sardicensis an-
§. 6. *ibid.* no 347. Decima, est illa Concilii Sir-
§. 46. miensis contra Photinum anno 351. Un-
Sup. lib. decima, est Sirmiensis a Potamio compo-
XIV. §. 2. sita anno 357. Duodecima, est epistola
§. 7. Concilii Ancyrani cum decem, & octo anathematis. Decima tertia est formula Sirmiensis, cui apposita est dies, vigesima secunda Maji, anno 359. Decima
§. 13.
§. 10. 17. quarta est illa, quam Acaciani Concilio Seleucienſi obtulerunt 28. Sept. ejusdem anni 359. Decima quinta est Nicensis in Thracia, cui Arimini, & Constantinopoli, & ab omnibus ferme Episcopis subscriptum est. Decima sexta est formula Concilii Antiocheni anno 361.

§. XXXIV.

Julianus Imperator proclamatur.

Am. Marc. l. XX. c. 4. Dum Constantius Imperator Concilia celebrat, & fidei formulas concinnat, Julianus Cæsar in Galliis Imperii hostes profligabat; diversis prœliis Barbaros vicit, præsertim Francos, & Allemannos,

nos, qui jam diu ſtabilem ſedem in Impe- Sæculum IV.
rii terris armata manu ſibi quærebant; A. C. 361.
hos, ultra Rhenum compulſos, inſectatus, eorum Provinciis vaſtationem late intulit. Non defuere, qui proſperam Juliani fortunam Conſtantio, ſua jam ſponte ſuſpicioſo, periculoſam effingerent; itaque, ut ejus potentiam accideret, magnam copiarum partem obtentu belli Perſici a Juliano ſibi ſubmitti juſſit; militibus plerisque, in Gallia, & Germania natis, ubi etiam uxores, & liberos habebant, hoc Conſtantii mandatum in Orientem commeandi nihil aliud videbatur, quam exilii ſententia, qua ad extremos orbis fines relegarentur, & quamvis Julianus, ut obedirent, hortaretur, ſeditioſe ad arma procurrentes, Julianum Auguſtum proclamarunt, etiam invitum. Hæc Lutetiæ Pariſiorum fiebant, ubi Julianus ob egregium loci ſitum commorari amabat, ibique Palatium, Thermas, & aquæ ductum exſtruxerat, quorum antiquam magnificentiam hodiernæ reliquiæ teſtatam faciunt. Illa nocte, quæ proclamationem ejus in Imperatorem præceſſit, non nullis, quibus familiariter adſueverat, narravit, ſibi dormienti objectum fuiſſe Genium, qualis Romani Imperii effingi ſoleret, nempe juvenem nudum, cornu copiæ tenentem, ſeque ſimilibus objur-

Am. Marc. lib. XX. c. 5. Julian. Miſopog. 61.

Sæculum IV. A. C. 361.

gantem: *Multum temporis abiit, Juliane! ex quo in domus tuæ vestibulo occultus exspecto, augere tuam Dignitatem desiderans; sæpius jam, domo tua excluſus, receſſi; niſi me hac vice, dum tot homines in id conſpirant, receperis, triſtis, & rubore ſuffuſus abibo; at memento, me non diu tecum futurum.* Non mirum, ſi hoc ſomnium in Juliani mentem, tali, ut erat, indole, plurimum valuerit. Qua ratione permotus Imperium acceptaverit, ipſe nobis enarrat in hunc modum: *Jupiter, Sol, Mars, Minerva, & Dii omnes teſtes mihi ſunt, ne quidem minimam ſuſpicionem, quid futurum eſſet, animo meo inſediſſe, priusquam Sole ad occaſum vergente rem novam nuntius ad me pertuliſſet; illico circumdant Palatium, audio ingentes clamores; non fidebam militum ardori, & quid mihi faciendum, deliberabam; aſcendo ad cubiculum ſuperius, ab uxoris meæ, quæ adhucdum vivebat, thalamo ſeparatum; hinc per feneſtram Jovem adoravi, cumque propius clamor audiretur tota turbata domo, rogavi, ut omen daret; & dedit profecto, juſſitque, ut perſuaderi paterer, nec militum voluntati reſiſterem. Nihilominus his acceptis ſignis non facile ceſſi, ſed, quantum potui, repugnavi.* Paulo ante quam hæc acciderent, Julianus ex Græcia quemdam falſorum Deorum Sacer-

Epiſt. ad Athan.

Eunap. in Maximo. p. 9.

Sacerdotem, quos Græci Hierophantes vocant, acciverat, quocum ſecretiſſimis Sacris operatus fuerat, palam enim adhucdum Chriſtianum profitebatur, nec quemquam niſi Oribaſum Pergamenſem, Medicum ſuum, & Afrum nomine Evemerum tanti arcani conſcios habebat. Sæculum IV. A. C. 361. *Amm. XX. c. 8. 9.*

Julianus, acceptato Imperio, hujus rei per epiſtolam certiorem fecit Conſtantium, rogans, ut boni conſuleret, ſe non minus quam jam antea imperata facturum; Præfectum Prætorii, quem ipſe vellet, accepturum ſe pollicebatur; at cœterorum Ducum conſtitutionem ſuo arbitrio deberi volebat. Hanc epiſtolam Pentadius, & Eleutherius, ſpectati Duces, ad Conſtantium, qui tunc Cæſareæ in Cappadocia agebat, attulerunt; is, quid in epiſtola prælecta contineretur, audiens, ſummæ indignationis ſigna dedit, tum eos, qui litteras inviſas ſibi tradiderant, intuens oculis, necem præſagientibus, nihil elocutus, nec ultra quidquam auditurus, abduci ex conſpectu juſſit. Cum ſuis deinde deliberare cœpit, an omiſſo bello Perſico in Julianum moveret? tunc vero tantum reſcripſit; minime ſibi probari, quæ acta eſſent, &, *ſi tuæ, & amicorum tuorum ſaluti conſultum velis*, inquit: *Cæſaris Nomine contentus ſis, & quos tibi militiæ* *Sup. §. XII. Jul. ad Ath. p. 525.*

Sæculum IV. A. C. 361.

litiæ Duces miſero, recipias. Hujus Conſtantii epiſtolæ bajulus fuit Leonas Quæſtor, qui Concilio Seleucienſi interfuerat; miſit præterea ad eum quemdam Galliæ Epiſcopum nomine Epictetum, qui ſuo nomine fidem daret, curæ ſibi futurum, ne quis ei vitam adimeret, ratus haud modicam ſe Juliano gratiam præſtare, ſi vivere ſineret.

Amm. Marc. XX. 9.

Leonam Pariſios advenientem, Julianus, ut viri Dignitas, & merita poſtulabant, excepit; altera die, convocato in campo militari exercitu, populoque, tribunal conſcendens, Conſtantii epiſtolam ſibi tradi juſſit, moxque publice prælegi, cum vero ad illa verba ventum eſt, ubi Conſtantius, omnibus, quæ acta erant, damnatis, Julianum, Cæſaris titulo contentum, vivere volebat, undique ferox clamor auditus eſt, Juliano Auguſti Dignitatem confirmantium, quam ei tota Provincia, milites, & Respublica tribueret, & ad repellendos Barbaros eſſet neceſſaria. Itaque Leonas ſingulari Deorum favore factum credidit, ut furentium manus effugere, & ad Dominum redire potuerit. Hæc anno 360. contigerunt; Julianus, quibusdam rurſus expeditionibus trans Rhenum perfectis, in Galliam redux Vienæ hiemavit. Imperatoris inſignia geſtabat,

Julianus Imperator.

stabat, nempe purpuram, & Diadema gemmis ornatum; atque pacata Gallia, & defuncta uxore sua Helena, Constantii sorore, repellendo, si inferretur, bello expeditior sibi videbatur; imo, brevi moriturum Constantium prævidebat, sive hanc scientiam ex Divinationibus magicis, quod Ethnici credidere, habuerit, sive per veneficos, quos sibi quam Constantio fideliores noverat, mortem huic Principi propinari jusserit, quod publice Christiani affirmarunt. Dicebat, Viennæ spectrum noctu sibi visum fuisse, lucem emittens, & versus græcos recitasse sibi in aures, sæpiusque repetiisse; quando Jupiter Aquarium esset ingressus, & Saturnus vigesimum quintum gradum Virginis, Constantium in Asia tristi fato tollendum esse. Julianus etiamnum Christianum se simulabat, ut si omnibus esset acceptus, nemo ambitioni ejus resisteret, quamvis a multo jam tempore, sed occulte, Christianis Sacris renuntiasset, totus Gentilium, Aruspicum, & Augurum superstitionibus deditus. In Festo Epiphaniæ, sexta Januarii, anno 361. Ecclesiam adiit, & solemniter cum Christianis oravit.

Sæculum IV. A. C. 361.

Amm. XX. 1.

Amm. ibid. Greg. Naz. or. 3. p. 68.

Am. Marc. XXI. 2.

Vales. hic.

Post hæc Julianus, in Pannoniam cum exercitu profectus, angustis faucibus, (tunc Sucas accolæ vocabant) qua in Thra-

Sæculum IV. A. C. 361.

Thraciam aditus est, celeriter occupatis, Naissæ substitit, donec universus sequeretur exercitus. Hic demum etiam aperte Christum negavit; quippe in epistola, ad Philosophum Maximum data, ubi se ex Gallia in Illyricum commeasse narrat, hæc verba leguntur: *aperte Diis servimus, & copiarum multitudo, quæ me sequitur, in Deos pia est. Publice boves immolamus, jamque Diis plures Hecatombes in gratiarum actionem sacrificavimus. Dii me jubent puritatem, quantum possum, servare, & libenter obedio. Magnam mihi laborum mercedem promittunt, si mihimetipsi non desim.*

Ep. 38. *p.* 128.

§. XXXV.

Constantii obitus.

Constantius, bello Persico impeditus, non statim ipse in Julianum movere poterat, cujus prosperam armorum sortem Edessæ rescivit, quo adversus Saporem pugnaturus, pervenerat; cum vero sequenti die, Persas recessisse, ei fuisset relatum, promptissime Antiochiam rediit, atque inde, exeunte autumno, ut Constantinopolim veniret, iter ingressus est. Tarsum adventantem invasit febricula, quam itineris agitatione depelli posse speravit, sed frustra, nam

Am. Marc. XXI. c. 15.

nam in primo exinde diverticulo hære- Sæculum IV.
re coactus est, nempe Mopsucrene, id A. C. 361.
est, ad fontem Mopsi, qui Deus est Ciliciæ, oraculis celeberrimus. Fons hic ad radices montis Tauri in ultimis Provinciæ versus Cappadociam finibus invenitur. Ibi Constantius morti proximum *Socr. II. c.* se sentiens, baptizari voluit, quod huc- 47. *Philost.* usque distulerat, atque manu Euzoii *VI. c.* 5. Episcopi Antiocheni Ariani ablutus est. Mortuus est itaque in hæresi tertio No- *Ath. de Sy-* nas Novembris, Tauro, & Florentio *nod. p.* 907. Consulatum gerentibus, nempe tertia Nov. anno 361. annum vitæ agens quadragesimum quintum, Regni sui ab obi- *Chron. Idac.* tu Constantini Magni Parentis ejus vi- *an.* 361. *Chr.* gesimum quintum. Christianæ Religio- *Pasch. pag.* nis simplicitatem anili superstitione tur- 294. bavit, cumque eam examinare cuperet *Amm. XXI.* majori curiositate, quam vera a falsis de- *c.* 36. finiendi desiderio, plurimarum divisionum causa fuit, quas deinde lites de nomine ferendo augebat. Vecturas publicas pessumdedit, dum Episcoporum catervas ad Concilia advehi jussit, in quibus se ipsum Religionis arbitrum constituebat. Ita de eo loquitur Ammianus Marcellinus, qui cum sit gentilis, suspectus esse non potest.

Extincto Constantio, ex comitatu Proceres ad Julianum delegarunt duos Comi-

Sæculum IV. A. C. 361.

Comites, qui rogarent, ne moraretur in Orientem venire, omnes enim imperata facturos. Ipsum legati Naissæ in Dacia invenerunt, Aruspices super animalium exta, & Augures de avium volatu consulentem, atque ominum ambiguitate perplexum. Tandem gratissimus nuntius animum confirmavit; tunc in Thraciam movit, atque undecima Dec. ejusdem anni 361. Constantinopolim ingressus est. Illuc etiam Constantii corpus, Joviano, postea Imperatore, Duce translatum, & pone Constantinum Magnum in Ecclesia Apostolorum Cæsarea pompa sepultum.

Am. XXII. init.

FINIS TOMI III.

INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM
TOMI III.

A.

Acacius Episcopus Cæsarienſis. p. 330. 364. deponit S. Cyrillum. p. 722. in Concilio Seleucienſi. p. 793. 798. deponitur. p. 803. 809. & 864.
S. *Acepſimas*. p. 458.
Aceſius Novatianus. p. 204.
Achillas Episcopus Alexandrinus. p. 98.
Acta Apoſtolorum. p. 242.
Adelphius Confeſſor. p. 655.
Ægyptii mortuos non ſepeliunt. p. 665.
Æthiopia. fides ibi prædicatur. p. 255.
Aetius. ejus ortus, & fides. p. 523. ejus hæreſis. p. 526. item. p. 591. 595. Paraſitus. p. 659. 747. 756. exilium. p. 811. & 818.
Agelius Episcopus Novatianorum. p. 699.
Aithalas. p. 459.
Alexander Episcopus Alexandrinus. p. 98. ejus epiſtola ad Byzantinum Episcopum. p. 101.

p. 101. epiſtola ſecunda. p. 113. ejus obitus. p. 222.
Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus. miraculum ejus. p. 136. 329. 332. & ſeqq. moritur. p. 365.
Alexander Paphlago. p. 700.
Alexandria. profanatio Eccleſiæ ibidem. p. 640. Populi proteſtatio. p. 642. tribulationes Catholicorum. p. 646.
Ammianus Marcellinus. p. 879.
S. Ammon Nitrienſis. p. 24.
Ammon. p. 577.
Ammonas S. Antonii diſcipulus. p. 674.
Ammonius. p. 422.
Amphion Nicomedienſis. p. 498.
S. Andreæ Reliquiæ. p. 703.
Anianus a Semi-Arianis ordinatus. p. 804.
Anomei. p. 747. 750. 763. prævalent. p. 813. & 820.
S. Antonius Abbas. in monte. p. 18. Alexandriam venit. p. 266. reſcribit Imperatori. p. 338. ejus vaticinium. p. 374. ſcribit ad Gregorium. p. 402. Paulum ſepelit. p. 409. ejus obitus. p. 664. ejus ſcripta. p. 668.
Antropomorphitæ. p. 146.
Aphtonius. p. 525.
Apollinaris. p. 538.
Appellatio. ad Summum Pontificem. p. 494. ad ſuperius tribunal. p. 722.
Aqua benedicta. p. 413.
Archidamus Presbyter, & Legatus. p. 469.

Aria-

Ariani. ad perſecutionem impellunt Conſtantium. p. 570. ad Liberium Papam recurrunt. p. 572. univerſaliter Catholicos perſequuntur. p. 624. error eorum de carne Chriſti p. 655. omnes ferme ad ſuam communionem pertraxere. p. 831.
Ariſtenete Matrona Nobilis. p. 669.
Arius. initium ejus hæreſis. p. 97. deponitur. p. 118. epiſtola ejus. p. 121. epiſtola ad Alexandrum. p. 126. ejus Thalia. p. 128. damnatur. p. 208. proſcribitur. ibid. ab exilio revocatur. p. 262. recipitur ad Communionem. p. 321. crepat. p. 332.
Arius, ſeu *Macarius.* p. 470. & 511.
Arſacius Aſceta. p. 761.
Arſenius. p. 291. & 307.
Aſcetæ. eorum vita. p. 736.
Aſclepas Gazenſis. p. 424. 477. 538.
Aſterius Arianus. p. 330.
S. Athanaſius. p. 129. Epiſcopus. p. 222. Arium non recipit. p. 265. accuſatus, & abſolutus. p. 269. accuſatus ob calicem fractum, & occidiſſe Arſenium. p. 291. ſtat in Concilio Tyrienſi. p. 298. accuſatur fornicationis. p. 306. deponitur. p. 315. mittitur in exilium. p. 325. revocatur. p. 353. Alexandria fugit. p. 399. ſcribit ad Orthodoxos. p. 417. Romæ. p. 421. abſolvitur. p. 430. in Concilio Sardicenſi. p. 468. abſolvitur. p. 476. revocatur a Conſtantio. p. 533. Jeroſolymæ, & Alexandriæ. p. 540. novæ in eum

calumniæ. p. 569. damnatur Arelate. p. 575. epistola ad Dracontium. p. 577. ejus Apologia. p. 584. nova persecutio. p. 633. epistola ad Episcopos. p. 636. a suis servatus. p. 641. in deserto. p. 661. apologia ad Constantium. p. 677. epistolæ ad Solitarios. p. 713. ejus Tractatus de Synodis. p. 804. de Decretis Synodi Nicænæ. p. 807. Tractatus de S. Spiritu. p. 859.

Audiani. p. 385.

Audius Schismaticus. p. 145.

Auxanon. p. 700.

Auxentius Mediolanensis. p. 509. 604. & 845.

Azadius. p. 454.

B.

S. *Babylas*. ejus Reliquiæ. p. 557. Apollinis oraculum tacet. ibid.

Balacius punitur. p. 402. & seq.

Baptismus. non repetendus. 530.

S. *Basilius*. ejus vita. p. 626. 729. epistola ad Gregorium. p. 736. ejus Ascetica, seu Regula. p. 741. alii Tractatus. p. 744.

Basilius Antiepiscopus Ancyranus. p. 479. 651. 749. 753. 762. & 820.

S. *Blasius*. p. 79.

Blasphemia Eudoxii. p. 826.

Byzantium. Episcopi ibidem. p. 101. obsidetur. p. 134. Constantinopolis vocatur. p. 280.

C.

Chorepiscopi quinam fuerint. p. 389.
Chrysanthus Sophista. p. 593.
Circumcelliones. p. 289.
Claudius Hannibalianus. p. 350.
Clavi, quibus Christus cruci affixus fuit, Constantino a Matre missi. p. 230.
Clerici. ab oneribus publicis exempti. p. 4. ab oneribus municipalibus liberi. p. 75. omnes certæ Ecclesiæ addicti. p. 227. exempti a Jurisdictione Sæculari. p. 480. eorum exemptiones. p. 573. a tributis extraordinariis liberi. p. 783.
Conciliabulum Arianorum, in quo depositus est Paulus Constantinopolitanus. p. 366.
Conciliabulum Philippopolitanum. p. 498. epistola ejus. ibid. Concilia non possunt reformari juxta Eusebianos. p. 504. damnantur Occidentales. p. 506. vocatur Concilium Sardicense. p. 508. divisio Orientis ab Occidente circa doctrinam fidei. p. 509.
Conciliabulum, quod S. Eustathium deposuit. p. 272.
Concilii Judex Imperator. p. 763.
Concilium, in quo Eusebius Nicomediensis depositus est. p. 219.
Concilium Alexandrinum. p. 143. Colluthi Schisma compressum. ibid. Concilium Alexandrinum secundum. p. 162. pro S. Athanasio. p. 366.

Concilium Ancyranum. p. 60. Canones. p.61. & seqq. *Concilium Semi-Arianorum.* p. 749. epistola Synodalis. ibid. Anomei damnati. p.750. formula fidei. p.751. Legatio ad Cæsarem. p.752.

Concilium Antiochenum. p. 376. fidei formula Eusebianorum. p. 377. fidei formula ipsius Concili. p. 379. alia bevior. p. 382. Canones. p. 383. *Concilium Eusebianorum* Antiochiæ A. C. 345. p. 463. eorum fidei formula. ibid. *Concilium Eudoxii.* p.784. eligitur Meletius. p. 864.

Concilium Arelatense A. C. 314. p. 52. Canones. p.56. damnatur Athanasius. p.575.

Concilium Ariminense convocatur. p. 764. illius Episcopi Catholici, & Ariani. p. 773. offerunt formulam Sirmiensem. p. 775. Catholicorum Decretum. ibid. condemnatio Ursacii, & cœterorum. p. 778. epistola ad Imperatorem. p. 779. Concilii finis. p. 785. dominantur Ariani. p. 786.

Concilium Carthaginense Primum. p. 530. Canones. ibid.

Concilium Constantinopolitanum. contra Marcellum Ancyranum. p. 329. *Concilium Acacianorum* ibidem. p. 816. Episcopi illius Concilii. ibid. subscribunt formulæ Ariminensi. p.818. Anomei Episcopos sibi contrarios deponunt. p. 820. intrudunt alios. p. 825. 827. litteras mittunt ad omnes Provincias Imperii, & ad Orientales. p. 828.

Conci-

Concilium Jerosolymitanum, in quo Arius suscipitur. p. 321.
Concilium Mediolanense. p. 466. Mediolanense II. p. 512. Legatio ad Constantium. p. 513. epistola ad S. Eusebium. p. 597. tandem Constantius, & alii Episcopi aperte Ariani. p. 598. Episcopi Catholici in exilium mittuntur. p. 601.
Concilium Neocæsarienſe. p. 66. Canones. p. 67.
Concilium Nicænum. convocatur. p. 147. Celeberrimi Patres ejusdem. pag. 153. Ariani. p. 159. errores Arii. p. 165. Disputationes. p. 169. vox Consubstantialis. p. 172. Symbolum Fidei. p. 175. quinam subscripserint. p. 176. duo soli excepti. p. 177. Canones. p. 182. epistola synodalis. p. 207. Concilii finis. p. 213. enumeratio omnium Metropolitanorum. p. 215.
Concilium Niceum. p. 783. Legati subscribunt formulæ Arianorum. p. 784. actum reconciliationis. ibid.
Concilium Primum Parisiense. p. 843. epistola synodalis. ibid.
Concilium Romanum A. C. 313. p. 35. Aliud A. C. 342. p. 427. absolvuntur Athanasius, & Marcellus. p. 432. epistola S. Julii Papæ. p. 433.
Concilium Sardicense. p. 468. quinam Episcopi interfuerint. ibid. Eusebiani discedunt. p. 475. rejicitur propositio de con-

denda nova formula. ibid. Athanasius, & alii absolvuntur. p. 477. Eusebianorum Principes deponuntur, & excommunicantur. p. 479. epistolæ synodales. p. 480. Canones. p. 483.

Concilium Seleucienſe. p. 792. quinam Episcopi. p. 793. divisio Semi-Arianorum, & Acacianorum. p. 796. Acaciani Episcopi a Semi-Arianis depositi. p. 803.

Concilium Sirmienſe. p. 561. quales Episcopi, ibid. Sirmiense II. p. 706. damnatur Eudoxius, & Aetius. p. 753. aliud *Concilium.* p. 754. restitutus Liberius. p. 756.

Concilium Tyrienſe Arianorum, in quo deponitur Athanasius. p. 294.

Conſtans Imp. p. 349. 467. urget restitutionem Athanasii. p. 514. Paulum, & Macarium mittit in Africam. p. 527. occiditur. p. 550.

Conſtantia Filia, & altera Soror Constantini. p. 250. Soror Constantini Arianis favet. p. 262. obit. p. 263.

Conſtantinopolis fundatur. p. 278. & seq.

Conſtantinus Imp. ejus pietas, & liberalitas. p. 2. edictum pro Religione. p. 96. 136. epistola ad Alexandrum, & Arium. p. 140. libellos comburit. p. 165. Concilium congregat. p. 167. epistolæ post Concilium. p. 209. ardor in extirpanda Idololatria. p. 235. in fundandis Ecclesiis. p. 249. non vult revocare Athanasium. p. 338. baptizatur, & moritur. p. 340.

Constantinus Junior. p. 329. 349. Athanasium revocat. p. 353. epistola ad Alexandrinos. ibid. interficitur. p. 356.
Constantius Imp. p. 343. & seq. seducitur a Presbytero. p. 352. persequitur Paulum. p. 366. revocat Presbyteros Alexandrinos relegatos. p. 519. movet in Occidentem. p. 551. favet Arianis. p. 567. imperat Arii Doctrinam ubique recipi. p. 599. Romæ. p. 703. ejus crudelitas. p. 718. ejus epistola contra Eudoxium. p. 753. irascitur Juliano. p. 875. baptizatur ab Euzojo Ariano. p. 879. obit. ibid.
Consubstantialis. antiquitas hujus vocis. p. 808.
Conversio Philosophi. p. 163.
Crispus Cæsar. p. 77. vincit Licinium. p. 134. interimitur. p. 348.
Crux. inventa. pag. 228. prodigiose visa. p. 557. crucis signum fugat dæmones. p. 596.
Curatores. quinam fuerint. p. 314.
S. Cyrillus Jerosolymitanus. p. 559. deponitur. p. 721. sententia restitutionis. p. 803. in Concilio Constantinopolitano iterum deponitur. p. 824.

D.

Dalmatius Censor. p. 350. Julius Dalmatius Filius. ibid.
Dauses. p. 460.

Decentius Cæsar. p. 566.
Dedicationes Ecclesiæ. p. 683.
Defuncti. pro ipsis preces, & sacrificium offertur. p. 345.
Demophilus Bereensis. p. 710.
Diaconi. eorum abusus. p. 192. pro Episcopis ad Aulam proficiscantur. p. 489.
Diaconissarum officium. p. 206.
Dianeus Cæsariensis in Cappadocia. p. 376. subscribit formulæ Arianorum. p. 831. pœnituit. p. 832.
Diodorus Asceta. p. 521.
Dionysius Comes in Concilio Tyriensi. p. 295.
Dionysius Mediolanensis. p. 598. mittitur in exilium. p. 602.
Donatistæ. eorum motus. p. 33. appellant ad Constantinum. p. 69. damnantur. p. 73. 288. partim reuniuntur. p. 529.
Donatus a Casis nigris. p. 35. damnatur in Concilio Romano. p. 38.
Donatus Antiepiscopus. p. 289. 528.
Donatus Bagajæ Episcopus. p. 528. ejus interitus. p. 530.
Dracontius Episcopus. p. 577. 655.

E.

Ecclesia. incrementa Ecclesiæ Catholicæ sub Constantino. p. 253. extra Romanum Imperium extenditur. p. 254. Ecclesiæ Romanæ potestas judicandi. p. 443. quomodo a tributis exempta. p. 783.

Edesius

Edesius Sophista. p. 593.
Eleusius. p. 697. 802. 822.
Emmelia. p. 628.
Ephrem Diaconus. p. 552.
Epictetes Centumcellensis. p. 603. 613. 617.
S. Epiphanius. p. 692.
Epiphanius Sophista. p. 539.
Episcopatus non est recusandus. p. 578.
Episcopi. sunt exempti a Jurisdictione Laica. p. 164. eorum Ordinatio. p. 193. Translatio. p. 194. jus excommunicandi. p. 198. ordinatus ab hæretico non reordinatur iterum. p. 204. de eorum translatione. p. 369. 387. Ordinatio. p. 388. Episcopis non licet Successorem nominare. ib. eorum, & Metropolitanorum potestas. p. 390. Accusatio. p. 391. Testamenta. p. 392. Bonorum administratio. p. 393. quomodo sint eligendi. p. 442. Romani Episcopi potestas judicandi. p. 443. Translationes prohibentur. p. 483. Episcoporum multitudo. p. 487. non proficiscantur ad Aulam. p. 488. A quo judicentur. p. 493. quinam Catholici fuerint tempore Athanasii. p. 638. quomodo ab Imperatoribus honorati. p. 842.
Eudoxius Germaniciensis, & Antiochenus Episcopus. p. 746. Damnatur a Constantio. p. 753. Antiochia pulsus. p. 756. 793. Sententia depositionis ejus in Concilio Seleuciensi. p. 803. 811. 825. invadit Sedem Constantinopolitanam. ibid.

Euno-

Eunomiani. p. 855.
Eunomius. ejus vita. p. 660. 747. relegatur. p. 756. Cyzicenæ Ecclesiæ præficitur. p. 827. deponitur a Suis. p. 853.
Evnuchi. eorum Secta. p. 183. sunt irregulares. p. 520.
Euphratas Colonienſis ad Constantium mittitur. p. 513.
Eusebiani. Romam vocati adire renuunt. p. 423. excommunicantur, & deponuntur. p. 479. crudelitas eorum. p. 510.
Eusebius Cæsarienſis. ejus panegyris. p. 8. Præparatio Evangelica. p. 9. Demonstratio Evangelica. p. 14. epistola ad suam Ecclesiam. p. 216. Professio Fidei, & explicatio Symboli Nicæni. p. 217. recusat Sedem Antiochenam. p. 275. ejus Historia & Chronicum. p. 286. objicitur ei apostasia. p. 299. ejus obitus, & quædam Scripta. p. 355. & seqq. an possit excusari. p. 363.
Eusebius Emesinus. p. 395. ejus obitus. p. 396.
Eusebius Evnuchus. p. 352. 612.
Eusebius Nicomedienſis. ejus epistola ad Paulinum. p. 124. in Aula præsens. p. 140. ejus exilium. p. 218. ab exilio revocatur. p. 262. Episcopus Constantinopolitanus. p. 366. moritur. p. 425.
S. Eusebius Samosatenus. p. 867.
Eusebius Sophista. p. 594.
S. Eusebius Vercellenſis. ejus vita. p. 588.

Primus

Primus Episcopus, & simul Monachus. ib. in Concilio Mediolanensi. p. 598. mittitur in exilium. p. 601. ærumnæ ejus. p. 688. 833.
Eustathiani. p. 869.
S. Eustathius. ejus Libri. p. 153. deponitur. 270. ejus exilium, & obitus. p. 274. & seq.
Eustathius Sebastenus. p. 734. 745. 809. depositus. p. 822.
Eutichius Martyr. p. 652.
Eutropia Constantini Socrus. p. 238.
Eutropia Constantini Soror occiditur. p. 556.
Euzojus vocatur Antiochiam. p. 868.
Excommunicatio. p. 384. excommunicatus in uno loco non recipiatur in alio. p. 385.
Exsuperantius Dertonensis. p. 603.

F.

Felix Anti-Papa. p. 617. Fidei Nicænæ adhæret. ibid. ipso celebrante nemo adit Ecclesiam. p. 704. cedit, & obit. p. 757.
Felix Aptungitanus. p. 41.
Fides. Formula Fidei, quam Constantino Arius obtulit. p. 321. Fidei formula Concilii Antiocheni. p. 379. Fidei formula quarta Arianorum. p. 423. Fidei formula a quibusdam composita in Concilio Sardicensi. p. 476. Formula in Conciliabulo Philippopolitano. p. 507. Formula in Concilio Sirmiensi. p. 562. Secunda. p. 706. nemo ad Fidem cogendus. p. 719. 720.

720. Fidei formula. p. 751. formula Sirmienſis A. C. 359. p. 765. miſſa ad Concilium Ariminenſe. p. 767. Formulæ Orientalium poſt Concilium Nicænum. p. 769. Formula in Conciliabulo Niceo, cui Legati Ariminenſes ſubſcripſere. p. 783. Formula Acacii. p. 798. Formula ultima. p. 870. Formulæ omnes Arianorum. p. 871.

Filius Dei an apparuerit Abraham aut Jacob. p. 563. quando poſſit dici miſſus. ib.

Flavianus Antiochenus. p. 520. & ſeq.

Florentius. p. 851.

Fortunatianus Aquilejenſis. p. 589. 602. 709.

Frumentius in Æthiopia. p. 255. 662.

G.

Gallia. Epiſcopi primi. p. 35. Galliæ Epiſcopi ſcribunt ad S. Hilarium. p. 724.

Gallus. p. 350. Cæſar. p. 556. interficitur. p. 590.

Gaudentius Epiſcopus Naiſſenſis. p. 490. 494.

Gentiles. eorum reliquiæ tolluntur a Conſtantio. p. 705.

Georgius Alexandrinus. p. 636. ejus vita. p. 648. Alexandriam venit. p. 649. ejus regimen. p. 657. Sententia depoſitionis contra eum in Concilio Seleucienſi. p. 803.

Georgius Laodicenus. p. 749. ejus epiſtola. ibid. in Concilio Seleucienſi. p. 793. 864.

Gloria

Gloria Patri &c. primo cantatur. p. 522.
Gratus Episcopus Carthaginensis. p. 468. 489. 527. 530.
Græcianus Collatinus. p. 774. ejus oratio. p. 779.
Gregorius Illyberitanus constans in Fide. p. 833.
Gregorius Nazianzenus Pater. ejus baptismus. p. 224. Episcopus. p. 225. subscribit ex simplicitate formulæ Ariminensi. p. 831.
Gregorius Nazianzenus Junior. p. 225. ortus & studio. p. 627. ejus vita. p. 729. baptizatur. p. 733. 736. 831.
Gregorius Nyssenus. p. 628. 740. 745.

H.

Hæretici varii exterminantur. p. 287.
S. Helena S. Crucem invenit. p. 228. obit. p. 334.
Heraclius Comes agit contra Athanasium. p. 645. & seq.
Hermogenes. p. 425.
Hesichius. p. 670. 692.
Hierophantes. p. 875.
S. Hilarion. p. 30. ejus miracula. p. 410. 655. in Ægypto. p. 669.
Hilarius Diaconus Legatus Liberii. p. 598.
S. Hilarius Pictaviensis. ejus exilium, & vita. p. 693. Liber de Trinitate. p. 695. 724. Liber de Synodis. p. 769. in Concilio

cilio Seleucienſi. p. 793. 798. proficiſcitur ad Imperatorem. p. 809. in Concilio Conſtantinopolitano. p. 816. Libellus ad Imperatorem. ibid. remittitur in Galliam. p. 818. 834. Uxori, & Filiæ precibus mortem impetrat. p. 839. Tractatus adverſus Conſtantium. p. 840.

Hillel Patriarcha Judæorum converſus. p. 241.

Hypſiſtarii. p. 224.

I.

S. Jacobus Niſibitanus. p. 151. 333. 551.

Iberi de Fide Chriſti audiunt. p. 258.

Idola. eorum templa diruta. p. 235.

Ididolatria aboleri mandatur. p. 447.

Jeroſolyma. Epiſcopus Jeroſolymitanus eſt Suffraganeus Cæſareæ. p. 198. ibi Eccleſia S. Sepulchri juſſu Conſtantini ædificata. p. 228. illius Dedicatio. p. 317. hæc Eccleſia bis deſtructa fuit. p. 320.

Imperium dividitur in Orientem, & Occidentem. p. 357.

India. Fides Chriſtiana annunciatur. pag. 461.

Indictio quid ſit. p. 5.

Joannes Meletianus. p. 339.

Joſephus Judæus Comes. p. 240. 692.

Irregularitas. p. 190.

Iſchyras. p. 291. 300.

Iſidorus. p. 422.

Judæi. eorum regimen Sæculo IV. p. 245. eximuntur. p. 290. 339. seditiosi. p. 590.
Judas Patriarcha Judæorum. p. 241.
Judicium. distinctio inter Ecclesiasticum, & Sæculare. p. 517. Litigantes in Judicio absque speciali Gratia Divina cordis puritatem servare non possunt. p. 734.
Julianus. p. 350. ejus vita. p. 351. ejus apostasia, & Magistri. p. 592. & seqq. ejus vita. ibid. Studia & persona. p. 631. Cæsar creatur. p. 632. Augustus. p. 846. proclamatur Imperator. p. 872. movet Pannoniam. p. 877. aperte Gentilem profitetur. p. 878.
Julius Papa. ipsum adeunt Eusebiani. p. 355. convocat Concilium. p. 356. excipit S. Athanasium p. 421. ejus epistola ad Eusebianos. p. 432. Eusebiani jubent Orientales ab ejus Communione abstinere. p. 506. obit. p. 572.
Jurisdictio in Terrestria non est data Episcopis. p. 622.

L.

Lateranum. Ecclesia S. Salvatoris, seu S. Joannis in Laterano. p. 249.
Leonas in Concilio Seleuciensi. p. 794.
Leontius Episcopus Cæsariensis in Cappadocia. p. 224.
Leontius Eunuchus Episcopus Antiochenus Arianus. p. 519. 570.

Libanius. p. 593.
Liberius Papa. non vult condemnare Athanasium. p. 572. vult Concilium celebrari. p. 585. eum persequuntur Ariani. p. 606. captus ad Imperatorem perducitur. p. 610. colloquium cum Imperatore. ibid. in exilium mittitur. p. 616. subscribit formulæ, & damnat Athanasium. p. 710. ejus epistola. ibid. ad Vincentium Capuanum scribit. p. 711. consentit Basilio, & restituitur. p. 755. 757. renuit subscribere formulæ Ariminensi. p. 833.
Licinius persequitur Christianos. p. 76. bellum. p. 130. interitus. p. 135.
S. Lucæ Reliquiæ. p. 703.
Lucifer Calaritanus. qualis fuerit. p. 586. resistit Constantio. p. 600. in exilium pellitur. p. 601. ejus Scripta. p. 846.
Lucius Andrinopolitanus. p. 424. 511.

M.

Macarius Episcopus Jerosolymitanus. pag. 230.
Macarius Presbyter accusatur de Calice fracto. p. 269. absolvitur. p. 270. 291. 297.
S. Macarius Senior. p. 674.
Macedonius. p. 365. 425. 567. Catholicos persequitur. p. 697. deponitur ab Anomeis. p. 820. ejus hæresis. p. 857.
Macrina Neocæsarienſis. p. 628.

Macrina SS. Basilii, & Gregorii Nyssæni Soror. p. 728. 730.
Magnentius Imp. p. 549. vincitur. p. 565.
Mambre. Ecclesia ibi ædificata. p. 238.
Marathonius. p. 697. Macedonii discipulus. p. 858.
Marcella vitam monasticam amplectitur. p. 422.
Marcellus Ancyranus. p. 325. 424. 427. ejus Commentarius. p. 430. 477. suspectus. p. 508. restituitur. p. 538.
Marcus Arethusanus. p. 765. 801.
Marcus Papa. p. 329.
Mareotis. ibidem Inquisitio scandalosa. p. 310.
S. Martinus. ejus vita. p. 834.
Martyres Donatistarum. p. 290. 530.
Martyres quadraginta. p. 79.
Martyrium in quo consistat. p. 639.
Matrimonium. pœnitentia pro secundas nuptias ineuntibus. p. 69.
Maximinus Trevirensis. p. 328. 446.
Maximus Episcopus *Jerosolymitanus*. p. 296.
Maximus Episcopus *Neapolitanus*. p. 603.
Maximus Sophista. p. 595.
Melchiades Papa Præses Concilii Romani A. C. 313. p. 35. ejus obitus. p. 39.
Meletiani. in Concilio Tyriensi recepti. p. 316. quales homines. p. 656. 869.
Meletius. in Concilio Nicæno benigne habitus. p. 181. ejus obitus, & continuatio schismatis. p. 221.

S. Meletius eligitur. p. 864. vita ejus. ibid. relegatur. p. 867.
Methodus Geometrica in Theologia adhibetur. p. 525.
Milleſius. p. 460.
Miſſæ pro Defunctis. p. 345.
Monachi. primi in Occidente. p. 422. 510. Epiſcopi ordinantur. p. 582. quales in Ægypto. p. 663. Monachus quis ſit. ibid.
Monaſterium primum in Gallia Locociagum. p. 838.
Moniales primæ. p. 735.
Mumia. p. 666.
Muſonius in Concilio Ariminenſi. p. 790.

N.

Nepotianus Imp. p. 550. occiditur. p. 556.
Nicomedia terræ motu vaſtatur. p. 759.
Novatiani. de ipſis Concilium Nicænum agit. p. 203. eorum opiniones. p. 204. & ſeq. 227. perſecutionem patiuntur. p. 699.

O.

Onager. p. 514. & ſeq.
Ordo eſt Sacramentum. p. 578.
Orientalium Fidelium Fides. p. 769.
Oſius Cordubenſis. p. 4. 74. mittitur Alexandriam. p. 140. Præſidet Concilio Nicæno. p. 156. in Concilio Sardicenſi. p. 468. ſcribit ad eum Liberius. p. 585. ſollicitatur, ut Athanaſium condemnet. p. 618.

ejus

ejus epistola. p. 619. subscribit formulæ Arianorum. p. 709. obit facti pœnitens. ibid. & p. 727.

P.

S. Pacomius. p. 25.
Palemon Anachoreta. p. 27.
Pancratius Legatus S. Pontificis. p. 598.
Papa. ejus Jurisdictio in universam Ecclesiam. p. 197. 480. est Episcoporum Judex. p. 494. illius Primatus, & Jurisdictio in Orientales. p. 520. Authoritas principalis in Papa residet. p. 606.
S. Paphnutius. p. 148. 185. 298. 673.
Pascha. de ejus celebratione. p. 178.
Patrophilus. p. 688.
Paulinianistæ rebaptizantur. p. 205.
S. Paulinus Trevirensis. non vult damnare Athanasium. p. 575. in exilium mittitur, & obit. ibid.
Paulus Episcopus Constantinopolitanus. p. 365. 425. ejus martyrium. p. 566.
S. Paulus Eremita. ejus obitus. p. 404.
Paulus & Macarius. p. 527.
S. Paulus Simplex. p. 673.
Persecutio Christianorum in Persia. p. 447.
S. Petrus Sebastenus. p. 628. 745.
Phebadius. ejus Tractatus contra Arianos. p. 725. in Concilio Ariminensi. p. 774. 787.
Philagrius. p. 310. 396. & seq. 569.
Philippus Præfectus Prætorii. p. 567.
Philocalia. p. 740.

Philogonus Episcopus Antiochenus. p. 123.
Photinus. p. 465. 513. 543. depositus. p. 562.
Pior. p. 674.
Pistus. p. 356.
Pœnitentia Ecclesiastica. Canones Pœnitentiales Concilii Nicæni. p. 200.
Porphyriani. p. 718.
Posicheus. p. 453.
Potamius Olyssiponensis. p. 706. ejus hæresis. p. 726. 754.
Potamon. p. 297. & seq.
Potestas Sæcularis. Episcopus eam implorare jubetur. p. 385. Potestas Sæcularis, & Spiritualis separatæ. p. 622. *Sæcularis*, & *Spiritualis* Potestatis limites. p. 850.
Presbyter non potest ordinare alios. p. 143.
Protogenes Sardicensis. p. 468. 503.
Psalmodia prima. p. 522.

Q.

Quartodecimani. p. 479.
Quintianus Gazensis. p. 479.

R.

Regula S. Antonii. p. 669.
Regula S. Basilii. p. 742.
Restitutus Carthaginensis. p. 774.
Rodanius Tolosanus. p. 694.
Roma. a Constantino relinquitur. p. 334. septem Ecclesiæ Romanæ. p. 250.
Rufinianus Martyr. p. 603.

S. Sa-

S.

S. Sadothus. p. 454.
Salianus Dux militum. p. 516.
Sapor Rex Persarum Nisibin obsidet. p. 551.
Sarmatas. p. 673.
Saturninus Arelatensis. p. 693. excommunicatus. p. 845.
Sebastianus Dux. p. 649. 651. 653.
Secundus Martyr. p. 657.
Semi-Ariani. p. 749.
Sepulchrum Christi. Constantinus jubet ibi Ecclesiam ædificari. p. 228.
Serapion Episcopus Thmovitanus. p. 577. 859.
Serapion Presbyter, & Abbas. p. 862.
Silvanus Dux. p. 614.
Silvanus Episcopus Cirthanus. p. 82.
Silvanus Episcopus Tarsensis. p. 561. 723.
S. Simeon. p. 448.
Sophronius Pompejopolitanus deponitur. p. 823.
S. Spiridion. p. 149.
Spiritus Sanctus. hæresis contra Eum. p. 858. & seqq.
Stephanus Antiochenus. p. 479. 514. deponitur. p. 518.
S. Sylvester Papa. p. 40. ejus obitus. p. 329.
Syrianus. p. 634. & seq.
Syrus Diaconus. p. 688.

T.

Tarbula. p. 456.
Taurus Prætorii Præfectus. p. 774.

Tha-

Thalassius. p. 564.
Theodorus Heracleensis. ejus Libri. p. 296. 425.
Theognis Nicænus. p. 425. 478.
Theophilus Indus. p. 461. 591. 756.
S. Timothei Reliquiæ. p. 702.
SS. Trinitas. voces ad hoc Mysterium exprimendum non statim receptæ. p. 363.
Tropici. p. 859.

V.

Valens. p. 296. 425. 469. 479. ejus mendacium. p. 565. resistit S. Eusebio. p. 598.
Vaticanum. p. 250.
Vetranio Imp. Sirmii. p. 550. deponitur. p. 553.
Viator Episcopus. p. 479.
Vincentius Capuanus ad Constantium Legatus. p. 513. & seqq. 573. damnat Athanasium. p. 575. 711. Formulæ Ariminensi subscribere recusat. p. 833.
Vitonus Presbyter. p. 428.
Ursacius. p. 296. 425. 469. hæresin abjurat. p. 513. 543. Ursacius & Valens resiliunt. p. 566. Potamium produnt. p. 754. 766. 775. in Concilio Ariminensi. p. 786.
Usthazadius. p. 449.
Usuræ prohibitæ. p. 531.

FLEURY
HISTOIRE
ECCLESIASTIQUE
TOME III.

Th 3
5178
20.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN